


BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY


ACTA
PHYSICO-MEDICA
ACADEMIAE CAESAREAE
NATVRAE CVRIOSORVM
J. G. Pintz. sc.

ACTA
PHYSICO-MEDICA
ACADEMIÆ CÆSAREÆ
LEOPOLDINO-CAROLINÆ
NATURÆ CURIOSORUM

EXHIBENTIA

EPHEMERIDES

SIVE

OBSERVATIONES HISTORIAS
ET EXPERIMENTA

A

CELEBERRIMIS GERMANIÆ
ET EXTERARUM REGIONUM

VIRIS

HABITA ET COMMUNICATA
SINGULARI STUDIO
COLLECTA.

VOLUMEN QUARTUM
CUM APPENDICE

ET PRIVILEGIO SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS.

NORIMBERGAE,
APUD HÆREDES W. M. ENDTERI ET J. A. ENGEL-
BRECHTI VIDUAM, 1737.

INVICTISSIMO
CAESARI
CAROLO VI.
ROMANORVM
IMPERATORI
SEMPER AVGVSTO

GERMANIAE, HISPANIAE,
INDIARVM, HVNGARIAE, BOHEMIAE,
CASTILIAE, LEGIONIS,
ARAGONIAE, SICILIAE VTRIVSQVE,
HIEROSOLYMORVM,
NAVARRAE, DALMATIAE, CROATIAE,
SCLAVONIAE, BVLGARIAE, BOSNIAE,
SERVIAE ET RASCIAE

REGI

ARCHIDVCI AVSTRIAE,
DVCI
BVRGUNDIAE, BRABANTIAE,
MEDIOLANI, STYRIAE, CARINTHIAE,
CARNIOLAE ET LVXEMBVRGI
WIRTEMBERGAE ET VTRIVSQUE SILESIAE,
PRINCIPI SVEVIAE,
MARCHIONI BVRGOVIAE,
MORAVIAE ET LVSATIAE,
COMITI PRINCIPALI
HABSPVRGI, TYROLIS, PFIRETARVM,
KYBVRGI ET GORITIAE
PROVINCIALI ALSATIAE,
COMITI FLANDRIAE,
DOMINO MARCHIAE VENEDICAE,
PORTENAVIAE ET SALINARVM,
ET QVAE SVNT RELIQVA,
DOMINO
ET
ASSERTORI SUO
OMNIVM CLEMENTISSIMO
S.

AUGUSTISSIME
IMPERATOR

AD pedes *SACRATISSIMÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS VESTRÆ* devolvitur tanti Nominis gloria ſuperbiens Academia, quæ optimorum per univerſam Germaniam ingeniorum, ſanctiſſimo invicti Aquilæ fœdere junctorum, fructus novo Faſciculo collectos in devotiſſimi obſequii teſſeram

 ante

ante aram *SAPIENTISSIMI ET PRUDENTISSIMI AUGUSTORUM*, votivos consecrat, nullum, quam quod non displiceret prorsus Orbis capiti, & sub ejus Tutela tranquille artes & scientias profiteri potuerit, dignitatis momentum habitura. Pacata Germania, ad optimorum temporum fiduciam animos erigens, hos perennis Felicitatis nuntios, hoc litterarium Tranquillitatis publicæ Augurium *IMPERATORI INVICTISSIMO* mittit, & quæ inter bella conticuerant timidæ Musæ, serenam, redditis Europæ Halcyoniis, *CÆSARIS* frontem lætæ intuentur

du-

dubitantque majorne debeat exiſtere tantam Majeſtatem compellandi verecundia, an amor tantæ Clementiæ major, efficaciores, â tanto lumine novas vires, novumque vitæ impetum accipiendi, illecebræ. Indulgentiſſima iſthæc *SACRATISSIMÆ VESTRÆ MAJESTATIS* in liberales artes propenſio inter auguſtiſſimos titulos poſt *PIETATEM* prima, poſt *SAPIENTIAM*, quæ Populorum ſalus exiſtit, proxima, invictiſſimorum armorum gloriæ & celebritati ſimillima, audaciæ iſtius, qua

compellare eandem temerarii ſuſtinemus, certiſſimam pollicetur veniam. Novit enim terrarum orbis ſuoque commodo haud ſemel perſpexit, cum fortiſſimi haberentur, clementiſſimos eſſe maluiſſe divinitus datæ domus Auſtriacæ Statores, quorum virtutes in *MAJESTATIS VESTRÆ* Perſona concilium agunt, unoque oculi ictu omnes comparent, nec nos latet, quibus ſub tanti Principis Imperio vitali aura perfrui poſſe licet, quibus Sceptra Ejus ſupplicibus venerari conceſſum fuit, Patris Nomen Principis autoritate eidem prius videri, allici, adſpectu ejus non deterreri mortales. Novos ex

iſt-

iſthac animorum fiducia capimus ſpiritus, ad ſacratiſſimos *MAJESTATIS VESTRÆ* pedes noſtra deponimus munuſcula & quæ Cæſaris ſunt Cæſari reddimus. Quidquid ingenio valemus, quascunque utilitates res publica noſtra præſentiſcit opera, id omne fervidiſſimæ attribuimus nobiſcum natæ & majora in dies incrementa capienti, quâ optimi Cæſarum Gratiam demereri ſtudemus devotioni. Hoc impetu ad recte agendum, quantum poſſumus, exſtimulamur; hoc ſpiritu corpus iſtud omnis Germaniæ optimos quosque in arte ſua viros uniens animatur, agitur, movetur, impellitur: Hanc

penes omnes noſtra liberrimorum animorum ſocietate conſiſtens Academia tueri novo tentamine nunc annititur, qua majores noſtri haud caruerunt, gloriam, æquales habuiſſe nomine, quo Imperiali gratia ornamur, inſtinctus, nec ſucceſſus multum diſſimiles, cum nemo noſtrum, quicunque ſua in communes opportunitates contulerunt, extitiſſe cenſendus ſit, quin cum ſcriberet, quam Auguſtis auſpiciis, quam Illuſtri, *TUA* hæc eſt o *CÆSAR*, non noſtra gloria, Collegio ſcribendum fuerit, ſecum reputaret. Parum curamus invidos, ſi de *SA-*

CRATISSIMÆ MAJESTATIS VESTRÆ propenſa erga humillimos ſubditos voluntate ſecuri fuerimus. Si amoris mutui & communis pro artis incremento laboris vinculo conjunctiſſimi exiſtimus, multo magis, *IMPERATOR INVICTISSIME* precibus, quales mens concipere poteſt, flagrantiſſimis, pro ſalute, quæ orbis, quæ Patriæ eſt, *TUA* fuſis conſpiramus. Aequet armorum gloria cauſæ juſtitiam noſtrumque deſiderium,

victrices Lauros & nunc quo tempore viget, & quo felicissima ornabitur canitie, ferat orbis Caput. Finis Domus Austriacæ Divini Numinis benedictione, & Principis Herois, quem Generum divino Fato nacta est, virtutibus numerosissimæ futuræ, mundi ruinæ sit conterminus. Sic vovent

SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS VESTRÆ,

HUMILLIMO OBSEQVIO DEVOTISSIMI

PRÆSES, DIRECTOR, ADJUNCTI ET COLLEGÆ ACADEMIÆ NATURÆ CURIOSORUM.

PRÆ-





PRÆFATIO.

QUantum ista Philosophiæ pars, quam ab eo, quod rerum naturam scrutatur, Naturalis Philosophiæ sive Physicæ nomine insigniunt, Arti Medicæ affundat lucis, vel ex solo hujus Principis, Ma-

Magni HIPPOCRATIS (quem GALENUS * omnium Medicorum & Philoſophorum primum, eo quod primus Naturæ opera probe perſpecta habuit, exiſtimauit,) monito ſapientiſſimo: Πειρῶ δὲ φύσικος ἔιναι * * colligere licet, quo Naturalis Philoſophiæ ſtudii neceſſitatem pariter atque utilitatem omnibus Medicinam facientibus breviter quidem, ſed nervoſe inculcat. Tantum enim abeſt, ut Medicam profitentes artem ſtudio iſti tantum ſuperficiarie addicti ſint, ut aliqua oblectatione ſaltem conſumatur dies, aut dematur otio nauſea, ut potius in ſola rerum naturalium curioſa ſcrutatione theoretica neutiquam acquieſcentes, omnibus viribus omnique cura

ra

* Lib. I, de natural. facultat. C. 13. Ἱπποκράτης ἰατρῶν τε καὶ φιλοσόφων πρῶτος ἁπάντων, ὡς ἂν, καὶ πρῶτος ἐπιγνὺς τὰ τῆς φύσεως ἔργα.

** Lib. de Steril. §. XVIII, p. 635. Edit. Linden, Section. V. p. 683. edition. Foeſianæ.

ra ac ſollicitudine in id incumbant, ut eam, quam ex utili non minus ac jucunda Anatomiæ, Phyſiologiæ Medicæ, Botanices atque Chemiæ, utpote partium Phyſicæ ſpecialiſſimarum pertractatione hauſerint, atque ſibi acquiſiverint pulcherrimarum rerum ſcientiam & cognitionem, (ſine qua vita humana vix conſiſtere poſſet,) ad noſcendam etiam eorum, quæ præter naturam in corpore humano contingunt, morborum ſcilicet indolem eorumque cauſas indagandas, atque ad illos oppugnandos & arcendos idonea atque efficaciſſima remedia invenienda, applicent, hocque ipſo veriſſimam illam Parœmiam: *Ubi deſinit Phyſicus, ibi incipit Medicus*, quotidiano uſu confirment: Eandem hinc ſibi præfixerant metam, præter Dei gloriam, Proximi ſalutem Cynoſuræ loco ponentes Cæſareæ noſtræ Academiæ Naturæ Curioſorum in Germania Conditores, cum in ipſius Miſcellaneis Curioſis ſive Ephemeridi-

bus Physico-Medicis, quæ jam anno superioris seculi septuagesimo initium suum ceperunt, curiosas atque ipsa raritate sese commendantes non modo observationes physicas, cum Republ. litteraria communicarunt, sed & egregias Practicas, quarum consignatione in artis Medicæ incrementum nihil potest esse utilius, amico vinculo illis junxerunt. Horum laudabile exemplum imitati sunt ipsorum successores; Jure igitur meritoque & Nos eorum insistimus vestigiis, solo Laudatæ Academiæ *Ephemeridum* in *Actorum Physico-Medicorum* jam aliquot ab annis mutato nomine horum Volumen Quartum nunc exhibentes, quod quidem jamdudum comparuisset, nisi Viri τῦ πολυμαθεστάτου, Illustris Dn. D. BAJERI, Academiæ nostræ Præsidis quondam pro ipsius incremento atque splendore vigilantissimi, vita longiore omnino dignissimi inopinatus & præmaturus ex hac vita decessus, & qua ipsum ne-

necessario consecutæ sunt in Præsidii atque Directoris officiis mutationes diuturniorem moram interposuissent. Pluribus quidem elegantioribus observationibus adhuc augere atque ornare potuissemus præsens hoc Actorum nostrorum Volumen; At filum abrumpere nos movit eorum, quorum sumtibus ista eduntur, desiderium, ne illud, cum priora æquali semper pretio vendere consuevere, in majorem accresceret molem, atque hac ratione, aut pluribus adjectis figuris æneis, redderetur magis pretiosum, obnixe petentium, cui aliquo modo satisfacere non iniquum duximus, confisi tamen non ægre laturos esse Fautores nostros, si forsan secutura Volumina quandoque paulo pluris veneant, cum inprimis pluribus non modo, sed & eo selectioribus observationibus atque figuris nitidioribus id compensare studebimus. Quod ut eo facilius atque felicius præstare queamus, eos non tantum honoratissimorum Collegarum nostrorum, qui

insignis sui in Academiam nostram favoris atque indefessæ industriæ plurima ac præclara hactenus ediderunt specimina, humanissime rogamus, ut dictæ nostræ Societatis augmentum atque honorem pari ardore ulterius etiam promovere dignentur, sed & gravioribus curis atque negotiis distractos amicissime invitamus, monemus atque excitamus, ut & nobis aliquid impertiant Academiæque nostræ legum & consuetudinum non immemores, observationibus suis utilissimis, quarum copia ex amplissima & felicissima praxi certe abundabunt, futuris temporibus symbolam quoque suam benevole conferant. Cui negotio, quin etiam Dni. Adjuncti, pro officii ratione, invigilaturi sint, nulli dubitamus, atque sic efficiemus, ut si non quotannis, frequentius tamen nova Actorum horum Volumina in artis Machaoniæ emolumentum inque Societatis nostræ decus, in lucem publicam prodire valeant, quemadmodum præsente hoc Tomo sub prelo jam

 sua-

ſudante, transmiſſæ nobis obſervationes egregiæ, & quæ ideo eidem, quod ipſarum Auctores non indigne ferent, amplius inſeri haud potuerunt, pro Vto Volumine, novum apparatum jam ſuppeditant. Magnam quidem Academia noſtra ex plurium admodum celebrium atque de iſta præclare meritorum Dominorum Collegarum obitu, quem juſto affectu adhuc lugemus, fecit jacturam. Cum tamen in eorum, quibus orbati ſumus, locum jam alii Viri Doctiſſimi & ſimnl induſtrii, Academiæ noſtræ perquam utiles futuri, de quibus ideo iſta merito ſibi gratulatur, ſucceſſerint, atque Dominorum Collegarum numero jam adſcripti ſint, certo confidimus fore, ut id, quod paſſi ſumus damnum, lucubrationibus ſuis eruditis largiter ſint reſarturi. Laudatus quidem Illuſtris noſter Præſes, BAJERUS in præmiſſa antecedenti Volumini præfatione promiſerat ac ſecum conſtituerat Academiæ noſtræ hiſtoriam pleniorem tradere eamque â primis ejusdem incunabulis re-

 petere,

petere, ſimul etiam Dominorum Collegarum, qui partim poſt annum labentis hujus ſeculi vigeſimum ſextum fato conceſſerunt, partim etiam ab eodem tempore in Ordinem noſtrum fuerunt cooptati, recenſionem annectere; verum enim vero, cum Illuſtris & beate defunctus ille Vir hæc meditaretur, quæ ipſum vivorum conſortio eripuit mors, hæc Ejus conſilia diſcuſſit. Et hæc jactura tanta gravior eſt reputanda, quanto pluris ad felicitatem Academiæ noſtræ interfuiſſet, ut diutius tanto Viro perfrui potuiſſet.

Ut tamen quodam modo interim & beate defuncti promiſſo ſatisfiat, & deſiderium ejusmodi uberiorem Academiæ noſtræ notitiam expetentium Fautorum leniatur. Is, qui nunc Academiæ noſtræ præeſt, ſummoque ejusdem avitum ſplendorem conſervandi atque ipſius commodo inſerviendi deſiderio flagrat, laborem illum quamprimum in ſe ſuſcipere decrevit, hac autem occaſione ſupra

dictas

dictas recensiones demortuorum iterumque receptorum Membrorum ad minimum communicare, atque in posterum singulis Actorum voluminibus tales addere constituit utque hoc tanto facilius perfici queat, omnes ac singulos honoratissimos Dominos Collegas, quos Deus Academiæ ornamentum servet diutissime!, officiose rogatos volumus extrema amicorum suorum Ordini nostro adscriptorum, fata, si quando illa acciderint, in tempore annunciare haud graventur. Denique Bibliothecam Academicam Noriberga Erfordiam nuper translatam, ibidemque splendido admodum amplo & securitatis gratia artificiose fornicato, indultu Amplissimi istius Electoralis Moguntinæ Civitatis Senatus concesso atrio collocatam, jamque ab Illustr. Domino Præside Librorum, quos continet Catalogum proxime edituro, in ordinem redactam, suavissimorum Dominorum Collegarum liberalitati commendamus, jucundissima spe freti, ut tum solenni â beato Domino

Præſide peculiari programmate quondam factæ, tum huic noſtræ amiciſſimæ invitationi locum daturi, eam in Academiæ decus atque emolumentum quovis modo, inprimis autem eruditorum jam editorum aut edendorum ſcriptorum ſuorum exemplaribus inpoſterum quoque aucturi atque exornaturi ſint. Tu autem, Lector amice & benevole! fruere laboribus hiſce feliciter, Tuoque favore ad altiora nos excitare perge.



I.

Continuatio
CATALOGI
DNN. Collegarum Academiæ Cæsareæ Leopoldino-Carolinæ Naturæ Curiosorum
ab anno 1727. *usque ad annum* 1736. *in eandem receptorum.*

1727.

Ordo Receptionis.

398. DN. Albertus SEBA, Pharmacopæus Amstelodamensis, Societatis Regiæ Anglicanæ & Bononiensis Scientiarum & Artium Instituti atque Academiæ Sodalis. *Xenocrates.*

1728.

399. DN. Joachimus Christianus NESLERUS, Stendalio-Palæo-Marchicus, Marchion. Brandenburg. & Princip. Anhaltino-Bernburg. Consiliarius Aulicus. *Serenus II.*

400. DN. D. Casparus NEUMANNUS, Regis Boruss. Consiliar. Aulicus, Societatum Regiar. Anglicanæ & Berolinens. ut & Bononiensis Scientiarum & Artium Instituti atque Academiæ Sodalis, Professor Chymiæ & supremi Collegii Medici Berolinensis Assessor. *Synesius.*

401. DN. D. Wilhelmus Andreas KELLNERUS, Physicus Provinciails Isenacensis. *Dieuches. II.*

)()()()(402. DN.

Ordo
Receptionis.

1728.

402. DN. D. Godofredus Michael KORTUM, Medicus Bilicensis in Silesia superiore. *Sosimenes.*

403. DN. D. Johannes Jacobus JANTKE, Briga-Silesius, Comitis Palatini Solisbacensis Consiliar. & Archiater, & Physiolog. ac Pathol. Prof. Publ. in Academ. Altorfin. *Lucius.*

404. DN. D. Eberhardus David HAUBERUS, Celsiss. S. R. I. Comiti regnanti Schauenburgico ac Lippiensi â Sacris Consiliis, Comitatus ejusdem Superintendens & Ecclesiæ Stadthagensis Pastor primarius, Societat. Regiæ Berolinensis Scientiarum Sodalis. *Demostratus.*

405. DN. Ioh. Alexander DOEDERLINUS, Regiæ Borussicae Societatis Scientiar. Sodalis, & Lycei Weissenburgensis in Noricis Rector. *Clitomachus.*

406. DN. D. Ioh Fridericus HENCKELIUS; S. Regiæ Poloniarum Majestatis & Electoris Saxoniæ Collegii Metallici Consiliarius *Archægalus.*

1729.

407. DN. Philippus Iacobus WEIGANT, Philos. & Medic. Doct. Herbipolensis, & Practicus Vienensis, *Evenor.*

408. DN. D. Iohan. Iacobus NEUHOLDUS, Sac. Cæsar. & Reg. Cathol. Majestatis Medicus Provincialis & Præsidiarius Comorensis. *Apollophanes.*

409. DN. D. Christian Gottlieb MEINIG, Sereniss. Ducis Schwartzburgo-Sondershusani Consiliar. & Archiater. *Lullius.*

410. DN.

Ordo
Receptionis.

1729.

410. DN. D. Iohann. Theophilus WINDISH, Practicus Poosnienſis in Hungaria. *Hierax*.

1730.

411. DN. D. Mauritius Antonius CAPELLER, Inclytæ Reipubl. Lucernenſ. Senator & Mathem. Profeſſor, Societatis Regiæ Anglicæ Scientiarum Sodalis *Archyta Tarentinus*.

412. DN. Iohann. Henricus MULLERUS, Phyſices & Mathematum Profeſſor in Academia Altorffina. *Marcus Manilius*.

413. DN. D. Iohann Georgius HASENEST, t. t. Marchion. Brandenb. Culmbacenſ. Conſiliar. & Aulæ Medicus, Phyſicus Neoſtatii ad Ayſcham nunc Conſiliar. & Archiater Brandenburgico Onoldinus & Culmbacenſis, Phyſicus Onoldinæ Metropol. Ordinarius *Aſclapon*.

414. Dn. D. Ioh. Georgius VOGELIUS Medicus Noſocomii Straubingenſis & Phyſicus ibidem. *Theoxenus*.

415. DN. D. Iohann Maximilian. de PEITHERSBERG, Patritius & Medicus Pragenſis, nec non Collegiatus ibidem. *Acron. II.*

416. DN. D. Iohann Fridericus BOELI, Medicus Brunſuicenſis. *Cineas*.

417. DN. D. Hermannus Paulus IUCHIUS, Sac. Palat. Cæſar. Comes, Facultat. Med. Erfordienſ. Senior Pathol. atque Praxeos Prof. Publ. & Aſſeſſor Primarius, Sereniſſ. Saxon. Ducum, Vinarienſ. Iſenacenſ. & Gothani Conſiliar. Aul. & Archiater. *Philocrates*.

Ordo
Receptionis.

1730.

418. DN. D. Iohann Sebaſt. ALBRECHT, Philoſoph. natural. Prof. Publ. & Practicus Coburgenſis. *Panthemus.*

419. DN. Georgius Fridericus RICHTER, Philoſoph. Moral. & politic. in Academia Lipſienſi Prof. Publ. Ordinar. Mathematum Prof. Extraord. & Facult. Philoſoph. Adſeſſor. *Nicetas.*

1731.

420. DN. Ioannes ANDERSON, I. V. D. & Reipublicæ Hamburgenſis Conſul. *Marcus Cato.*

421. DN. Iohan. Henricus de SPREKELSEN, I. V. Licentiatus Hamburgenſis. *Antonius Caſtor.*

422. DN. Iohann. Chriſtianus WOLEIUS, Phyſices, & Poëtices in Hamburgenſi Gymnaſio Prof. Publicus. *Aratus.*

423. DN. D. Laurent. Antonius DERCUM, Profeſſor Medicinæ in Academia Herbipolenſi, nec non Præfectus Horti Medici & Medicus ordinarius Noſocomii Iulianei. *Agathinus.*

424. DN. D. Ioannes Godofredus HAHNIUS, Medicus Wratislavienſis. *Dexius.*

425. DN. D. Georg. Erhard. HAMBERGERUS, Conſiliarius Aulicus Iſenacenſis, Mathematum in Academia Ienenſi Prof. Publ. Ordinar. & Medicinæ extraordin. *Cteſibus.*

426. DN. D. Iohann. Erneſtus HEBENSTREIT, Phyſiolog. Prof. Publ. ordinar. in Academ. Lipſienſi, nec non Regiæ Maſſilienſis Academiæ Socius. *Cratévas II.*

427.

Ordo
Receptionis.

1731.

427. DN. D. Iohann. Thomas BRINIUS, Bergamensis, Philoſophus & Medicus Patavinus. *Phylagrius. II.*

428. DN. D. Iohann. Iacobus. LERCHE, Medic. Practicus in Moſcovia. *Moſchus:*

429. DN. D. Hermannus Frideric. TEICHMEYERUS, Anatom. Chirurg. ac Botan. Prof. Publ. ord. in Academ. Ienenſi, Sereniſſimor. Saxoniæ Ducnm Vinarienſ. & Iſenacenſ. Conſiliar. Aulic. & Archiater, Societat. Scientiar. Reg. Boruſſ. Sodalis *Democritus. II.*

430. DN. D. Iohan. Philippus WOLFFIUS, Practicus Suinfurtenſis. *Cleon.*

431. DN. Chriſtian Gottlieb SCHWARTZ. Comes Palatin. Cæſar. Moralium, Oratoriæ & Pœtices Profeſſ. Publ. in Academ. Altorfina; nec non Beneficiarior. Noricor. Inſpector & Societat. Reg. Berolinenſ. Scientiar. Collega. *Nigidius Figulus.*

432. DN. D. Iohann. Nicolaus WEISIUS, Anatomiæ Chirurg. Prof. Publ. in Academ Altorffina. *Agathinus. II.*

433. DN. D. Iohann. Balthaſar EHRHART, Phyſicus Memingenſis. *Lyſias.*

434. DN. D. Georg. Fridericus GUTERMANM, Phyſicus Kaufbyrenſis. *Agapetus.*

1732.

435. DN. D. Iohann. Hieronymus KNIPHOFIUS, Practicus Erffurtenſis. *Soſagoras.*

Ordo Receptionis.

1732.

436. DN. D. Johann. Petrus WAHRENDORFF, Practicus Lignitii in Silesia. *Polyidas.*

437 Dn. D. Ferdinandus Jacobus BAJERUS, Physicus & Practicus Norimbergensis. *Eugenianus II.*

438 Dn. D. Johann. Christian STOCK, Medicinæ Practicus Jenensis. *Diphilus.*

439. Dn. D. Johann. Godofredus MEYFELD, Physicus Heilbronnensis. *Moschion. II.*

1733.

440. Dn. D. Melchior Conradus CRAMERUS, Consiliarius Aulicus & Archiater Marchionis Onoldini. *Zopyrus.*

441. Dn. Andreas CELSIUS, Professor Regius Astronomiæ in Academia Upsaliensi & Societatis Regiæ Scientiarum in Svecia Secretarius. *Marcus Manilius II.*

442. Dn. Lic. Christian. Frider. JOERDENS, Physicus Curiæ Variscorum & Illustris Gymnasii ibidem Scholarcha. *Micon.*

443. Dn. D. Otto Philippus VIRDUNC ab HARDUNG, Medicinæ Practicus Bambergensis. *Melissus. II.*

444. Dn. D. Burcard David MAUCHART, Profess. Medicinæ in Academia Tübingensi & Sereniss. Ducis Würtembergens. Consiliarius & Archiater. *Pistonicus. II.*

1735.

Ordo
Receptionis.

1735.

445. Dn. D. Guilielmus Emanuel FORSTERUS, Sereniss. Marchionis Onoldini Consiliarius & Medicus Provincialis Onoldisbacensis. *Charicles. II.*

446. Dn. M. Albert Daniel MERCKLINUS, Verbi Divini Minister Fröhnstockheimensis, ditionis Herbipolensis. *Euclides II.*

447. Dn. Joannes Theophilus MICHAELIS, Præfectus Technophylacii Regio - Electoralis Dresdensis. *Achates II.*

448. DN. Georgius Leopoldus HOYERUS, J. V. D. & Advocatus Molhusinus. *Apollodorus. II.*

449. DN. D. Gerardus TABOR, Profess. Medicinæ Publ. Ordinar. in Academia Giessena, Consiliar & Archiater Hassiacus, nec non dictæ Civitatis & Præsidii in ea militaris Medicus ordinarius. *Theophilus II.*

450. DN. Johann: Joachim. LANGIUS, Mathematum Prof. Publ. Ordinar. in Regia Fridericiana, & Societatis Regiæ Borussicæ Sodalis. *Apollonius Pergæus.*

450. Petrus LEETSTROEM, Carlskoga - Wermlandus, Medicinæ Doctor & Practicus Holmiensis. *Themison.*

452. DN. Fridericus Christianus LESSERUS, Nordhusæ ad montem Mariæ Virginis Pastor & Orphanotrophei Administrator. *Aristomachus,*

173.

Ordo
Receptionis.

1736.

453. DN. D. Paulus Gottlib WERLHOF, Regis Magnæ Britanniæ Medicus Aulicus ordinarius, Practicus Hannoveranus & Societatis Regiæ Britan. Scientiar. Sodalis. *Fabianus.*

454. DN. D. Georgius Gottlob RICHTER, Consiliarius & Archiater Regis Magnæ Britanniæ, & in Regia Göttingensi Academia Medicinæ Professor Primarius. *Menecrates.*

455 DN. D. Joannes WALLASKAY, Neogrado-Pestensis, Medicinæ Practicus. *Columbus.*

456. DN. *D.* Daniel MENLOES, Mathematum Professor Regius in Academia Londinensi Scanorum, Collegii Academici Adsessor ordinarius & Facultat. Philosoph. p. t. Decanus. *Archyta Tarentinus. II.*

457. DN. *D.* Carolus HOFFMANNUS, Practicus Duderstadiensis & Statuum hujus Provinciæ Physicus ordinarius. *Dryander III.*

458. DN. D. Paulus Gerardus MOEHRING, Practicus Jeveræ Frisonum. *Diocles II.*

459. DN. *D.* Godofretus SELLIUS, Professor Juris Extraordinarius in Academia Hallensi, & Societatis Regiæ Londinensis Scientiarum Sodalis. *Anaxagoras II.*

460. Dn. D. Johann. Jacobus von DOEBELN, Medicinæ Prof. Regius in Academia Londinensi

461.

Ordo Receptionis.

Scanorum, Collegii Medici Holmiensis Adsessor & Regiæ Upsaliens. Societatis Scientiar. & litterar. Sodalis. *Demarchus.*

461. DN. D. Johann. Christoph. POHLIUS, Medicinæ Practicus Lipsiensis. *Philadelphus II.*

462. DN. D. Johann. Bernhardus de FISCHER, Comes Archiatrorum Augustissimæ Russorum Imperatricis, Cancellariæ totiusque Facultatis Medicæ Præses. *Olympus.*

463. DN. D. Johann. Justus FICKIUS, Medicinæ Practicus Jenensis. *Faustinus II.*

464. DN. D. Carolus LINNAEUS, Svecus, Medicinæ Practicus apud Amstelodamenses. *Dioscorides II.*

465. DN. Joannes Jacobus GEELHAUSEN, AA. LL. Philos. & Medic. Doct. ejusdemque in Alma Cæsar. Regiaque Universitate Carolo-Ferdinandea Pragensi Praxeos Prof. Regius Publ. ac Ordinar. *Glauco II.*

466. DN. D. Joannes Jacobus FRIED, Medicinæ Practicus Argentinensis & rei obstetriciæ Præfectus juratus. *Philomusus II.*

II

CATALOGUS.

Dominorum Collegarum hujus Academiæ, intra decennium, nempe ab anno 1726. usque ad annum 1736. demortuorum.

Ordo Receptionis.

72. DN. D. Lucas SCHROECKIUS, Academ. Nat. Cur. Præses IV. & Reipubl. Auguſtanæ phyſ. Primar. &c. † 1730. d. 3. Jan. ætat. ann. 83. Memoria Ejus extat in *Append. Volum. III. Actor. N. C. p.* 185.

102 DN. D. Joh. Adam LIMPRECHT, Practicus Berolinenſis & Acad. Nat. Curioſ. Adjunctus. † 1735. d. 27. Jul. ætat. ann. 83.

105. DN. D. Emanuel KOENIG, Medic. theoret. Prof. Publ. Baſileenſis. † 1731. d. 30. Jul. ætat. ann. 72.

118. DN. D. Michael Bernhard VALENTINI, Prof. Publ. Gieſſenſis, & Ephemerid. Academ Nat. Curioſ. Director VIII. &c. † 1729. d. 13. Mart. ætat. ann. 71.

Ordo
Receptionis.

121. DN. D. Iohann. Mauritius HOFFMANNUS, Consiliar. & Archiater Onoldinus, Ephemer. Academ. Nat. Curiosf. Director VII. † 1727. d. 31. Octobr. ætat. ann. 75. Memoria Ejus extat in *Append. Volum. II. Actor. Acad. N. C. p.* 185.

134. DN. Ioh. Conr. L. B. a BRUNN, Dominus in *Hammerstein*, Prof. Publ. Heidelbergens. Consiliar. intim. & Archiater Elector. Palatini. † 1727. d. 2. Octobr. ætat. ann. 74. Memoria Ejus extat in *Appendice hujus Voluminis, p.*

150. DN. Petrus de CHIKAC, Regis Galliæ Consiliar. & Archiater Primarius, † 1732. d. 1. Mart. ætat. ann. 71

161. DN. D. Ioann. Godofredus de BERGER, Reg. Polon. & Elect. Saxon. Consiliar. Aul. & Archiater, P. P. Wittebergens. † 1736. d. 3. Octobr. ætat. ann. 77.

172. DN. Iosephus LANZONI, Prof. Publ. & Proto-Medicus Ferrariensis., † 1731. ætat. ann. 70.

173. DN. D. Christian. VATERUS, Pathol. Prof. Publ Witteberg. nec non Consiliar. & Archiat. Anhaltinus. † 1732. d. 6. Octob. ætat. ann. 81.

190. DN. D. Georg Frider. FRANCUS de FRANCKENAU, Prof. Med. Publ. Haffniensis, & in supremo Reg. Daniæ Iustitiæ tribunali & Colleg. Consistor. Assessor. † 1732. M. Majo, ætat. ann. 62.

Ordo
Receptionis.

192. DN. D. Elias CAMERARIUS, Prof. Med. Publ. Ordinar. in Academ. Tübingensi, &c. † 1734. M. Februar. ætat. ann. 62.

219. DN. D. Iohan. Helfricus IUNGKENIUS, Physicus Francofurtensis ad Mœnum, † 1726. d. 5. Ianuar. ætat. ann. 77.

221 DN. D. Christian. Ludovicus GOECKELIUS, Consiliar. intim. & Archiat. diversor. S. R. I. Principum, & Decanus Colleg. Med. Noribergens. †. 1736. d. 23. Aug. ætat. ann. 73.

229. DN. D. Ioh. Iacobus SCHEUCHZERUS, Mathemat. Prof. Publ. Tigurinus, &c. †. 1733. d. 23. Iun. ætat. ann. 60.

234. DN. D. Wilhelm. Hulderic. WALDSCHMIDIUS, Medicin. Prof. Primarius in Academ. Kiloniensi, nec non Regii Celsissimique Principis Consiliar. Iustitiæ & Archiater. †. 1731. d. 12. Ianuar. ætat. ann. 62.

240. DN. D. David LICHTENHAHN, Archiater Ducalis Merseburgensis, † 1733. d. 10. Maj. ætat. ann. 76.

242. DN. D. Georg. Ernestus STAHLIUS, Consiliar. Aulic. & Archiater. Potentiss. Reg. Boruss. †. 1734. d. 14. Maj. ann. ætat. 75.

253. DN. D. Michael Ernestus ETMULLERUS, Patholog. Prof. Publ. in Academia Lipsiensi, Ephemerid. Academ. Nat. Curios. Director IX. &c. †. 1732. d. 25. Septemb. ann. æt. 60. Memoria ejus extat in *Appendice hujus Voluminis.*

255. DN. D. Iohann. Melchior VERDRIES, Consiliarius & Archiater Hassiacus, Prof. Medicin. Ordi-

Ordo
Receptionis.

Ordinar. Giessensis, †. 1736. d. 25. Iul. ann. ætat. 57.

258. DN. Casparus COMMELINUS, Med. Doct. & Horti Medici Amstelodamensis Botanicus. †. 1731 d. 26. Decembr. ætat. ann. 64.

266. DN. D. Fridericus RUYSCHIUS, Anatomiæ & Botanices Professor Amstelodamensis, & Societatis Scientiarum Reg. Anglicanæ Sodalis. †. 1731. d. 22. Februar. ætat. ann. 93.

268. DN. D. Godofredus KLAUNIG, Augustiss. Imperatoris Personæ & Aulæ Medicus, Practicus Wratislaviensis. †. 1731. d. 17. Ianuar. ætat. ann. 55.

270. DN. D. Ulricus Sigismund. NIMPTSCH, Practicus Wratislaviensis. †. 1726. d. 16. Decemb. ætat. ann. 54.

276. DN. D. Antonius VALLISNIERIUS, de Nobilibus de *Vallisneria*; Publicus Patavinus Medicinæ Practicæ Professor, Ill. Coll. Ven. Arcadum Romæ & Regiæ Societ. Angl. Sodalis. †. 1730.

281. DN. D. Iohan. Iacobus BAJERUS, Universitat. Altorf. Senior, Prof. Medicin. Primar. Academ. Imper. Natur. Curios. Præses V. &c. †. 1735. d. 14. Iul.c ætat. ann. 58. Memoria Ejus extat in *Appendie hujus voluminis.*

288. DN. D. Henric. HELCHER, Practicus Wratislaviensis, †. 1729. d. 30. Octob. ætat. ann. 57.

Ordo
Receptionis.

302. DN. D. Ioh. Chriſtian. THEBESIUS, Phyſicus Hirſchbergenſ. & Thermarum vicinar. †. 1732. d. 14. Novembr. ætat. ann. 64.

305. DN. D. Samuel GRASSIUS, Reipubl. Wratislav. Proto-Phyſicus, & Academ. Nat. Crioſ. *Adjunctus* † 1730. d. 29. Iun. ætat ann. 77.

322. DN. D. Chriſtian Gotthard WILISCH, Civitat. Pirnenſis Phyſicus. † 1730. d. 12. April. ætat. ann. 38

323. DN. D. Chriſtian Henric. ERNDEL, Archiater Reg. Polon. & Elector. Saxon. Practicus Warſa- vienſis & Academ. N. C. *Adjunctus*. † 1734. d. 17. Mart.

326. DN. D. Iohann. Adamus GOERITZ, Practicus Ratisbonenſis & Academ. Nat. Cur. *Adjunctus*, † 1734. d. 17. Maj. ætat. ann. 53.

342. DN. D. Iohannes KANOLDUS, Practicus Wra- tislavienſis, † 1729. d. 15. Novembr. ætat. ann. 49.

343. DN. D. Iohann. Adamus MORASCH, Conſiliar. Elector. Bavar. Prof. Medicin. & Phyſ. Primar. Ingolſtadienſ. † 1734. d. 19. Decemb. ætat. ann. 52.

355. DN. D. Iohann. Georg. KULMUS, Archiater Reg. Polon. & Elect. Saxon. Practicus Dantiſcanus. † 1731. ætat. ann. 51.

Ordo
Receptionis.

360. DN. Ioh. Henricus LINCKIUS, pharmacopæus Lipſienſis, Societ. Reg. Anglican. Scientiar. & Inſtituti Bononienſ. Sodalis, † 1734. d. 29. Octobr. ætat. ann 56.

364. DN. D. Iohann. Daniel GOHL, Societat. Scient. Berolin. Sodalis, & Phyſicus Circuli ſuperior. Barnimbenſ. Practicus Berolinenſ. † 1731. d. 2. April. ætat ann. 56.

366. DN. D. Georg. Daniel COSCHWITZ, prof. Med. Publ. Hallenſis, & Reg. Boruſſ. per Comitat. Mansfeldenſ. Phyſicus, &c. † 1729. d. 8. Maj.

371. DN. L. Immanuel Henr. GARMANNUS Archiater Regis Daniæ, † 1730. d. 26. Septemb. ann. ætat. 51.

391. DN. D. Iohan. Chriſtoph. GOETZIUS, Phyſicus & Practicus Norimbergenſ. † 1733. d. 22. Novemb. ætat. ann. 45.

395. DN. D. Iohan. Georg BRUNSCWITZIUS, Practicus Wratislavienſis, 1734. d. 2. Octobr. ætat. ann. 50.

397. DN. D. Iohan. Carolus ROSTIUS, Phyſicus ordnar. & Pract. Norimbergenſ. Sereniſſ. Magnæ Duciſſæ Etruriæ Conſiliar. Aulic. & Archiater. † 1731. d. 29. Septemb. ætat. ann. 40.

398. DN. Albertus SEBA, Pharmocopæus Amſtelodamenſis, Societat. Reg. Anglican. Bononienſ. Inſtituti Scientiarum Sodalis. † 1736. d. 1. Maj. ann. ætat. 71.

410. DN. D. Iohann. Theophilus WINDISCH, Practicus Poſonienſis in Hungaria. †

302.

Ordo
Receptionis.

412. DN. Iohann. Henricus MULLERUS, Physices & Mathemat. Prof. Publ. in Academ. Altorfina. † 1731. d. 5. Mart. ann. ætat. 60.

316. DN. D. Iohann. Frider. BOELI, Practicus Brunsuicensis, † 1733. 17. Novemb. ætat ann. 25.

Et hi sunt Celeberrimi isti Viri, quos intra decennium ereptos nobis esse, partim ex publicis, partim ex privatis Dominorum Collegarum relationibus in præsentiarum nobis constat. Quodsi forsitan alios quoque inter vivos hactenus numeratos, præter spem votumque nostrum ex hac vita migrasse inposterum comperiemus, Nomina Ipsorum Præfationi Voluminis quinti similiter annectemus.



III.

CATALOGUS ALPHABETICUS

EXCELLENTISSIMORUM VIRORUM,

Qui pro IV^to hoc Volumine Obſervationes Phyſico-Medicas communicarunt,

)()()()()(DN. D.

DN. D. Johann. Ernestus HEBENSTREIT, Prof. Medicinæ Lipsiensis, A. N. C. *Cratevas.*
p. 553.

DN. D. Ernestus Fridericus HEIMREICH, Med. Pract. A. N. C. *Arion. III.*
p. 76.

DN. D. Christianus de HELVVICH, Medicus VVratislaviensis, Academ. Nat. Cur. ADJUNCTUS d. *Empedocles.*
p. 427.

DN. D. Johann. Frider. HENCKELIUS, Seren. Reg. Maj. & Elect. Saxon. Collegii Metallici Consiliar. A. N. C. ADJUNCTUS d. *Archagatus.*
p. 313. 521.

DN. D. Daniel HOFFMANNUS, Poliater Tubingensis, A. N. C. *Niceratus.*
p. 343.

DN. D. Joh. Georg. HOYERUS, Physicus Molhusinus Primarius, A. N. C. *Apollodorus I.*
p. 115 454.

DN. Georg. Leopold. HOYERUS, J. V. D. Molhusinus, A. N. C. *Apollodorus II.*
p. 148. 378.

DN. D.

DN. D.

DN.

aut doctos ipsarum Auctores debita industriæ suæ laude defraudare, aut præmature defuncto nostro VALLISNERIO, gratam etiam post fata mentem haud declarare velle videamur.

OBSERVATIO I.
DN. D. JACOBI ANTONII de LUPIS.
De
Polypo Narium ingentis magnitudinis feliciter exstirpato.

INauditum nuper casum, inaudita proinde, ut puto, tractatum curandi ratione, Chirurgia mihi obtulit. Delitescebant nempe intra nares Virginis 18. annorum, *Mariæ Cyprianæ*, non Polypus, communi sententia, nec Sarcoma, excrescentiis extra nares non propendentibus, ut nonnullis placet, sed innumeri fere Polypi, æqualiter fortasse numero, inæqualiter mole situque distributi, utrinque scilicet intus vacuum nasi totum obsidentes, meatusque ad fauces directos penitus occludentes, aërisque transitum ac muci descensum intercipientes, ita ut respirationi, loquelæ & deglutitioni grauiter officerent. Labia similiter tumidiora exulcerabantur, eoque res jam - jam redacta videbatur, ut suffocatio immineret, inprimis cum sæpius admoto igne curatio frustra hactenus tentata fuisset; unde auxiliis fere omnibus Medicisque penitus destituta erat miserrima ægra, quæ tamen his non obstantibus, & amissa licet omni spe restitutionis, opem quærere non desiit, ubicunque ratio suaserat, eam posse reperiri. Pulsavit ergo Medicorum nonnullorum fores, sed non nisi tristissima audivit solatia; consuluit Oracula Patavina, ast nihil aliud obtinuit, præter judicium, ægritudinem suam insanabilem fore,

re, nec à quoquam attingendam. Postremo & meo se sistit obtutui, quomodocunque possem, eidem ut opitularer, enixissime rogitans. Considerata & penitius examinata excrescentiæ hujus indole, cernensque nihil obstare, quo minus exstirpatione tuto negotium absolvi queat, iis, quæ ad corpus disponendum requiri videbantur, præmissis, observatisque observandis, audacter id negotii aggressus sum. Parte igitur magis obvia unius Polypi naris dextræ mediante anserino rostro arrepta, firmiterque cochlea, qua munitum est instrumentum, constricta, vertendo magnam ejusdem portionem, ê narium cavitate propendentem, extraxi, levi saltem subsequente hæmorrhagia, qua mitigata & reliquis opportune peractis, complementum exstirpationis in proximum differebatur diem: In obscuro namque posita res & illud sperare, nec aliud agere permittebat. Hinc luce adventantis diei vivide clarescente, cum expectatum repentinum auxilium, ægris jucundum medentibusque gratum, in hujusmodi casibus oriri solitum, apertio videlicet viæ, transitum aëri concedentis, cum pedissequa respirandi libertate, non contingeret, curiosius in causam inquirere non omisi. Accusabatur alter oculis objectus polypus, nasi septo convexus, quemque supra dicta ratione, sed reiterata aggressione, frustulatim tandem evellebam, nondum tamen sperato & exoptato insequente effectu. Obstupescebam, quod transitu isto penitus repurgato, nondum liberior aëri concederetur ingressus ac regressus, cum tamen illa nasi pars ab omni antea ipsam obturante excrescentia perfecte liberata fuerit. Tandem mediante stylo quodammodo incurvato, & fortioris in- & exspirationis actu repetito, deprehendebam impedimentum illud delitescere in meatu ad fauces ducente, quod tamen cum modo allegato rostro anserino nullo modo amoveri posse, ob incommodam ejus figuram & magnitudinem,

probe ſtatim perſpexi. Conſilio ergo in arena capto, cum aliud quoddam inſtrumentum adhuc in promptu haberem, forcipis inſtar fabrefactum, longiuſculis exilibusque brachiis prædítum, quorum extremitates in capita ſemi-cylindrica intus cava, & ea parte, quâ concurrebant, orbiculatim incidentia, deſinebant, & ſi debite juncta erant, vix magnitudine pineolum ex ſuperabant, ſimul vero apta erant ad extemplo recidendum, quicquid carnis apprehenderent; hoc ad perficiendam hancce operationem ſtudioſe arripui, & quoniam patiens afflicta inſtrumentum hocce, ſub blando impulſu, fere ad extremitatem ductus naſalis introduci permittebat, facile ſub alternata brachiorum ejusdem capitumve apertione & compreſſione, intruſione & retractione, tandem apprehendebatur & extrahebatur Polypus diſtinctus. mole poſtremum digíti minimi exæquans internodium, qui circa fauces implantatus erat, ægrâ abinde confeſtim libere reſpirante. Poſtquam itaque magno labore nec minori induſtria repurgata fuit hæc narium regio â polypoſis excreſcentiis, ad alteram acceſſi, ſimili Polyporum ordine & numero obſeſſam, ſimilique propterea operatione indigentem. Huic perficiendæ egregie itidem inſerviit ultimum inſtrumentum, quocum íſtæ concretiones feliciter quidem, ſed per intervalla, modo longiora, modo breviora, prout neceſſitas exigebat, tandem removebantur; quoniam ibidem aër fortius in- & exſpiratus, corpora iſta hinc & inde commovens, ſonitum edebat ad inſtar vexillorum exagitatorum. Inſumpti autem ſunt plures menſes in abſolvenda feliciter hac difficillima curatione, ac pauciſſima ſaltem externa remedia, ad inſignem iſtam carnis luxuriem amovendam, in ſubſidium tracta, quam, ſi tota ejus compages ſimul extrahi potuiſſet, ad minimum mediocre ovum gallinaceum mole ſua æquaſſe, adſeverare poſſum. De reliquo ægra laudabili

fruitur

fruitur ſanitate, pro qua plenarie reſtituenda ac conſervanda quid ulterius â me factum fuerit, lubens nunc omitto, ne videar exiliores minutias curioſe nimis perſequi, ſiquidem etiam eandem ob cauſam teſtes innumeros allegare vereor, qui curioſitate partim, partim etiam chriſtiano ducti amore, ſucceſſum operationis exacte obſervarunt: Jubet enim æquitas vela contrahere, ne plus, quam par eſt, Tua, Vir Illuſtris, abuti videar patientia. Quodſi autem de hoc quadantenus ad minimum memorabili caſu, judicium Tuum doctiſſimum mihi aperire, atque num & alii huic ſimiles Tibi conſtent, aut quisquam forte, ad Polypos ê faucium confiniis per nares evellendos extrahendosque, ſimili, quod ruditer ſaltem deſcripſi, uſus fuerit inſtrumento, indicare Tibi placuerit, rem ſane facies mihi gratiſſimam, Tuaque humanitate omnino digniſſimam.

SCHOLION.

HAbent utique omnes fere excreſcentiæ præternaturales, ſpeciatim autem polypoſæ molliores, intra nares interdum progerminantes, hoc quaſi proprium, quod, carnis luxuriantis ad inſtar, plerumque intra breve admodum temporis ſpatium in molem ſat magnam excreſcant & augeantur, ob majorem nempe ſub illarum generatione ordinarie concurrentem humorum nutritiorum quadantenus licet depravatorum, affluxum & ſtagnationem intra ſpecialem quandam regionem & partem: Quamdiu enim legitima & proportionata totius corporis viget nutritio, tam augmentatoria, quam conſervatoria, tamdiu etiam laudabiles lymphatici humores in qualibet parte tanta minimum quantitate adponi debent, quantam cujuslibet illarum vel incrementum proportionatum, vel, ceſſante augmentatione, debita conſervatio poſtulat, ſuperfluum autem par-

 tim

tim per vaſa reducentia ulterius propellatur, partim per tranſpirationem abſumatur. Quodſi vero naturalis iſte invertatur ordo, & modo nominati nutritii humores juſto copioſius ad partem aliquam adfluant, nec tamen portio ſuperflua per vias ordinarias aliunde ablegetur & refluat, tunc diutius ibidem reſtagnando communiter vitiatam craſſin nanciſcuntur, ſicque dein augmentatio erronea & præternaturalis fibrillarum emergit, dum nimirum hæ, unacum tenerioribus quibusdam intercurrentibus ſanguiferis vaſculis, ſic magis magisue relaxantur, intumeſcunt & ampliantur, dictaque vaſcula dilatata inſimul ex orificiis ſuis ampliatis non ſolum in majori, quam par eſt, copia humores deponunt, ſed & quoniam inſimul hæcce oſtiola â naturali figura quam longiſſime recedunt, omnis generis humores transmittunt, qui poſtmodum in partium adjacentium cedunt nutrimentum, vitioſamque augmentationem producunt, ut modo membranaceam, modo carneam, modo etiam cartilagineam exhibeant ſubſtantiam iſtiusmodi narium Polypi, ac verſus foramen palati, vel narium extenſi atque progreſſi, citius vel tardius majorem nanciſcantur molem, prout nempe laxior, vel ſtrictior fibrarum compages plus aut minus nutrimenti admittit. Figuram autem ſingularem & non raro admodum diverſam hi ipſi Polypi obtinere videntur â glanduloſis portionibus, corpus illorum quoad maximam partem conſtituentibus; quippe quarum notabilem copiam ſub membrana pituitaria deliteſcere obſervavit & demonſtravit Clariſſ. STENO *Obſervat. anatom. de oris, oculor. & nar. vaſ. p. 105.* Hæ ipſæ enim, ob poroſitatem ſuam non ſolum facillime ampliantur, &, quia quælibet propria gaudet peripheria, optime extolli poſſunt, absque ulla vicinarum partium læſione, quippe cum quibus non niſi vaſorum & nervorum ope cohærent, ſed &, dum ipſarum modo plures, modo

paucio-

pauciores, diverſæ magnitudinis ac figuræ, inter ſe intimius coaleſcunt, diverſam Polypo ſtructuram ac formam conciliant, qui dein mediantibus prædictis vaſculis & nervulis, in qualibet glanduloſarum iſtarum portionum occurrentibus, & ſub vitioſa harum augmentatione, ob molem ſimul auctam, magis extenſis, cum ſubjacentibus partibus cohærent, ſuasque abinde radices, aut ita dictos pedes, vel petiolos obtinent, nec prius penitus tolli & extirpari poſſunt, quam his ipſis caute ligatis, evulſis aut alia ratione ablatis. Nec mirum igitur, nec rarum eſt, Polypos narium, ſi præſertim diutius geſtati & quieti relicti fuerint, in ſatis magnam, imo deſcripto in hac Obſervatione adhuc majorem & fere ſtupendam molem excreſcere, qualem inprimis Celeberrimus ALBINUS, *in Diſſ. de Polypis* § *XXI.* ſe vidiſſe refert, qui totum palatum deprimebat, ut uvula inter primores dentes propenderet, â quo etiam æger, Chirurgiam admittere recuſans, brevi ſuffocatus fuit; quorſum etiam is pertinere videtur, quem TULPIUS *Obſerv. medic. Lib. I. Cap. XXVI.* deſcripſit, quod narem utramque obturaverit, & ad guttur usque penetraverit, inſimulque octonis pedibus, ſeu radicibus, pyrorum inſtar â tereti petiolo incipientibus & continuum ſuffocationis metum inferentibus, præditus fuerit. Confer. *Marc. Aurel.* SEVERINVS *Pyrotechn. Chirurg. Lib. II. cap. 57. p. 254.* & BARTHOLINI *Acta Hafnienſ. Ann. 1671. & 1672. Obſ. 6.* De reliquo quoad curationem negandum equidem non eſt, quod ad removendas Polypi hujus reliquias, in foramine palati deliteſcentes, vix unquam tale inſtrumentum adhibitum fuerit, quale in hac Obſervatione deſcriptum occurrit; ſimilia autem & parum ab eodem diſcrepantia olim in uſum vocata fuiſſe & adhuc uſurpari, vel exinde concludere licebit, quod ab inſtrumento illo incurvo, ad modum Lunæ nondum completæ parato, cujus delineationem

tionam ANDREAS â CRUCE, *Lib. VII.* de Inſtrumentis, deſcriptionem autem & adhibendi modum GLANDORPIUS *de Polyp. cap. 14.* ſuppeditavit., aut â roſtro illo gruino, in angulum obtuſum directo, pariter ad extrahendum Polypum circa fauces hærentem commendato, & â SCULTETO *Tab. IX. fig. 10. & Tab. 12. fig. 3.* delineato parum vel nihil differre videatur.

(A. E. Büchnerus.)

OBSERVATIO II.

D. CAROLI JOSEPHI de GEORGIIS.

Puerperæ primiparæ, uteri inflammatione cum acuta febre, inteſtinorum levitate & lochiorum ſuppreſſione correptæ, per diarrhoeam vero tandem ſanatæ, hiſtoria & curatio.

HOneſtiſſima mulier, Excellentiſſimo Domino Angelo de ****. pridem nupta, ætate bis denum vix annum ſupergreſſa, temperamento, ut ajunt, lymphatico, habitu corporis mediocri, prædita, in conjugio iſto prægnans facta, continuo per id tempus vomendi vexata ſtimulo, â paſtu præcipue, poſtremis geſtationis menſibus aliquantulum remittente, alvo vero ſemper ſicca & non niſi clyſterum uſu emollita. Poſt perpeſſa tandem per trium horarum ſpatium ventris tormina & crebriores, inſtante præprimis partu prægnantes vexare ſolitos egerendi conatus, hora tertia veſpertina diei 25. Menſ. Martii vitalem enixa eſt fœtum, iis omnibus, quæ facilem excipere ſolent partum ritè ſuccedentibus: Ex quo, quæ â perita & artem

bene

bene callente obstetrice peragi solent, peractis, lecto restituta, moderate fluentibus lochiis, reliquum noctis & succedentem diem integrum quieta transegit, accurata interim victus ratione & cæterarum non-naturalium rerum congruo usu, adhibitis. Vespere autem ineunte & prægressi partus hora redeunte, dolores in imo ventre hinc illinc paulatim excitari, sensim inde sensimque crescere, octava vero noctis hora ad summum evehi & in media epigastrii regione subsistere observavit. His itaque plus æquo vexata infelix puerpera opemque exposcens, accurrens obstetrix anodynum & emollientem clysterem injecit, ex jusculo pingui cum sacchari aliquantulo & oleo cheirino paratum: Ventrem insuper manibus oleo prædicto madidis, levibus, circa umbilicum præcipue excitatis frictionibus & calentibus linteis fovet. Ex his levari paululum ægram & dolores ad meridiem usque remittere, â prandio vero iterum recrudescere observabantur, unde accersitus, die â partu secunda & hora ab ineunte morbo vigesima tertia, ægram invisens, jacentem in lecto eam reperio querulam, pallentem vultu, laxam & aliqualiter sitibundam. Pulsus erat frequens & æqualis, & mollis, lingua nec arida, nec aspera, caput leviter dolens, respiratio facilis, corporis calor ad tactum temperatus, lochia quantitate non multa, qualitate tamen non prava; lotium quale & quantum, utpote lochiis confusum, non licuit deprehendere; alvi dejectio â rejecto clysmate pauca. In abdomine musculorum aliqualis tensio, molestus, vel levi manu contrectato, dolor, & quasi dilanians internarum partium distractio, ad lumbos præcipue & hypochondria extensa, unacum inæquali sphærici quasi corporis prominentia, in hypogastrica & pubis regione occurrente, observabantur. Suspicatus itaque, perpensis omnibus, ad symptoma melius, Puerperarum tormina dici solitum, quam ad morbum & immi-

minentem dictarum partium inflammationem, cujus adhuc præcipua deerant signa, referendum id esse; hinc, ut & temporis opportunitate, & remediorum usu certior de his fierem, ac in ancipiti casu desumtæ insuper â juvantibus & lædentibus suppeterent indicationes, ad paregorica mitiora, cum interna, tum externa confugio. Hora igitur vigesima quarta haustulum aquæ violarum tepidiusculæ, ad octo unciarum pondus, cum superadditis guttulis decem Laudani liquidi Sydenhamii, propinandum exhibui; dein clysterem ex vaccino lacte cum conquassatis binis recentium ovorum vitellis & oleo Cheirino paravi ac paulo post moderate calidum injici jussi. Topica pariter externe adhibita fuerunt, fomentum videlicet anodynum, quod abdominis regioni cum spongiis, calenti decocto, ex herba & radicibus Malvæ, nec non herba & floribus Violariæ parato, imbutis, applicari, & sæpius, ne frigesceret, reiterari curavi. Largas interim potiones ex jure pulli gallinacei junioris paratas, & victum tenuissimum, non tamen Hippocraticum, ex sola ptisana, sed ex panatellis & ovis sorbilibus conflatum, præscripsi. Aromatica insuper qualiacunque, omnemque vini usum, qualia, in hisce præsertim casibus, incautis & stultis mulierculis ad sedandos, ut ajunt, vere ridiculos iratæ matricis morsus, in usu sunt, prorsus interdixi. Factum exinde est, ut symptomata paulo mitiora & aliqualis quies ad octavam usque noctis horam accesserit. Matutino autem tempore omnia reviviscunt & versus meridiem exasperantur: aucta febris, sitis, dolores tum supremi cum imi ventris, imminuta lochia & pallide colorata. Inducto hinc in animum futuræ inflammationis metu, uxorem mihi amicissimam monui, ut quam citissime alium quendam doctissimum Virum in consilium simul vocaret, quem pro mea tenuitate in tanto periculo comitem mihi expetebam; Chirurgum insuper in parva

hac temporis mora pariter accersiri curaret, ne data & præceps occasio mittendi sanguinem, quam secundus morbi dies subministrabat exoptatissimam, turpiter elaberetur.

Adventante igitur Viro Experientissimo, Dn. Thoma ****. & pro sua ut in omnes summa, in me certe singulari beneuolentia animique candore, recte, nec amethodice ad id usqué temporis peracta probante, ægrâ salutatâ, propositam sanguinis missionem ê saphæna confirmavit. Detractus propterea sanguis ê malleolo dextro ad uncias decem, pauco sero, compacta fibra, colore coccineo conspicuus. Iteratus etiam circa vesperam clyster, ê puro lacte paratus, repetita insimul fomenta supra dicta, aut eorum loco omentum vervecinum, oleo rosaceo calenti intinctum, alternative adhibitum. Potiones ex jure pulli gallinacei jam exhibitæ, utpote quæ in hisce casibus aquis quibuslibet magis consentaneæ, itidem probatæ, usu solum seri caprini & aquæ violarum in posterum adjecto; victus ratio eadem. Proxima nocte vigiliæ, jectigationes, deliria blanda, sitis & suppressa quasi lochia subsequebantur. Die tertio febris ardens, pulsus durus, tensio abdominis, dolores punctorii & lancinantes, vomendi stimulus & singultum simulans sicca tussis. Crebriores hinc coxarum & crurum, manibus aqua Rosarum calente madidis, institutæ frictiones; injectus clyster uterinus & spongia emolliente calido decocto madefacta regioni pubis applicata. Vesperi iteratur phlebotomia ê dicta vena ad uncias sex, sanguis qualitate priori respondet. Nocte sudores symptomatici, blanda deliria, urina pauca & rubra, lochia nulla, diarrhoea copiosa, febris colliquativa adparebant. Mane, quarto videlicet die, lingua arida, aspera, mammæ nullatenus duræ ac frigidæ, sed molles atque calentes, pulsus frequens, celer & parvus. Toto die largis potionibus, fri-

ctionibus inferiorum & fomentis insistebatur, iterato circa vesperam enemate; nocte iterum vigiliæ, linteorum projectiones, prædicta ad tussim & vomitum incitamenta, pertinax & mordax diarrhoea cum crebro quandoque & inani egerendi conatu, seu tenesmo, comitata. Mane, quinto scilicet die, iteratur clyster ex aqua hordei chalybeata, cum recenti ovo conquassato, inducto metu, ne ex lacte hucusque parata enemata, ob moram, in læsis intestinis, acorem contrahant, & symptoma tam exitiale adaugeant, noxium potius ejus usum ægra ipsa accusante. Hoc facto paululum refici visa est, & dolores mitigari cœperunt, præcipue in imo ventre, qui uterum spectarunt, utpote penitus nunc occlusum & in sese, prout externo tactu percipi poterat, contractum. Nocte pejora omnia, ut & sexto pariter die, in quo crebriores alvi dejectiones, chylosum quasi succum, vel lacteum concretum, in graveolente & ad instar fusi sulphuris flavo-luteo latice natantem, simulantes, ita ut, qui primo loco uterum & adnexas partes obsedisse videbatur vitiosus humor, facta metastasi ad colon & rectum intestina translatus esse videretur. Septimo die melius omnia & octavo ad meridiem usque, utero nihil amplius excernente, nec mammis ullatenus turgentibus, patula solum per anum via, eaque solitis cruciatibus & inanibus quandoque egerendi conatibus afflicta. Hora proinde diei vigesima, quod præcedentibus remissum valde & incertis horis adparuerat, extemplo frigus extremorum, corporis universi horripilatio, & artuum inde ac dentium concussio subsecuta. Hæc omnia unius horæ spatio durabant, iisque calor, modum tamen non excedens, & per totam noctem durans sudor copiosus & sitis magna succedebant. Nono die plura egerit alvo, supra descriptis qualitate respondentia. Pulsus frequens, sed aliquantulum remissus; urgent vigiliæ, tenesmus. Ineunte

nocte

nocte clyster injicitur ex aqua hordei chalybeata cum expressa ejusdem pulpa, superadditis in ebullitione papaveris albi capitibus. Quievit inde plurimum & per horas octo nihil alvo egessit. Decimo & undecimo die melius habuit, alvi dejectiones copiosæ, minus tamen molestæ & odore graves. Duodecimo die eodem feliciter usa est enemate, plurimumque quievit. Decimo tertio febris mitior, coctionis in urina manifesta signa omnia leniora; alvo egerit liquida, sed parciora, sicque decimo quarto die judicatus est morbus & febris soluta. Usu tandem radicis Ipecacuannæ per clysteres non neglecto, durante in diem usque vigesimum salutari diarrhoea, in integrum, adsistente diuina gratia, restituta est.

SCHOLION.

MEnsium pariter, ac lochiorum defectum non raro per alios sponte excitatos fluxus, inprimis autem diarrhoeam, suppleri, hujusque ope dein simul grauiora illa talem suppressionem communiter excipientia pathemata feliciter removeri, per experientiam notum jam jam est. Hinc GERBEZIUS *Ephemerid. Academiæ nostræ Decur. III. Ann. I. Observat. 72.* ubi de rara solutione epilepsiæ in gravida & suppressionis lochiorum in eadem postmodum abortiente agit, optime monet, si præsente qualicunque alia excretione lochia procurari non possint, eorum revocationi non multum esse insistendum, neque tamen etiam fluxum ipsum vicarium, sive diarrhoea ille sit, sive dysenteria, & quidem hac ultima præsente, multo minus adstringentibus esse sistendum, sed potius, ne interim deterius quid inducat, solis abstergentibus & anodynis (mitissimis tamen) tractandum. Sic etiam dubio procul vix adeo faustum & exoptatum ab in- & externo usu olei Jovis Anglici, in

ſuppreſſione lochiorum, enormi ſingultu gravibusque ſuffocationibus & convulſionibus hyſtericis ſtipata, obtinuiſſet effectum Dn. D. KHERNIUS, niſi brevi poſt ejus aſſumtionem & applicationem, ſpatio unius horæ, ingentem ſaburram materiæ cinericeæ fœtidiſſimæ & frigidiſſimæ quaternis vicibus ægra dejeciſſet. Vid. *Ephemerid. allegata Decur. III. Ann. II. Obſerv. 56.* De menſtruo alvi profluvio, defectum menſium feliciter ſupplente, videatur *Decur. II. Ann. X. Obſ. 193.* quorſum etiam notabilis illa pertinet Obſervatio, in *eadem Decuria, Anno V. p. 303.* recenſita, de fœmina, ſub qualibet ingravidatione, ſingulis menſibus vehementiorem ac diuturnam diarrhoeam torminoſam cum euphoria ſemper ſuſtinente. Demonſtrant ergo hæ plures ve hujus commatis obſervationes, quantum emolumenti non raro in menſium & lochiorum ſuppreſſione â tempeſtivo & legitimo laxantium uſu in Praxi expectare liceat.

(A. E. Büchnerus.)

OBSERVATIO III.

DN. D. DIEGO REVIGLIAS.

De

Culicum generatione.

CRudeliſſime hac æſtate â parvulo & audaci quodam animalculorum infeſtabamur genere, quæ Latinis *Culices*, Romanis autem ni fallor *Saraniche* audiunt & ab ALBERTO MAGNO definiuntur, quod ſint *Vermes minuti, volantes, oblongis cruribus & aculeis* &c. Horum petulantia curioſitati meæ calcar addebat, in illorum corporum ſtructuram non minus, quam vivendi rationem, pau-

paulo curatius inquirendi. Quamobrem quædam illorum microſcopio incluſi, & contemplatione ſubtiliſſimorum & ferme inviſibilium membrorum, in ſummitate longis pilis obſitorum, inſtituta, varietatem in illis notatu maxime dignam inveni, quæ mihi de duplici iſtorum ſpecie ſuſpicandi anſam præbebat. Quædam erant ad volandum multo agiliora & promptiora, utpote quibus erat corpus graciliſſimum, non admodum turgidum & ſanguine repletum ſicuti cæteris, quæ, utpote magis craſſa, carnoſa & vivaciora, magnam illius partem, per ſubtiliſſimam ventris cutem facile transparentem, in ſe continebant. Maxima igitur differentia occurrebat in extremitate corporis eorundem, quæ in ſatis paſtis & craſſis videbatur obtuſa & quaſi rotunda, in reliquis e contrario in tres uncos hamatos terminabatur, quorum duo ſuperiores deorſum & unus inferior ſurſum verſus retorti erant, conjunctim vero retinaculum quoddam formabant, quod pro animalculi arbitrio conſtringi & extendi poterat. Ut autem certius, unde ejusmodi partium diſſimilitudo originem duceret, cognoſcerem, meam ad magis ſerium ſcrutinium revocabam attentionem, nec adeo infelici ſucceſſu. Deprehendi enim non ſolum inopinato horum animalculorum duo inter ſe unita actumque venereum exercentia, ſed & inſimul eadem microſcopio includendi, ac per dimidiæ horulæ ſpatium maritalis hujus commercii ſpectatorem agendi facultas mihi dabatur. Quodlibet eorundem per partes poſteriores ſocio erat unitum, eo, qui de camelis refertur, modo. Extremitas corporis iſtius animalis, de quo dixi, quod ipſi eſſet rotunda, erat immiſſa alterius retinàculo, ſed ita arcte conſtricto, ut, quum multo infirmior & gracilior huc illucque tracta eſſet, pro lubitu alterius haud relaxari poſſe videretur. Statim ergo exinde apparebat, ſupra memoratam diverſitatem extremitatis corporum non ſpeciei

ciei ſed ſexui adſcribendam eſſe, hincque concludebam, quod tres illi unci hamati inſerviant ad inſtar vaginæ uteri fœmellæ pro genitalibus maſculi recipiendis. Aſſervabam dein captivos hoſce uſque dum fame peribant, id quod etiam brevi poſt eveniebat, fœmina initio ſeptimi, & maſculo poſt diem demum decimum decedente. Cum ergo dein membra horum parvulorum cadaverum oculis attentioribus perluſtrarem & quaſi anatomiæ ſubjicerem, in eo ipſo, quo adhuc incluſa demortua erant microſcopio, minutiſſimum obſervabam vermiculum, qui cum ineffabili celeritate intra carceris ſui limites hinc inde diſcurrebat; corpore erat albo & pellucido; oculi erant viſibiles & nigri, quemadmodum & magna pars caudæ nigra videbatur. Erat quoque totus pilis obſitus & inſtar aliorum vermium pluribus nodis diſtinctus, adeo tamen tenuis & ſubtilis texturæ, ut, quum eundem ad naturalem magnitudinem explorandam quodammodo extendere conarer, quaſi inviſibilis apparuerit. Multi hujus novi partus aderant teſtes & ſpectatores & inter hos etiam Dn. Marchio *Vbertinus*, qui ſimul Auctor ſuaſorque mihi fuit, ut conſignatam hanc obſervationem ejusque eventum cum aliis curioſis communicarem. Pulchro igitur hocce meo vermiculo denuo carceri ſuo incluſo, attentus non ſine magna tamen anxietate, expectabam ejus metamorphoſin, ut adnotarem, quot dies ad ſuam chryſalidem, *) quotque ad exitum

*) Genus hoc Vermium transformatorum Celeberr. MENTZELIS in *Ephemeridibus noſtris, Dec. II. Ann. III. Obſerv. XLII.* potius ἴνδαλμα, ſive ſpeciem aut imaginem futuri animalis perfectioris, quam χρυσάλιδα vocandum eſſe cenſet; quoniam raro vermes ſic transmutati aureum talem ſplendorem â quo denominatio hæc deſumta eſſe videtur, exhiberent, qualis in papilionis albi ſimulacro ordinarie obſervatur, ut plurimum vero, tam immoti, quam

tum requirerentur; aſt brevi poſt eundem non amplius reperiebam. Forſitan nimia illius tenuitas per inviſibile quoddam microſcopii foramen, aufugiendi occaſionem ſubminiſtravit, aut quidam me abſente, eidem ex improviſo libertatem impertitus fuit. Interim licet inopinata hæc fuga optatam mihi ademerit voluptatem, totam hanc obſervationem ad finem perducendi, nihilominus tamen indubitata exinde eliciendi conſectaria ſuppeditavit, quorum primum erat: Etiam in hiſce animalculis hypotheſin illam de generatione ex ovo confirmari: Inſuper quoque ex illorum metamorphoſi palam fieri, quod prius vermes ſint, quam inſecta volatilia evadant, quodque tandem ſubitanea extricatione ex ovulo prodeant, unde nonnunquam paucorum dierum intervallo horum humanæ quietis inimicorum numerus ad ſtupendam multitudinem excreſcens deprehenditur. Pluribus jam ſuperſedeo inquirere, quomodo tam parvæ molis animalcula, tantam ſanguinis quantitatem, prout jam multis ſatis demonſtratum eſt experimentis, exſugere poſſint? miratu ſane digniſſimum videtur, quod ſubtiliſſimum illorum roſtrum, in modum cannæ, ſeu arundinis, neceſſario excavatum, quanquam pertenue & ſatis longum ſit, cuticulam tamen hominis adeo facile perforare queat; id quod aliter haud poſſe fieri judico, quin extremæ illius roſtri, ſeu tubæ partes ſe conſtringant & uniant in modum cuſpidis, ut ita introitum in cutem ſibi faciliorem reddant; quia ſi tuba aperta intraret, non perforaret membranam iſtam, ſed fomaret circulum, in cujus medio adhuc libera illæſa maneret cuticula. Hoc licet præſuppoſito, haud exigua tamen adhæc ſupereſſe videtur difficultas, demonſtrandi nimirum,

quam moti & pedibus præditi, formam animalis regenerandi & futuri adumbrarent.

quomodo, ſi tuba intra cutem immiſſa eſt, parvulo huic animalculo vires, de novo illam extendendi, ſuppetant. Suſpicabar prius, adeſſe forſitan muſculum quendam, qui cum ſuo ventre cinctus, haberet caput in extremitate ipſa, ut (ſeſe contrahendo) aperturam ſufficientem facere poſſet, quo poſtea, dilatato etiam puſilli inſecti thorace, per extrinſecam aëris preſſionem, ſanguis per fiſtulam facile adſcendere, & intra corpuſculum huius inſecti tranſire valeat. Majori autem cum attentione promuſcidem ſive roſtellum illud cavum examinandum ſuſcipiens, ſubtiliſſimum obſervare mihi videbar nervum, qui directe ex inferiori gulæ parte procedens, in longitudine cum cannula iſta excurrebat, ac tandem eidem verſus extremitatem quaſi ſe inſerebat, prouti ex figura, quam reliquis adjectam transmitto, perſpicere licebit, unde concludendum tandem eſt, hunc minutiſſimum tendinem eum in finem adeſſe, ut promuſcidem cuticulæ humanæ immiſſam aperiat. Alias non minoris momenti conſiderationes jam omitto, ne Lectorum curioſorum abutar patientia. Unicum ſaltem adhuc addens, figuras vermis, vel a latere vel in dorſo conſiderati, multo majori forma eſſe repræſentatas, quam ordinariæ parentum maris nempe & fœminæ; Sicuti etiam multo majoribus lineis expreſſa eſt tuba Fig. 5. repræſentata.

Fig. 1. Tab. I. repræſentat culicem fœmellam.
- - 2. Culicem maſculum quodammodo grandiorem.
- - 3. Vermiculum poſt culicum congreſſum prognatum.
- - 4. Eundem prout in dorſo apparet.
- - 5. Roſtrum, ſeu tuba culicis cum annexo nervulo a a. pro perforanda cuticula.

(E. Monaſterio S. Sabini Placent. Patavium miſſa d. 4. Marc. 1728.)

SCHO-

SCHOLION.

SI, juxta PLINIUM, *rerum Natura nusquam magis, quam in minimis, tota est*, utique etiam speculatio circa res alioquin inter abjectissimas relatas, & inprimis circa insecta minima instituta, vix minorem merebitur laudem & demonstrabit utilitatem, quam quæ circa maxima & stupenda occupata est corpora. Hinc quoque jam olim veneranda Antiquitas simili fere studio & vastissimam terræ belluam, Elephantum puta, & ipsa exigua reptilia pariter ac volatilia insecta, ne ipsis quidem *Culicibus* exceptis, considerare, illarumque naturam & indolem rimari allaboravit, quanquam circa ea maxime, quæ ad horum generationem & propagationem spectant, ob defectum necessariorum pro scrutinio tali instrumentorum, posteris complura adhuc exactius indaganda relinquere coacta fuerit. Sic, licet experientia illos docuerit, quod *Culices* ex aquis & lignis putridis, aceto, nive, &c. prognascantur, imo licet ipse ARISTOTELES prout *Lib. V. Histor. animal. cap. 19.* refert, ex vermiculis rubicundis eosdem produci observaverit, genuinum tamen productionis modum penitus ignorarunt, inque varias circa eundem sententias abierunt, adeo, ut etiam PLINIUS, ATHANASIUS KIRCHERUS, & cum his permulti alii, speciem hancce insectorum non nisi æquivoca generatione procreari autumaverint, horumque dein sententiam JONSTONUS *Histor. nat. de Insectis*, ex eo corroboraverit, quoniam culices ad instar aliorum insectorum, fœcundo congressu se se propagantium, nunquam coire, ex sufficientis experientiæ defectu, adstruxit. Contrarium autem, & quod eorundem generatio & propagatio itidem per ovula fiat, varii seduli Naturæ ministri & scrutatores, inprimis autem MONFETUS PIERIUS,

 BRUIE-

BRUIERUS, WOLFFIUS, WAGNERUS in Ephemeridibus nostris *Decur. II. Ann. III. Observ. 188.* & BARTHIVS in *Miscellaneis meis Phys. Med. Mathemat. Anno 1727. M. Majo Class. IV. Artic. 4.* sufficienter demonstratum dederunt, quorum relationes cum observatione hac conferri merentur, eique pluribus in circumstantiis lucem affundent, ac speciatim demonstrabunt, quod subtilissimus iste nervus, quem Clariss. Auctor propterea fabricatum esse credidit, ut rostellum hujus insecti tubulatum, intra cuticulam depressum, iterum aperiat, proprie linguæ locum suppleat, cujus beneficio illud sanguinem attrahere & quasi exsugere valet.

(A. E. Büchnerus.)

OBSERVATIO IV.

DN. D. LAURENTII MANENTI.

De

Vermibus humani corporis per urinam excretis.

Octo jam, & quod excurrit, præterlapsi sunt anni, quum ad fœminam juvenem, maritatam quidem, ast hucusque sterilem in villa parum ab hoc loco distante accersitus fui, quæ per plures dies pertinacissima alvi obstructione ita fuerat afflicta, ut omnia medicamenta resolventia, clysteres, fomenta, balnea, &c. frustra & in cassum adhiberentur, quo factum est, ut ægrota, accedente fœtidæ materiæ per vomitum ejectione, in miserrimum redigeretur statum. Periculum igitur feci, eique, ut octo Mercurii vivi degluciat uncias, auctor suasorque extiti, a quo etiam intra breve temporis spatium, durissimis, quæ in inte-

in inteſtinis induratæ hærebant, fecibus propulſis, obſtaculum & cauſa mali materialis ê medio tollebantur, & miſere languens faucibus mortis eripiebatur. Menſe circiter poſt hanc tragœdiam elapſo, illa mihi obviam facta eſt perfectiſſima gaudens valetudine, ſimul vero referens, ſe paucos ante dies per vias urinarias quinque vermes emiſiſſe, & quidem duos primo, tres autem ſubſequenti die, quorum ante exitum dolorem maxime moleſtum in regione veſicæ perpeſſa eſſet, qui vermes (juxta ejus deſcriptionem) craſſitie filum ordinarium, longitudine digitum minimum æquabant. Hiſce relationibus (ut verum dicam) fidem non ſtatim adhibebam, ſuſpicatus eam forſitan eſſe deceptam, & vermes per alvum, non autem per vias urinarias egreſſos eſſe. Interea dicta fœmina absque ullo incommodo optima perfectiſſimaque perfruebatur ſanitate, multo magis pingueſcens, quam ante malum deſcriptum, ita ut neque Medico, neque medicina amplius indigeret.

Quum autem ultimo præterito vere conquereretur de fluore muliebri, tam ante quam poſt ſuos curſus lunares, albo, omnis quidem fœtoris experte, attamen tantam ſimul acrimoniam inferente, ut in partibus exterioribus moleſtam excoriationem ſ. intertriginem produceret, inque interioribus efficeret, ut concubitum matrimonialem difficilius ſuſtineret; Hinc eam quoque ab hac moleſtia liberare ſtudui, ſed parum felici cum ſucceſſu, ita ut primis menſis Julii diebus, â febre tertiana ſub ingreſſu duplici corriperetur, quapropter denuo ad curam illius inchoandam evocatus fui, quam per aliquot dies cum remediis ordinariis inſtitui; usque dum ægrota in progreſſu illius grauiſſimis in regione veſicæ excruciari inciperet doloribus cum moleſta dyſuria & ſtranguria conjunctis, utpote talibus ſymptomatibus, quæ â ſalibus acutis & acribus ſero commixtis, & a natura per vias urinarias expulſis provenire vi-

 deban-

debantur, ſed perperam; quia, cum aliquo die urinam vi propellere niteretur, in urethra ſentiebat obſtaculum, quod tamen ſenſim progredi incipiebat; Marito igitur ad opem ferendam advocato, hic conſpexit lumbricum duplicem ex hoc loco prodeuntem, quem digitis apprehenſum vivum & integrum extraxit, chartæque incluſum poſtea ad ædes meas adportavit, ut eum mihi oſtenderet, ſucceſſumque enarraret. Obſtupui ab initio non parum, videns vermem palmo majorem, pennam craſſiſſimam anſerinam mole æquantem, rubicundum, & iis, qui in inteſtinis habitant prorſus ſimillimum; quæſivi ex eo, num poſt exitum hujus inſecti, conjux â doloribus ipſi cognitis liberata ſit? reſpondit autem negative, eamque iisdem adhuc afflictam eſſe incommodis, unde judicavi, adhuc ſupereſſe alios abſconditos, qui dolores hos excitarent. Probe igitur perpendens, quomodo tempeſtive præſentaneo quodam remedio afflictæ ſuccurrendum foret, ſtatim aquam anthelminticam cum Mercurio vivo decoctam præſcribo, hujusque proportionatam quantitatem cum ſyringa eburnea bis de die maritum inveſicam injicere jubeo, qui etiam accuratiſſime præſcripto huic morem gerebat, ſubſequente ſtatim proximo die laudabili effectu, ſiquidem urina craſſa & obſcura, inſtar ſordium latrinæ in notabili copia excernebatur, cui innatabant permulta corpuſcula furfuracea, tandem ad fundum ſecedentia, & ſedimentum duorum digitorum latitudinem exæquans formantia. Per quatuor dein aut quinque dies ejusmodi reddebatur urina, poſtea vero clarior prodire incipiebat, & ab eo tempore ægrota â gravibus ſuis doloribus liberata, gaudet etiam in hunc usque diem proſperrima valetudine; mihi autem nihil amplius faciendum reſtabat, quam ut continuantem adhuc febriculam China Chinæ mitigarem, quoniam fluor albus jam ſub initium febris ſponte ceſſaverat.

Occaſio-

Occasione hujus relationis non suspicaberis, Vir Illustris, me falsa de putredine infectum esse doctrina, quum evidentissimis doctissimi Tui *de Vermium in corpore humano origine* tractatus rationibus me prorsus ex incertitudine & erroribus extricatum offendam, atque tam certum quam quod certissimum esse credam, lumbricos intestinales per urethram sæpius jam memoratæ mulieris egressos, ex illius intestinis forsitan, dum parvæ adhuc aut mediocris molis erant, in vesicam pervenisse, & non obstante humore salsuginoso & acri, qualis est urina, postea successive incrementum cepisse, inque hoc ultimo casu prædictum dolorem produxisse, per impetuosiores suos motus in domicilio hoc insolito, ob sal nimium acre ad vias urinarias tam â natura, quam arte, occasione febris & adhibitorum medicamentorum, copiosius translatum, excitatos. Per quas autem proprie vias intra vesicam progressi fuerint, penitus me ignorare lubens fateor, quum hoc acciderit, sine notabili quodam malo prægresso, quod hujus transmigrationis indicium esse posset, prouti erat Volvulus, Fluor albus & Febris, prætereaque dolor accesserit demum sub actuali vermium præsentia in cavitate vesicæ, & solummodo cessaverit post eorum ex illa exitum, vel in ea factam enecationem. Prostant equidem hinc inde permulti similes casus, specialiter abs Te recensiti in *annotationibus ad epistolam Alghisi*, quos tamen duntaxat in corporibus ægrotis & vulneribus ac ulceribus internis jam afflictis, ex quibus etiam postea mortui sunt, accidisse observavi, (loquor autem de vermibus intestinalibus). Sed in hocce individuo pingui, sano, immo sanissimo, nullus fere superest suspicioni locus, ejusmodi malam adfuisse causam, quamvis hunc duplicem casum alia præcesserint mala, quæ tamen non videntur ê simili causa & jam jam facto lumbricorum ad vesicam progressu originem traxisse.

(*Asolo Patav. d. 29. Nov. 1729.*)

SCHO-

SCHOLION.

EX quo in omnibus fere totius corporis humani partibus & viſceribus, ipſis etiam principaliſſimis, cerebro nimirum & corde ne quidem exceptis, inventi fuere variæ magnitudinis vermes, non amplius in vias illas adeo ſcrupuloſe inquirere placuit curioſis horum obſervatoribus, per quas animalcula talia ex inteſtinis, ubi alias unice foveri & generari credebantur, ad iſta loca delata fuerint, quin potius ſatis probabilem illam amplexi ſunt ſententiam, quod ex ovulis atque ſeminiis, antea in maſſa ſanguinea latitantibus & oberrantibus, tandemque in uno alterove horum viſcerum forte ſubſiſtentibus & caloris naturalis ope excluſis, ibidem procreata ac poſtmodum enutrita fuerint. Exinde enim facile patet, quomodo & in iis partibus ac locis, ubi ordinarie humores, ad generationem & nutritionem vermium alias ratione materialis ſuæ indolis prorſus inepti ſecernuntur & aſſervantur, folliculo nempe felleo & veſica urinaria, vitam degere, & tandem quoque viva exinde egredi queant ejusmodi animalcula, quoniam, dum ſeminia ipſorum in hiſce locis foventur & excluduntur, utique etiam inſimul corpuſculorum textura ſtatim ita adaptatur & conformatur, ut citra ullam ab acrioribus iſtis humoribus alioquin facile eventuram læſionem, ſuum exinde nutrimentum capere, & tamdiu intra partium iſtarum fines remanere queant, donec ipſa natura quacunque de cauſa gravius forſitan irritata, auctioribus motuum gradibus eorundem expulſionem & proſcriptionem moliatur ac perficiat, hacque ratione & dyſuriam ſtranguriamque illam moleſtam, & dolores iſtos intenſiſſimos ſpaſticos, excluſionem hancce præcedentes & concomitantes, una producat, vermibus tamen ipſis ne tunc quidem ab omni

culpa

culpa liberis, quippe qui pariter modo orificium veſicæ urinariæ corpore ſuo obturando, modo idem illud rodendo ac ſugendo, nervoſam admodumque ſenſibilem ejus partem facile lædere & ad convulſivam contractionem concitare, ſicque & urinæ egreſſum inhibere & augendis doloribus iſtis, ob fibrarum majorem abinde provocatam contractionem, occaſionem ſuppeditare potuerunt. De reliquo mirum haud eſt, ſi in corporibus cæteroquin ad externum adſpectum ſaniſſimis, vermium quoque proventus tam in inteſtinis, quam aliis corporis partibus, vix tamen unquam adeo copioſus, uti quidem in ſubjectis, viſcerum & humorum notabili quadam corruptione jam jam laborantibus, phthiſicis, nempe & hecticis, obſervatur, cum vel ab extra eorundem ſeminia variis modis in ipſum corpus deferri, vel etiam ex particulari humoris cujusdam labe & vitio, (â quo etiam præſentem ægrotam non omnino immunem fuiſſe, prægreſſus fluor albus acrior, febrisque tertiana ſub ingreſſum duplex, facile teſtantur,) intra illud generari & produci queant, prout hoc ex illorum exmplis, quibus vermium talis excretio citra qualecunque aliud antegreſſum incommodum, ſub moleſta ſaltem dyſuria & intenſioribus veſicæ urinariæ doloribus obtigit, colligere licet. Vid. *Ephemer. Academ. noſtræ Decur. II. Ann. I. Obſerv. 77.* & *Anno VI. Obſerv. 31.* item *Decur. III. Ann. IV. Obſerv.* 2. ubi plures ejusmodi hiſtoriæ, ê variis Auctoribus adnotatæ, proſtant.

(A. E. Büchnerus.)

OBSERVATIO V.

DN. JACOBI FRIDERICI MüLLERI.

Descriptio simplicissima & utilissima Ellipseos in plano.

QUemadmodum celebris Patavorum Mathematicus, *Joannes de* WITT, in præfatione ad sua *Elementa Curvarum linearum*, opera *Francisci â* SCHOOTEN edita recte arbitratus est, singulas curvas, cujuscunque sint generis, licet illæ omnino multipliciter ex varia corporum diversimode compositorum aut figuratorum sectione gignantur, infinitis quoque modis in plano generari posse, ipsarumque naturam & proprietates ex hac generatione multo facilius, quam ex corporum sectione, deduci; ita non immerito arbitramur, inter geometricas earum in plano descriptiones non simpliciorem solum præstare magis compositis, sed etiam geometricam simplicem potiorem habendam esse mechanica simplici. Voco autem mechanicam descriptionem eam, quæ lineæ generantes, seu figuræ generantes, genitæque secundario, h. e. per incessum unius super altera, vel motum unius circa alteram productæ lineæ, seu figuræ, significantur quidem ope Instrumenti, at non actu describuntur: Geometricam vero eam, qua lineæ seu figuræ generantes, secundarioque genitæ, præter motum generantium, qui per repetitiones earum designatur, æque ac primario gignenda, actu describuntur. Sic mechanica est descriptio Circuli, cum fit ope circini: Hic enim linea generans significatur quidem per distantiam unius cruris ab altero, sed eadem non describitur. Sic mechanica est descriptio Ellipseos, quando determi-

terminatis focis, clavi in iis defiguntur, & his filum circumligatur axi majori dato æquale, immisso denique stylo filum extenditur, & circa clavos circumducitur. In hac enim Ellipseos designatione fila quidem lineas generantes significant, sed non exprimunt, seu describunt, & circumductio fili circa clavos infundit quidem attendenti ideam super incessus linearum generantium super se invicem aliquam, sed non nisi obscuram, non attendenti vero solicite plane nullam. At geometrica in plano descriptio est e. g. Parabolæ, quam habet *Jo. de Felden* in sua Geometria p. m. 40. ut scilicet ducatur linea recta, quæ bifariam dividatur, ex quo divisionis puncto, utrinque perpendicularis in viginti partes æquales dividatur, ductisque per decem inferiores partes lineis parallelis, distantiæ decem superiorum partium â puncto divisionis rectæ datæ, fiant hypothenusæ ad hasce parallelas ex eodem puncto, quo facto Parabola per vertices horum triangulorum rectangulorum sit transitura. Plures hujusmodi Parabolæ, Ellipseos & Hyperbolæ descriptiones geometricas, at non tam simplices, deprehendere licet in laudatis *Wittii* Curvarum Elementis. Per mechanicas autem, quas vocavimus, Curvarum descriptiones, multum remoræ injectum esse progressui distinctæ Curvarum tractationis, quis dubitet, cum pleraque ad inveniendas earum proprietates data, vel, si mavis danda, ab ejusmodi descriptionibus attentioni, vix ac ne vix quidem per momenti spatium & insuper obscure sistebantur, sic ut asseverare audeam, mechanicas hasce Curvarum descriptiones haut multo plus facere ad detegendas earum proprietates, quam geneses earundem per corporum sectiones. Nos igitur nuper hanc rem meditati, Theoriam Curvarum ampliorem, ubi id officii aliquando ratio postulabit, Mathesi applicatæ subministraturi, non satisfaciente illa mechanica, in specie Ellipseos,

deſcriptione, neque ipſis geometricis, quas dedit *Jo. de Witt*, utpote non ſatis ſimplicibus, ponderavimus curatius notum iſtud Geometris Theorema, poſſe â quovis Ellipſeos puncto ad focos lineas duci, quæ axi majori ſint æquales. Cumque in hoc negotio idea trianguli ex figura in mentem incideret, collegimus, Ellipſin poſſe deſcribi per triangulum, cujus baſis eſſet diſtantia focorum â ſe invicem. Quoniam vero Ellipſis linea eſſet curva atque in ſe rediens, facile ſuccurrebat, triangulum conſtans, cujus latera ſemper æqualiter ſe haberent, adhibendum non fore, quippe quod moveri non poſſet, niſi cum baſi, neque aliud quid ſuper linea recta incedens, deſcripturum eſſet niſi aliam rectam, ei, ſuper qua incederet, parallelam: Concludebamus igitur, adhibendum eſſe triangulum, cujus latera moverentur; baſis vero in ſuo loco perſeveraret, latusque unum creſceret, decreſcente altero. Porro Ellipſeos intuitus nos docebat, quod, quia non eſſet curva vaga, & æquatio ejus in omnibus ejus punctis eadem, latus creſcens in ratione aliqua debeat creſcere, adeoque etiam alterum in aliqua decreſcere. Quandoquidem autem Ellipſis eſt curva proxime circularis, ſummaque rectarum ex utroque foco ad idem peripheriæ punctum quodvis ductarum debet æqualis eſſe axi majori, latus unum tum creſcet tantum, quantum alterum decreſcit, tum utrumque creſcet & decreſcet ſemper ſecundum eandem differentiam, adeoque tam in incremento quam decremento obtinebit progreſſio arithmetica. Habemus igitur geneſin Ellipſeos in plano ſimpliciſſimam & propterea facillimam: ſit enim datus vel aſſumtus Axis major AB & foci Ff. Fig. 6. Tab. I. Fiat triangulum æqui crurum ſuper linea Ff ſumtis pro lateribus binis ſemiaxibus transverſis AC & CB: Erit Fe + ef = AB. Ergo punctum e unum ex punctis peripheriæ Ellipſeos per Theorema commemoratum. Fac moveri latera

tera hujus trianguli seu repræsenta motum eorundem per repetitionem trianguli secundum leges quas hic invenimus: Scilicet construe versus A triangulum super eadem linea F f, cujus latus versus punctum e sit unitate majus, quam e f. seu latus dextrum præcedentis trianguli, latus vero versus punctum A unitate minus quàm e F, seu latus sinistrum præcedentis trianguli; & erit F g + g f = A B. Ergo punctum g unum ex punctis peripheriæ Ellipseos. Porro construe triangulum super linea F f, cujus latus versus punctum A sit duabus unitatibus minus, quam latus F e trianguli F e f, minus una unitate latere F g trianguli F g f, latus vero versus punctum g seu e majus duabus unitatibus, quam latus f e trianguli f e F, & majus una unitate latere g f trianguli f g F: Et sic quoque F h + h f erit = A B, consequenter punctum h unum ex punctis peripheriæ Ellipseos: & hac via progredere tam diu versus A, donec latus trianguli sinistrum tegat lineam A F & teget latus dextrum etiam lineam A f adeoque erit A F + A f = A B, consequenter punctum A unum ex Ellipseos punctis. Posteaquam vero triangulum in puncto A in se recidit, evolvetur illud denuo, ubi alteram dimidiam Ellipseos partem super F f triangula construendo iisdem legibus, descripseris. Quum etiam triangulum F e f sit æquilaterum, adeoque Axis A B latera bina conficiens, in duas partes æquales divisus, per leges vero inventus duo triangula æquilatera super linea F f in eadem dimidia Ellipseos parte obtinere nequeant; patet, quod, ubi movendo latera triangula, F e f versus punctum B processeris, æque ac in motu versus A unum latus crescere, alterum decrescere debeat; cumque Ellipsis sit curva in se radiens, latus versus punctum e crescere, illud vero versus punctum B decrescere secundum eandem semper differentiam, donec tandem latus dextrum tegat lineam f B & sinistrum lineam F B ubi iterum f B + F B

 erit

erit = AB, consequenter punctum B unum ex Ellipseos punctis. Itaque in nostro schemate incipiendo â puncto B per punctum e versus A, concipientes triangulum ita motum esse, habebimus progressionem lateris crescentis hanc, 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. decrescentis, ab eodem puncto B inchoando, 13. 12. 11. 10. 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. Q. e. d. Quodsi nunc vacaret, aut de amplioris loci heic occupandi licentia nobis constaret, possemus non saltim ostendere, quam commode per hanc Ellipseos genesin proprietates ejus tam cum calculo Algebraico, quam sine illo evolvantur atque explicentur, neque minus quæ curvæ illæ sint, cum Ellipsi primario genita & quæsita concentricæ, quæ per intersectiones laterum triangulorum generantium ortæ sunt, & quomodo illæ tam ad se invicem quam ad Ellipsin primariam se habeant, quid denique illud involvat, quod eo plures ejusmodi curvæ generentur, quo pluries repetitur triangulum, vel quo plura peripheriæ puncta inveniuntur: sed etiam facile esset, demonstrare geneseos hujus simplicitatem talem, qualis possibilis est, eandem conferre cum genesi ceterarum curvarum, & inde eruere, quænam ex illis ad construenda problemata commodius adhibeatur. At quoniam constitutum nobis est, alia vice inquirere in Ellipseos quadraturam facilem, ope hujus geneseos, methodumque ducendi tangentes ad eandem & transmutandi illam in alias curvas lineas; contrahimus jam vela, eadem tunc pertractaturi, Lectori studia nostra enixe commendantes.

(*Giessa Augustam Vindelic. d. 29. Decemb. Ann. 1729. missa.*)

OBSER-

OBSERVATIO VI.

DN. D. GODOFREDI OBSTII,
De
Sphacelo dorſi.

GEorgius Tſchiert, qui Nobili cuidam fœminæ à ſervitiis eſt, ætatis annorum 47. ſcorbutico-cacochymicus, per 15. annos dolorem quendam, parvis ſubinde puſtulis ſtipatum ſuper oſſe ſacro (forſan aliquando gonorrhoeam paſſus) percepit. Menſe Auguſto anni currentis laſſitudine, horrore & æſtu cum deliriis corripitur. Balneator quidam venas raninas aperit, atque pulveres & eſſentias (procul dubio opiatas) pro ſomno conciliando propinat, ſed absque ſymptomatum mitigatione. Et quoniam poſt ſomnum gravius delirabat, cucurbitulam capiti admovet cum repetita ſcarificatione. Altero die poſt apoplexia corripitur miſer, cum aphonia & motu abolito; pro qua curanda veſicatorium applicat nuchæ, & ſic dimittit ægrum Chirurgus. Decimo à morbo die uxor ejus locum dolentem inſpiciens tumorem fuſcum ichorem plorantem, ſuper oſſe ſacro offendit, qui hinc ruptus abominandum ſpirabat fœtorem. Accerſitus tum ego abſceſſum ingentem invenio, qui muſculos ſemi ſpinatum, lumborum ſacros, glutæum &c. occupabat, cujus peripheria 8. diameter 4. pollices æquabat, & verſus muſculum dorſi latiſſimum cavitatem ad digiti unius longitudinem formaverat. Odor acidus & fœtidiſſimus vix perferri poterat, & delirium, poſtquam loquela aliquatenus reſtituta fuerat, per intervalla adhuc continuabat, præterea prope parotidem dextram tumor comparebat, ovum anſerinum magnitudine æquans. Mox parari juſſi deco-

ctum mundificans, ex radice gentianæ, ari, aristolochiæ rotundæ, foliis nicotianæ, cum melle rosarum; altero die præscripsi potionem laxantem, hinc pulveres ex antimonio diaphoretico, lapidibus cancrorum, succino & cinnabari nativa, item spiritum bezoardicum Hoffmanni, & decoctum ex radicibus Chinæ, Sassaparillæ, scorzoneræ, polypodii, herba cardui benedicti, & semine fœniculi. In cavitatem injectiones fiebant ex oleo caryophyllorum cum spiritu vini rectificatissimo. His continuatis caro putrida separabatur, odor fœtens cessabat, tumor glandulæ parotidis resolvebatur. Peracta mundificatione balsamica applicabantur ex terebinthina, melle Chelidon. lapide calaminari, myrrha, succino, foliis nicotianæ & vitello ovorum. Sic suppuratio bene succedebat, symptomata evanescebant, appetitus redibat. Interim videtur anguis in herba latere. Pedes enim aliquatenus tument, & homo iste ventri incumbere semper cogitur. Talem medendi methodum balneatores servant, capitis curam habentes, dum posteriora laborant.

(Ex literis Freystadio d. 21. Septembris An. 1720. Lipsiam ad b. Dn. D. Ettmüllerum missis.)

OBSERVATIO VII.

DN. D. JOH. ADAMI LIMPRECHTI.

Restitutio Cachectici post duorum pilorum, situ obductorum, ex pharynge extractionem.

ANno præteriti seculi septuagesimo octavo Lutetiæ Parisiorum, ubi tunc temporis Medicam Praxin exercebam, accedebat me Westphalus quidam, sartoris cujusdam

cujusdam Galli famulus, viginti circiter annorum, qui de variis cachecticis symptomatibus conquerebatùr & inter hæc præcipue de anorexia chronica. Diversa alterantia non minus ac evacuantia medicamenta morbum hunc vix mitigare, ne dum tollere poterant, usque dum post aliquot hebdomadas, cum tempore matutino eum visitarem, chartulæ tectos mihi porrigeret duos pilos, quorum unus superabat dimidiam, alter fere ad integram longitudine sua accedebat ulnam Parisiensem, utrumque vero situ obductum. Quos se, ex somno nocturno expergefactum, præviâ quadam titillatione, ex faucibus suis extraxisse, referebat. Hisce extractis melius se habere in dies & cœpit & sensit. Appropinquante, vere, jussi, ut peteret Galliæ interioris partes, relictâ Lutetiâ, observaveram enim Medicos Gallos in cura morborum chtonicorum eodem uti consilio. Circa autumnum ejusdem anni avocor â prandio per quendam ex domesticis nostris, qui mihi indicat, adesse peregrinum aliquem, qui mecum colloqui desideraret. Hic me accedentem prolixa gratiarum actione, linguâ Germanicâ prolata, excipiebat, pro sanitate â me ipsi quondam restitutâ. Apparebat autem hic homo, ex agro Aurelianensi redux, adeo florida constitutione, ut vix ac ne vix quidem credidissem, eundem fuisse Germanum, sartoris Galli famulum superius descriptum, nisi certissimis indiciis omnem mihi dubitationem ipse exemisset.

(Berolino d. 23. Sept. 1730. Lipsiam missa.)

OBSERVATIO VIII.

DN. D. JOH. ADAMI RAYMANNI.

De Artemisia alba fomitis loco optime adhibenda.

CUm seculo superiori, *Hermannus Buschoofius*, Ecclesiæ in urbe Batavia, quæ Belgarum in India est Primaria, Pastor, Moxam Sinensem, tanquam certissimum podagricorum dolorum solatium, Europæ primus debuccinasset, certatim in Germania, quæ novi hujus Nepenthes admiratione perculsa stupebat, Medicorum præcipui, in veram exoticæ medicinæ, magna cum contentione animi æmulantes, inquirebant originem, præcipue cum Encomiastes illius sive animo, sive, quod vero quam simillimum est, simulate, ut scilicet ignoto remedio, (minuit quippe notitia famam,) majorem conciliaret gratiam, & grandius simul constitueret pretium, non satis sibi eandem perspectam esse, palam profiteretur; donec tandem sagaciorum nonnulli, foliis quibusdam ex Sinensi huic lanugini adhærentibus & oculo armato conspectis, Artemisiæ progeniem illam esse, dignoscerent; & postea Societatis Batavo-Orientalis Proto-Medicus, *Cleyerus*, Moxam hanc revera nil aliud, quam Artemisiam albam esse autoptes confirmasset, & omne dubium sustulisset. Eviluit vero paulo post, deperdita novitatis gratia, prout fieri assolet, præsertim ubi promissis non responderet constanter effectus, tantopere laudati arcani hujus fama, ita ut nostra ætate aliquem tantum inter cauteria actualia locum obtineat Rudis interim harum partium plebecula, quæ circa Tibiscum, maxime in late patentibus pascuis, integros annos

annos bubulcitare consuevit, vel circumfodiendis vicinis vitiferis collibus operam suam locat, casu, nec enim scio, quo alio magistro, Artemisiam, præter urendi potentiam, ignem simul concipiendi facilitatem habere maximam, edocta, fomitis seu lucubri loco eâdem non male utitur; nec operosam aliquam præparationem, sicut Sinensium Moxa, requirit, sed contenta est exsucca Artemisiæ albæ folia, ad corticis exterioris separationem, manibus negligentius conterere, ita ut, interior nativa promineat lanugo, excussamque deinde ex silice scintillam prompte excipere possit. Raptâ hoc fomite flammâ, necessarios partim instruunt ignes, partim nicotianam, quo more nunc passim recepto, longi temporis tædia curasque fallere, vel duri etiam laboris molestias levare famemque obtundere solent, incendunt. Sic peregrina fuco novitatis dum se commendant, plus justo admiramur; domestica vero cum nobis sordeant, despiciendo perperam negligimus.

OBSERVATIO IX.

DN. D. JOH. ADAMI RAYMANNI.

Abscessus Omenti Historia & Diagnosis.

ADeo commode curateque humani corporis machinam construxit incomprehensibilis ac ineffabilis Omnipotentis sapientia, ut, non obstante ejus naturali ad corruptionem putredinosam inclinatione; illa tamen, libera duntaxat minusque impedita circulationis sanguinis lege, hincque dependentibus actibus se- & excretoriis, satis durabilis deprehendatur. Simulac vero laudatus fluidorum circulus vel ob proprium, vel alienum vitium, via-

rum nempe inhabilitatem, decenti non succedit ratione, pedissequos statim habet non secretionis & excretionis solum defectus, sed & innumeras humorum restagnationes, stases & corruptiones, quid? quod ipsam denique mortem. Quemadmodum vero circulationis humorum actus & inde pendentes se- & excretiones in interioribus præsertim corporis peraguntur visceribus; ita memorata jam mala his cumprimis in locis oboriri consueverunt, quo respectu generalem morborum divisionem propositurus *Hippocrates Lib de Arte* rectissime judicat: Morbos esse partim non obscuros, eosque paucos, partim vero non manifestos, eosque multos; qui enim ad internas corporis partes vergunt, obscuri, qui vero ad corporis erumpunt superficiem, aut tumorem faciunt, manifesti: sui enim copiam faciunt tum visu, tum tactu, ut eorum durities & mollities sentiatur. Omnino itaque esset optandum, ut omni studio decentique ἀκριβείᾳ interiorum abscessuum historiæ scriptis mandarentur, eorumque decursus, quantum fieri posset, manifestaretur, ad obtinendum hac ratione habitum sufficientem, partim illorum præsentiam conjecturando dignoscendi, partim illis feliciter medendi; laboris namque profecto multum, & profundior oeconomiæ actuum vitalium cognitio & acre ingenium requiritur, si in abscessuum internorum diagnosi hallucinari & turpiter nos dare nolumus. Quam ob causam recte desiderat *Hippocrates*, ut, qui tales morbos occultos pervestigaturi sunt, ad industriam recte sint â natura comparati; neque enim sine multo labore & longo tempore oculis cernuntur & cognoscuntur: quæ namque oculorum obtutum effugiunt, ea mentis acie comprehenduntur. Et quoniam in specie varia reperiuntur in abdomine viscera, hac præsertim abscessuum abdominalium diagnosis premitur difficultate, ut maxime in morbi principio locus & sedes abscessus plerumque cognitu fe-

tu fere sit impossibilis; immo sub ipsum etiam morbi exitum, nisi anatomica sectione fiat investigatio, morbus manet obscurus, dubius & conjecturalis, ad quorum classem sequens etiam *abscessus Omenti* historia referri meretur.

Primarius hujus civitatis civis, 68. annos natus, temperamenti sanguinei & habitus corporis obesioris atque crassi, pro ætatis ratione non modo nullum sanitatis suæ detrimentum sentiens, sed & satis bonum ac vividum præferens vultum, die 5. Julii, post, circa noctem cœnæ loco, adsumta ova ad duritiem cocta, aliquali corripiebatur horrore cum insequente calore, quem punctorius comitabatur dolor, in dextro hypochondrio se exserens, sub inspiratione, præprimis profundiori, vel tussi fortiori, exacerbatus. Cum igitur in ova adsumta omnis devolveretur culpa, & alvus hucusque fuisset obstructa, foliorum sennæ infusum, cum sale anglicano, sequenti die in usum trahendum, ordinabam, quod, licet decentem ederet effectum, nihilo tamen minus sub dextro hypochondrio ægrum affligentes dolores capiebant incrementum, & instituta curatiori loci adfecti exploratione, tactu percipiebatur tumor, sub costis & inter os Ilei versus spinam dorsi hærens, ad cujus resolutionem ac discussionem promovendam, cum patiens ante aliquot annos hæmorrhoidibus, hactenus licet absque ullo sanitatis præjudicio obstructis, laborasset, sufficientem in pede administrandam venæsectionem suadebam, & insimul appropriata topica, unctiones spirituoso-saponatas, sacculos resolvendo - discutientes commendabam. Postquam vero nocturni caloris febrilis paroxysmi indesinenter una cum sudoribus nocturnis, orisque siccitate continuabant, æger solida fastidiebat alimenta, ejusque facies admodum subsidebat, præterea, superato decimo quarto morbi die, memorata intumescentia notabilior reddebatur, & præsertim servato situ erecto, spirituque

profundius tracto, tactu percipi poterat, absque tamen notabili doloris augmento, convenientibus topicis suppurationem promovere & ad exteriora vocare allaborabam. In latere adfecto decubitus creabat molestias atque dolores, in sano vero, ob insequentes anxietates, erat fere impossibilis, quam ob causam æger situm observare supinum absolute cogebatur. Alvum satis torpidam ac tardantem interdum partim clysteribus, partim sale anglicano reserare & incandescentiam febrilem pulveribus nitroso-cinnabarinis lapid. cancr. citratis remixtis, compescere studebam: interea vires de die in diem minuebantur, & 28. Julii spontaneus sequebatur vomitus bilis crasse viridescentis copiosioris, urina hactenus saturate rubra sedimentum mucoso-purulentum demittere incipiebat, & per alvum recrementa flavescentia biliosa, præternaturalem fœtorem spargentia, deponebantur, quo tempore tumor non amplius adeo distincte, ut antea, tactu percipi, & citra omnem sensationem molestam fortius comprimi poterat. Die 1. Augusti post prægressum frequentiorem horrorem transitorium, conquerebatur patiens de vehementibus doloribus in regione hypogastrica, sub quibus virium prostratio una cum anxia ac suspiriosa respiratione magis magisque augescebat, & altero die placida mors ærumnosæ vitæ filum abrumpebat. Relicti scire desiderabant, num secundum meum adsertum revera in abdomine lateret apostema, eaque propter defuncti cadaver cultro subjiciebatur anatomico, ubi statim, abdomine aperto, abscessus in omenti duplicatura, hujusque portione intestinali, à RIOLANO ita dicta, obtutum incurrebat. Includebat materiæ saniosæ, consistentiæ mediocris non fœtentis, albæ, libras tres; abscessus latera penitus erant callosa, & ad renalem regionem & spinam dorsi, sive vertebras lumborum, pertingebat, ubi inflammationis gangrænescentis indicia, ut &

ut & in inteſtini coli portione (unde ultimi dolores circa umbilicum ſuum forſitan traxerunt ortum) occurrebant. Reliqua abdominis viſcera cuncta nulla labe contaminata offendebantur, niſi quod in veſicula fellea admodum levis flaveſcens, nucem juglandem magnitudine referens calculus, una cum duobus aliis minoribus, totam veſiculæ felleæ, parum bilis adhuc continentis, cavitatem replentibus, reperirentur.

Hujus autem abſceſſus calloſitas, me etiam non monente, unicuique argumenti loco eſſe poteſt, illum minime, durante hoc ultimo morbo obortum eſſe, ſed jam dudum hoc in loco altas tacito egiſſe radices; cujus præcipua, me judice, cauſa exiſtere poteſt caſus beate defuncti, é ſcala lapidea deſcenſuri, in hypochondrium dextrum, ſex abhinc annos paſſus, quo laudata regio tam vehementer contundebatur, ut ſatis diu de ea quereretur; aliquo temporis intervallo poſt nullam fere quidem ſentiebat moleſtiam, habitus tamen corporis parum decreſcebat, pro cujus vero cauſa minime prægreſſum caſum, ſed appropinquans ſenium multosque duros labores agnoſcebat. Hujus autem caſus culpa forſitan contigerit, ut tumor quidam ſteatomaticus in omento, quibus ſuſcipiendis & fovendis hæc pars ob ibi hærentem pinguedinem atque folliculorum copiam aptiſſima eſt, ſit enatus, ac propter partis inſenſibilitatem & functionis ad actus vitales minus neceſſarii rationem, tecte & inſenſibiliter auctus, usque dum oborta inflammatione ac ſuppuratione ſenſibilior fuerit redditus: & cum ejusmodi tumorum ea ſit indoles, ut vel plane non vel ſaltem difficulter & ſucceſſive ſubeant ſuppurationem, facile hinc liquet, quare hic, de quo ſermo eſt, tamdiu duraverit, præprimis cum omnes promiſcue ſuppurationes in ætatis provectioris ſubjectis tardius perficiantur, quam in junioribus, nec non omnes tumores, quo magis

magis ab umbilico ſint remoti, eo tardius ad maturationem pertingere ſoleant; & quoniam ſatis tenera ceteroquin omenti membrana, aliarum ad inſtar membranarum, ut pleuræ, pericardii, peritonæi, ejusmodi in ſtatu morboſo triplo vel quadruplo craſſior, quam in ſtatu eſt naturali, euadere ſolet, mirum non eſt, qua ratione laudata omenti membrana materiam purulentam absque actuali in abdominis cavum effuſione, incluſam ſervare potuerit, præſertim cum abſceſſus parietes contraherent calloſitatem, puris in vaſa & ſanguinis maſſam reſorptionem impedientem, unde quoque vix ſenſibilem corporis contabeſcentiam efficere potuit; ſicut etiam eadem ex ratione varia latentia viſcerum apoſtemata, ut & ipſæ pulmonum vomicæ per aliquot annorum intervallum, absque notabili ſanitatis incommodo, circumferri ſolent.

Quod autem de reliquo ſedes hujus abſceſſus in ipſo abdominis cavo, minime vero in hujus muſculis fuerit, ut interdum fieri conſuevit, prius utique ſcire poteramus, quam ſectio inſtitueretur, partim ex figura tumoris rotundo-oblonga, partim ex contactu minus doloroſo, hærente namque intra muſculos abſceſſu, figuram acquirit eorum ſitui & ductui conformem, cutis præterea adeo tenſa eſt, ut digitis preſſa cedere neſciat: non minus tumor tactu facilius explorari & contrectari poteſt, cum notabili tamen & admodum ſenſibili dolorum augmento.

Neque etiam ullo modo præſumi poterat, quod hepar abſceſſui locum atque focum præbuerit, non tam, eam ob cauſam, quia tumor extra hepatis locum ſub coſtis erat depreſſus, cum ſatis ſuperque conſtet, molem hepatis in ſtatu præternaturali haud raro tantum capere incrementi, quantum toti hypochondriorum intercapedini, imo maximæ abdominis parti occupandæ ſufficit, ut SPIGELIUS, SCHENCKIUS, HILDANUS, BARTHOLINUS, & Academiæ

demiæ noſtræ Ephemerides, ſuo corroborant ſuffragio; nec quod tumor ſemilunari non gaudebat figura, hepati alioquin propria, quia pro diverſitate vomicarum hepaticarum figura ſæpius admodum variat, ſed potius, quod nullis grauioribus doloribus, reſpirationis atque vomitus vitiis, nullis anxietatibus atque ſpaſmis præcordialibus, & præprimis nulla faciei decoloratione, erat ſtipatus. Præſente namque notabili hepatis vitio, bilis quoque turbari ſecretionem, indeque malum corporis habitum & faciei, aut ad minimum tunicæ oculorum albugineæ, corruptelam icteritiam certo certius ſubſequi neceſſe eſt; hinc etiam in dignoſcendis hepatis & muſculorum abdominis abſceſſibus, qui alias, præſertim ſi ſub muſculis rectis, ubi cum ſterno junguntur, ſedem abſceſſus habeat fixam, in morbi principio difficulter â ſe invicem diſtingui poſſunt, hoc ſigno GALENUS, & poſt eum VALERIOLA, BARTHOLINUS, aliique plures, rectiſſime uſi ſunt, qua de re memorabile exemplum relatum apud HOLLERIUM extat.

In inteſtinorum canali quidem abſceſſus præſentia ê tumoris loco diuinari potuiſſet, niſi dolorum graviorum & excretionis ſymptomatum abſentia contrarium docuiſſent. Nulla igitur pars præter omentum & meſenterium, ſupererat, ubi abſceſſus ſedes & focus erat quærendus. Jam vero, RIVERIO teſte, tumorum omenti ac meſenterii ab invicem dijudicatio incredibilibus fere premitur difficultatibus, & vix ac ne vix quidem obtineri poteſt, quoniam utrumque tam manifeſta ſenſibilitate ac functionibus notabilibus, ê quarum læſionibus alioquin adfectuum notitia erui poteſt, non eſt præditum, attamen poſteriores, ſi cumprimis inteſtinis ſint propiores, plures dolores, & propter diſtributionem maſſæ ſanguineæ per vaſa meſeraica ſufflaminatam, ſenſibiliorem nutritionis defectum hinc malum corporis habitum, progenerant quam priores, nec eorum

exploratio ob ſitum profundiorem tam facile ſuccedit, niſi anteriora verſus magis ſpectant; cum è contrario priores, quia ſub peritonæo immediate hærent, tactu facilius explorari queant. Interea omnino certum eſt, quod utriusque partis abſceſſus latentes non niſi ex eventu demum, vel poſt mortem innoteſcant, & niſi hoc in ſubjecto anatomica cadaveris ſectio rem extra dubitationis aleam poſuiſſet, certo definire non valerem, quænam harum partium pro vera abſceſſus ſede ſit habenda.

Omentalium autem horum abſceſſuum eventus plerumque lethalis exiſtit, quoniam materia purulenta non in inteſtinorum canalem, ut ex meſenterio, derivari poteſt, cum nullum, recte annotante SENNERTO, intercedat venis cum excretoriis commercium, niſi tumor, accreſcendo peritonæo, ad exteriora feratur & ſectioni pateat, id quod vero, cum tumori ſpatium ad interiora magis quam ad exteriora, ubi majorem â muſculis ſentit reſiſtentiam, creſcendi ſit ſufficiens, raro contingit. HILDANUS equidem in ea verſatur opinione, quod, quemadmodum hydropicorum aquæ ex abdomine per alvum & urinam interdum exitum nanciſcuntur, ita etiam materia abſceſſuum omentalium per has vias, ſecundum *Sect. VII. Aph. 54.* exitum obtinere poſſet; aſt hocce ejus ſuppoſium experientia nondum ſatis ſuo comprobavit ſuffragio, & cum materia purulenta ob ejus conſiſtentiam magis ſit ad ſecedendum per has vias inhabilis, quam hydropicorum aquæ, ſufficientem de eo dubitandi habemus rationem. An vero rupto abſceſſu, & diffuſo in abdominis cavitatem pure, hoc per umbilicum aut inteſtina exitum acquirere nequeat, definire nolo, certiſſime tamen ſum perſuaſus, quod prius quam hoc perficiatur, citius mors, quam ſanitatis reſtitutio expectanda veniat.

De reliquo apoſtematis ſectione vel apertura artis medicæ

dicæ honorem in diſcrimen adducere, merito hoc in ægro dubitavi, & poſt mortem detecta abſceſſus conditio me plane confirmavit, quod minus opportune fuiſſet inſtituta, enim vero cum is peritonæo non eſſet accretus, pars quidem materiæ purulentæ exitum obtinuiſſet, reliqua vero in abdominis cavum ſeceſſiſſet, lethali paulo poſt ſubſequo eventu. Melius autem eſt, ut qui ſervari non poteſt, ſinatur ſuo fato perire, ne Medica videatur periiſſe ope.

OBSERVATIO X.

DN. D. JOH. ADAMI RAYMANNI.

De enormi hæmorrhagia levem linguæ læſionem excipiente.

QUod interdum intempeſtiva raninarum, in morbis præſertim acutis, ſectione, adeo impetuoſa, optimis etiam ac probatiſſimis iſchæmis difficulter vel plane non ſedanda, ægrumque neci tradens producatur hæmorrhagia, me etiam non monente, ê variis celeberrimorum Medicorum obſervationibus tam notum eſt, quam quod notiſſimum; quod autem levis quoque linguæ læſio ejusmodi farinæ hæmorrhagiam pertinacem inferre valeat, ſequenti ſum probaturus exemplo: Vir generoſus, temperamenti ſanguinei atque plethorici, ſodalitio ad genium ſuum comparato ac convivio intererat, & cum fruſtum accipenſeris appoſitum haud mediocriter illum juvaret, accidebat, ut inter ſermocinandum lingua ſua circa lineam fere medianam prope apicem, vel hujus piſcis ſpina, vel, quod potius ex linguæ cicatrice ſatis notabili relicta conjicio, dentibus carioſis atque fractis, quibus ejus maxillæ erant inſtructæ, & quibus inter loquendum & maſtican-

dum linguam ex improviso interposuerat, læderetur, quo facto, sanguis in instanti tam large prorumpens ulteriorem alimentorum ac potulentorum adsumtionem prohibebat. Ab initio hunc quidem casum flocci faciebat, cum vero remediis domesticis & inter alia acerrimo aceto hæmorrhagia sedari non posset, Medici cujusdam in vicinia degentis auxilium implorabat, qui varia quoque ischæma, tam pulverulenta, quam liquida & spirituosa rectificatissima, linteo carpto applicanda, imo in ore tenenda, sed in cassum adhibita, ordinabat, quin potius hæmorrhagiam hæc reddere graviorem videbantur, ita ut suffocationis metu totam noctem insomnem transigere & linguæ hæmorrhagiam tranquillo ferre animo coactus fuerit. Altero mane quidam amicorum suorum, illum casu visitatum veniens & in prædicto statu eum cernens, involutis mappulâ sicca digitis vulnusculum ad tempus valde comprimere suadet, in memoriam revocans, cœptæ cuidam olim se interfuisse executioni & hac occasione vidisse, quod maleficus hæmorrhagiam, linguæ mutilationem excipientem, suo, quod ad manus erat, strophiolo, quo residuam linguæ portionem arripiebat, & ad tempus comprimebat, cohibuerit. Æger hoc exequebatur consilium, & sanguine coagulato, mappulæ appressæ ope accumulato, ulteriorem effluxum impediente, singulari patientis solatio fons hic sanguineus exarescebat. Cum autem illi patientia, diutius apprimere mappulam, excideret, & hanc, non ut par erat, removeret, rupto sic aggere, dicta ratione hæmorrhagia recrudescebat, quo facto, rursus ad mappulam confugiebat, hujus adminiculo scaturiginem obturabat, & circa ejus, mediante sanguine subsistente atque coagulato linguæ fortius adhærentis, remotionem plus patientiæ atque modestiæ adhibebat. Interim perhibet, hac hæmorrhagia quidem plus duarum librarum sanguinis jactu-

jacturam fecisse, nihilo tamen minus hac ratione majorem omnium membrorum activitatem præter spem se reportasse.

Hanc igitur hæmorrhagiam ab inflicto venæ vulnusculo suum sumsisse ortum, nullum est dubium, quod vero tanto impetu tam diu duraverit, id quod post ejusmodi venularum, quibus lingua est prædita, læsiones raro contingit, forsitan ingurgitato vino, quod hoc in subjecto plethorico massam sanguineam in orgasmum rapuit vehementem, adscribendum est; qua de re notatu dignum mihi notum est exemplum: Aliquot nimirum abhinc annis vir quidam generosus, ob nimiam vitæ intemperantiam, frequentiores & continuas fere comessationes vertigine, artuum tremore, loquendi & ambulandi impotentia, adflictus, meum implorabat auxilium; cui etiam, præmissa generali venæsectione, raninas aperiendas curabam. Sedato igitur ex his sanguinis profluvio, patiens prandium sumens, genio liberius indulgere volebat, hincque largius, more consueto, vino se onerabat. Absoluto prandio, sanguis ex raninis denuo prorumpebat, & quamvis & Chirurgus omnes in sistendo sanguinis fluxu intenderet nervos, & notissimum illum atque probatissimum sanguinem sistentem fungum, quem crepitum lupi vocant, in usum traheret, nihilo tamen minus ad vesperam usque durabat hæmorrhagia, quo tempore, ob metum, ne vita cum sanguine profunderetur, accersitus, raninas circa incisionis locum volsella ad tempus comprimebam, qua denique ratione factum ut hæmorrgia penitus sisteretur, minimeque recrudesceret; hanc autem vino acceptam esse referendam, nemo forsan in dubium vocabit.

OBSERVATIO XI.

DN. D. JOH. ADAMI RAYMANNI.

Historia febris continentis hæmorrhagia narium & sudore judicatæ.

ESt cuilibet rei suum tempus, est tempus nascendi & moriendi, sapientissimo regum Ecclesiaste judice, cujus effato jure meritoque subnectere licet, est etiam tempus ægrotandi & convalescendi. Experientiæ namque testimonio constat, suum non solum morbis esse tempus certum statumque, quo discruciare solent mortales, sed & eosdem secundum differentias suas etiam servare distinctas quidem, sed simul exquisitas & definitas periodos, ac paroxysmorum, imo principii, augmenti, status & declinationis tempora, quæ in Medicorum scholis alioquin *morborum* salutantur *ætates:* quoniam sicut hæ vitam, ita & illa totius morbi durationem in suas dispescunt partes. Summo hæc tempora Medicinæ antesignani advertebant studio, eo quod ex eorum successu & conditione morbi non solum eventum probabiliter conjicere, rationemque victus competentem eruere poterant, sed & eo ipso medicamenta febrium paroxysmis accommodandi facultatem obtinebant, id quod quasi ipsorum effectus & utilitatis existit anima. Singulari non minus cura attendebant ad molimina, motusque criticos in morborum statu plerumque se exserentia, ceu vitæ necisque arbitros, quo fiebat, ut posteritati utiles, imo in praxi medica summe necessarias regulas, hac de re consignatas, relinquere valerent, quibus inprimis HIPPOCRATES præ reliquis haud mediocrem sibi procuravit famam.

Ast

Aſt quo factum ſit fato neſcio, quod eximia hæc ſcientia usque adeoque peſſum iverit, ut Medicorum ſcholæ criſium quidem nomen retinuerint, ipſam vero rem fere totam oblivioni tradiderint, quam etiam ob cauſam medendi methodus cœco ductu ac temerario auſu inſtituebatur, absque ullo habito reſpectu temporis univerſi morbi, multo minus paroxyſmorum, tantum abeſt, ut moliminum excretionem & translationum criticarum haberetur ratio. Invaluerat mos, ſtatim in morbi principio calidiſſima ita dicta bezoardica ægris propinandi, atque ſudoriferum injungendi regimen, quibus, præſente humorum cruditate, ubi orgaſmi & metaptoſes per ſe contingere conſueverunt, natura proritabatur ad præmaturas excretiones inſtituendas, quemadmodum igitur hoc morbi tempore omnes, etiam ſua ſponte evenientes excretiones non poſſunt non ſuſpicionem movere, ſic tantum abeſt, ut vi productæ in ægri levamen vergant, ut potius priſtinæ ejus ſanitatis recuperationi magno ſint impedimento, quoniam illum neceſſariis defraudant viribus, totumque morbi typum invertunt ac degenerare faciunt: Vel ſi ejusmodi coactum regimen nulla excipit ſudoris excretio, ut plerumque uſu venire ſolet, in ſubjectis præſertim plethoricis, hinc oriuntur vehementes ſanguinis exagitationes, rarefactiones, congeſtiones, reſtrictiones & depoſitiones humorum crudorum, modo verſus caput, unde phrenitides, modo verſus pectus, unde peripneumoniæ & pleuritides, nunc in abdomine, hinc conſurgunt hepatitis, ſplenitis, inflammatio ventriculi aliarumque partium, SYDENHAMO, BAGLIVIO & Celeb. STAHLIO teſtibus. Quodſi præterea ejusmodi medela intempeſtive adminiſtretur, hoc eſt, ſub ipſis paroxyſmorum exacerbationibus, in enormem maſſa ſanguinea rapitur turgeſcentiam & exæſtuationem, quam laudata periculoſa mala eo facilius atque citius â tergo inſequun-

ſequuntur. Multo luculentius ſuæ ignorantiæ, in criſium doctrina Medicus edit ſpecimen, ſi decenti ratione molimina vel excretiones, criticas & ſymptomaticas atque morboſas â ſe invicem diſcernere neſcit, & modo criſin antecedentia & concomitantia ſymptomata illi terrorem incutiunt, ut motus hoſce mere morboſos credat, imo omnes intendat nervos ad eos ſedandos, & ſi vel maxime opiatis id fieri deberet; modo vero acriſias excretionesque ſymptomaticas cenſet ſalutares, & reſtagnante, fatiſcentibus viribus vitalibus, circa cor ſanguine, cum reſpiratione anxia, ſuffocativa & ſonora in mortis faucibus verſantem ægrum grata quidem, ſed vana ſpe mox futuræ reconvaleſcentiæ lactat, quid? quod, ne otioſus videatur eſſe ſpectator, clyſmatis vel gargariſmatis injectione aliisque ejus farinæ non neceſſariis & nullius uſus remediis, illi opem ferre ſtudet, qui tamen mox cum ſummo artificis artisque ſimul opprobrio fatis concedit.

Quid itaque mirum, ſi ejusmodi perverſa medendi methodus nullas genuinas, completas & perfectas criſes, ſed harum loco varia incompleta, anxia & heteroclita molimina fatalesque metaptoſes & metaſtaſes ſubſequa habet. Hinc etiam in plebejis & inferioris conditionis hominibus, operoſam medicationem inſtituere & ſumptu ſuſtinere non valentibus, ſed naturam ſibi relinquentibus, ſæpius quam in magnatibus & ægrotantibus, ſuæ ſanitatis curam pluribus Medicis committentibus, conſtantium & ſalutarium criſium evenientium ratio conjectu difficilis non eſt, qua de re BAGLIVIUS *Prax. med. Lib. II. Cap. XI.* legi meretur. Grandiloquus ampullasque projiciens HELMONTIUS non veretur quidem acutorum criſes *Medicorum* dicere *actores* judicesque, quippe contra illos teſtantes, quod omnem morbi laborem naturæ demandaſſent, & ad ægri reconvaleſcentiam, ut tamen ex ejus ſententia fieri deberet, nihil contu-

contuliſſent, nec cooperati eſſent; hinc etiam vitio vertit Medico rationali, quod ad criſes attendat & obſervet. Verum enim vero, quem ejus jactantia & verba fugiunt ſesquipedalia? & quæ teſtimonia ê contrario extant, quod præ aliis Medicis, naturæ intentiones & inclinationes ſedulo advertere conſuetis, feliciores in praxi habuerit ſucceſſus? conferatur ſaltem BECCHERI effatum, *Phyſic. ſubterr. Lib. I. Sect. 4. Cap. I.* legendum, ex quo ſufficienter adparet, quod Bruxellis, ubi medicinam fecit, nihil unquam miraculoſi præſtiterit. Arti quidem ſalutari omnis ſynergia deneganda non eſt, maximum vero momentum in naturæ poſitum eſt energia, & ſua omnino radiat veritate jam laudati BAGLIVII ſententia *Lib. I. p. 67. naturam ſcilicet ſui conſciam magis proficere criſes moliendo, quam Medicos ſuis remediis; in nullo* namque *morbo*, teſte CORNEL. CELSO *Lib. III. C. 1. plus ſibi fortuna vindicat, quam ars, (nec ars etiam plus, quam natura,) repugnante quippe natura nihil medicina proficit.* Quo igitur Hippocraticæ doctrinæ, de criticis acutorum motibus & ſolutionibus, uſum, Medicis in ſua minus verſatis arte oſtendam, eosque illius utilitate ad hanc rem penitius inveſtigandam incitem, ſequentem febris continentis hiſtoriam, obſervationibus quibusdam comitatam illuſtratamque, delineare volui.

HISTORIA MORBI.

EQues Germanus 21. annos natus, ex Comitis Sacri Romani Imperii proſapia oriundus, cui uno abhinc anno ſub Imperatoris exercitu militanti, hoſpitium Caſchoviæ erat aſſignatum, tenerioris texturæ, habitusque plethorici, cujus intuitu illi hac juvenili ætate jam aliquoties vena erat ſecanda, circa Auguſti initium, prægreſſo nimio vini noſtratis generoſi atque dulcis potu, quem refrigerandi cra-

pulamque discutiendi fine equitatio & deinceps ambulatio, per urbis plateas in seram usque noctem protracta, exceperat, corripiebatur febri quidem primo intermittente, post alterum vero paroxysmum in continentem degenerante. Ob nauseam & amaritiem cum vomendi conatu â primo statim paroxysmo Medicus illi propinabat emeticum, cujus virtute sat copiosam bilis quantitatem rejiciebat, & quoniam febris cum respiratione anxia & oppletiva continuæ faciem præ se ferebat, insuper quoque mediana incidebatur vena, cujus apertionem magnum quidem respirationis levamen sequebatur, febris vero continuabat, tantumque capiebat incrementum, ut septimo die per intervalla delirium accederet, quod autem circa diem nonum, licet cum risu esset jocosum & blandum, continuum evadere videbatur. Hinc pro ulteriori consilio capiendo accersitus, intelligebam præterea ægrum laborare agrypnia, deliria cum faciei intenso rubore, obsurdescentia, tremore manuum, subsultu tendinum, palpitatione & jectigatione inquieta, atque insolita narium fodicatione, fieri ferocia; contra blandam enim & suavem suam indolem æger fiebat morosus, imo si quis ipso invito quicquam agere tentabat, ira commovebatur.

Non minus lectum derelinquebat, & quoniam sibi imaginabatur, integra se frui sanitate, indui, ac equo exspatiari, & vi his prohibitus, verberibus sibi resistentes profligare volebat. Quamvis igitur adstantibus tristis eventus metum morbi hujus symptomata recensita merito incuterent, mihi tamen urinæ conditio adferebat spem, utpote quæ â septimo die colorem rubrum, consistentiam mediam & auctum enæorema, vel nubeculam monstrabat. Die undecimo superveniebat hæmorrhagia narium parcior, non quidem perfecte critica, nihilo tamen minus infringens morbum cum ægri euphoria, quippe qui dein quadante-

dantenus mentis erat compos, mox tamen delirio denuo corripiebatur. Duodecimo die tres hirudines naribus applicare curabam, & cum harum ope major ſanguinis quantitas detraheretur, adhuc melius ad ſe redibat, hoc tamen non obſtante circa noctem æger rurſus reddebatur inquietus & delirium cum ferocia ingraveſcebat; cum vero circa mediam noctem iterum parca accederet hæmorrhagia, tranquillior fiebat, quamvis ſomnum capeſſere non poſſet. Quoniam igitur ægri faciem adhuc ſaturatus rubor tingebat, & hic comam alebat longam denſamque caput ejus admodum calefacientem, hæc decimo tertio die demetebatur, vertici cucurbitula & utrique ſuræ veſicatoria applicabantur; recurrebat hinc circa veſperam narium hæmorrhagia, & â veſicatoriis illatum dolorem æger ſentire incipiebat, inſequente nocte in ſoporem incidebat, quo durante ne verbulum quidem proferebat, manus tamen continuo fere agitabat, ſtragula dejiciebat, vel inſolite convolvebat. Decimo quarto mane admodum erat tractabilis, mens tamen permanebat confuſa, intra octodecim quoque horarum ſpatium nihil urinæ emiſerat, cumque matulæ porrectione mictionis admoneretur, hanc effectam quidem dare conabatur, aſt ne guttulam quidem reddere poterat, facies inſuper palleſcere incipiebat, & circa veſperam horrorem ſentiebat, cum caloris augmento tractionibus ſpaſticis & inſolitis manuum agitationibus ſubſequis, per totam corporis peripheriam diffuſo levi madore ſtipatis, quem nocte tandem ſudor copioſus & criticus terminabat, quo quidem æger valde defatigabatur, & ob excitatum abinde pruritum admodum moleſtabatur, brevi autem poſt melius ſe habebat, excretiones tam alvi quam veſicæ ſponte redibant, ſucceſſive vires recuperabat & priſtinæ tandem reſtituebatur ſanitati.

SCHOLION.

HUngariam multorum exterorum, ſpeciatim Teutonum, tam marte quam morte eſſe cœmeterium, vetus quidem, ſed verum eſt proverbium: Cum enim â multis jam annis belli ſedem theatrumque conſtituerit Hungaria, non ſolum durantibus expeditionibus bellicis hoſtes eorum multa millia ſemper morti tradiderunt, verum nec pauciores ex morbis caſtrenſibus tunc temporis ſævientibus diem obiêre, qua de re ultimum contra Turcas geſtum bellum luculentum exhibet teſtimonium. Haud quidem erat mirum, ſi ejusmodi morborum cauſa ſaltem inevitabilibus tempore expeditionum laboribus improbis, defatigationibus, defectui commeatus, & circa res nonnaturales, quam diu ſub tentoriis rure habitant, admiſſis erroribus, tribueretur. Quoniam autem advenæ, quamvis ſaltem caſtellorum agant cuſtodiam, pacisque tempore commoditate ac quiete ſuis in hoſpitiis gaudeant, raro tamen Hungariam relinquunt niſi antea graviorem experti fuerint morbum, ſicque vel ſerius vel ocyus acutam ſuſtinendo febrem, lytron iis eſt ſolvendum, merito hinc in regii Hiſtorici ac Medici *Wolffgangi* LAZII ſententiam tranſeundum eſt, *cælum ſcilicet Germanorum corporibus ſemper adverſiſſimum eſſe*; cum enim Hungaria auſtris ſit pervia, minime vero aquilonibus, prætetea quoque â potiori regio paluſtris & uliginoſa exiſtat, ut *Tobias* COBERUS in *Obſervationibus caſtrenſibus Hungaricis* pluribus evincit, eaque propter de die aër ibidem tenuis ac fervidus, nocte vero denſus, humidus & improportionate frigidus exiſtat, ſubjecta ejusmodi aëris viciſſitudinibus non adſueta febre facile infeſtantur; ſicut etiam Italia hanc ob cauſam plerumque Germanis eſt exitioſa. Quare quoque LANCISIUS Româ Neapolim,

per

per loca ſcilicet cœnoſa, iter facientibus, ſuaſor eſt, ut potius moleſtias diurni æſtus ſuſtineant, quam ut ſuavitate aëris frigidiuſculi allecti nocte proficiſcantur, niſi in febris acutæ, vel plane vitæ periculum, ſe præcipites dare malint.

Noſtri quidem loci regio non adeo eſt inſalubris, partim quia vicini montes Carpathici aëris fervorem reddunt temperatiorem, partim etiam, quia tellus non tam humida & ſimul montoſa eſt; nihilo tamen minus Caſchovia, quamvis quatuor duntaxat hinc diſtet milliaribus verſus meridiem, â multis jam annis magis nota eſt aëris inſalubritate, quam Eperiæ, quia in tractu paluſtri & uliginoſo ſita eſt (quam ob cauſam plerumque craſſa nebula ſupra urbem conſpicitur) plateæ ſordibus ſcatent, & ita dictus mons Caſchovienſis libero ventorum Carpathicorum tranſitui impedimento eſt, propterea quoque peregrinantes ſenſibilem aëris mutationem percipiunt, quam primum dictum montem tranſcendêre. In vulgus hîc loci noti ſunt quidam verſiculi antiqui, quinque ſic dictas urbes regias immunitate donatas concernentes, vi quorum ſe felicem æſtimare quis poteſt, ſi redeat Bardfeldiâ fœminæ matrimonio non junctus, Caſchoviâ ſanus, Zebeno inviolatus, Leutſchovia non captus (incarceratus) & Eperiis non ſuſpenſus, & quoniam olim Caſchovienſes plerumque colore erant pallido, mos erat, hunc *colorem* κατ' ἐξοχὴν *Caſchovienſium* appellare, unde verſiculus:

Felix quem rubeo mittit Caſchovia naſo.

Hodie vero fama illa evaneſcere videtur, plateis juſſu ſuperiorum repurgatis & ſilicibus conſtratis, quo remedio aliæ quoque urbes â ſuis morbis endemiis fuêre liberatæ, obſervante LANCISIO de noxiis paludum effluviis; nihilo tamen minus experientiæ teſtimonio compertum habemus, elapſâ hujus anni æſtate plures ibi, quam hîc, tum ex dy-

 ſente-

ſenteriis, tum febribus continuis & intermittentibus decubuiſſe, manifeſto indicio, quod Eperiæ, quoad aëris ſalubritatem palmam Caſchoviæ præripiant.

Haud itaque mirum, quod laudatus eques, accedente cumprimis nimiâ noſtratis vini ingurgitatione, ægrotantium numerum ibi reddiderit majorem; inprimis ob admiſſam, prægreſſa incaleſcentiâ, tam vino, quam equitatione inductâ, nimiam refrigerationem, ſub nocturna ambulatione, quâ neceſſariam ſufflaminavit diaphoreſin, quæ in ſubjectis plethoricis, & ventilationibus ſanguinis artificialibus adſuetis, facile febrilium exæſtuationum ſanguinis fit autor, præſertim in tam vegeta conſtitutis ætate, quippe in quibus natura communiter plethoræ impatiens eſt, adeoque hac orgaſtice commota, varia dein ſuſcipit molimina ad eam imminuendam. Et hæc eſt ratio, quod ſubjecta venæſectioni adſueta hanc citra ſanitatis detrimentum negligere nequeant, cum ê contrario alia, licet evidenter plethorica, absque illa tamen gaudeant integra valetudine; unde recte quidem judicat WILLISIUS, quod crebrioribus ſanguinis miſſionibus habitus acquiratur ad ſuſcipiendas febres aptiſſimus, licet veram hujus rationem reddere non potuerit, eaque propter jure meritoque ab Illuſtri ac Celeberrimo STAHLIO in Diſſert. *de V. S. patrocinio* reprehenſus fuerit. Quamuis igitur in ſubjectis junioribus absque urgente neceſſitate intuitu ſolius plethoræ, venæſectionis promiſcuam adminiſtrationem, ſuadere vix auſim, non quidem eam ob rationem, quod ad ſummam usque neceſſitatem illa ſit differenda, cum prima venæſectionis inſtitutione, ut vetulæ opinantur, ê mortis faucibus quis eripi poſſit, ſed quia certiſſime ſum perſuaſus, quod hac in ætate vis cordis elaſtica quadantenus etiam ſuperfluæ & moleſtæ ſanguinis quantitati ſubigendæ, & in decenti motu conſervandæ, conſequenter reſtituendo ſucceſſive æquilibrio,

inter

inter vasa & humores, citra sanitatis damnum, & quidem partim consumtione ejusque applicatione superflui ad nutritionem & augmentum corporis, partim successiva resolutione sanguinis in serum, hujusque sub laborioso inprimis vivendi genere, per corporis peripheriam excretione, partim etiam in necessitatis casu actuali sanguinis expulsione, utique sufficiat. Contra vero post annum trigesimum, vasis non amplius cedentibus, atque cessante corporis incremento, ulteriorem expansionem haud ferentibus, sicque per consequens, vasorum resistentia ad istam cordis vim elasticam proximius accedente, magis necessaria erit venæsectio, quâ dein etiam provectior ætas, contra vulgarem opinionem, quod senes potius sanguinem emere, quam mittere debeant, vix unquam carere potest, quatenus crescente ætate solidorum quidem resistentia simul increscit, cordis vero vis decrescit, consequenter libera distributio sanguinis, sub annorum augmento insuper ad spissitudinem inclinantis, & motui minus obtemperantis, conseruari minime valet. Interim tamen, his non obstantibus nostro in ægroto recte atque consulto phlebotomia fuit instituta, cum ipse sanguinis ventilationibus antea fuerit adsuetus, & modum excedens humorum orgasmus, una cum pectoris angustia, illam postulaverint, unde etiam ipse HIPPOCRATES sub his circumstantiis eandem suadet, de vict. acutor. p. 396. *sanguinem*, inquiens, *in acutis detrahes, si vehemens fuerit morbus, & qui ægrotant ætate fuerint florenti & virium robore valuerint.*

Ut autem nunc propius ipsum tangamus morbum, & de eodem Hippocratice, hoc est solide differamus, morbi tempora ante omnia sunt investiganda, eaque propter, ut Medicus prima statim visitatione inter alia ex ægroto quærat, quot jam diebus decubuerit, jubet HIPPOCRATES de affect. p. 525. *initium quippe morbi cognoscere præcipuum est*, de vict,

de vict. acut. p. 400. *â primo die hinc animum advertere oportet, nec latebit, quo se vertat morbus*, Prænot. p. 44. Hoc igitur morbi principium non â decubitus tempore, quippe pro varia patientis sensibilitate & tolerantia variante, vel â lassitudinibus, dysphoriis, aliisque morbi imminentis indiciis, sed ab ipsa morbi invasione & eruptione deducendum est, & sic computationis principium nostro in ægro non capessimus â tempore, quo se male incipiebat, nec quo febri intermittente corripiebatur, sed quo febris continens se exserebat, quemadmodum HIPPOCRATES principium morbi, quo Philistes conflictabatur, non deducebat â capitis dolore & sopore, quo jam diu laboraverat, sed ab obortis ex comessationibus febribus assiduis. Sicuti quoque si puerperæ febribus acutis invaduntur, computationis initium non â die partus, sed invasionis febris faciendum est, ut HIPPOCRATES, ægrotante Philini Epicratis uxore Dromeada & pluribus aliis, fecit.

Apparentibus coctionis signis, augmenti tempus capit initium, quo etiam dolores laboresve vehementiores evadunt: *Initiis namque morborum non solum omnia sunt cruda*, Sect. I. Aph. 22. sed &, *ut etiam in fine, mitiora, vigentibus vero vehementiora.* Sect. II. Aph. 30. hinc etiam GALENUS morborum tempora ex coctionis inchoatæ & perfectæ signis â se invicem distinguit, ita ut augmenti tempus incipiat apparentibus coctionis signis; morbi vero status, insequente perfecta coctione. Quo citius itaque augmenti tempus accedit, eo quoque celerius proportionaliter status, & denique declinatio subsequitur; quo tardius vero augmentum incipit, eo certius timendum est, ne natura, priusquam ad ἀκμὴν pertingat, succumbat, & morbi fabulam mors claudat. Hinc generalis prognosis ortum trahit: *Concoctiones celeritatem judicii & securitatem portendunt; cruda vero & incocta acrisias, dolores, diuturnitatem, recidivas*

vas aut mortem significant. I. Epidem. p. 948. Hoc igitur augmenti tempus nostro in ægro die morbi septimo, quippe quo urina subrubra cum suspensione simili, ceu coctionis inchoatæ signo, apparebat, quæ suspensiones, quamvis judicandi potentia hypostasi cedant, attamen bonum exhibent indicium probabiliter mox subsequentis absolutæ coctionis, hinc & status & criseos, ita, ut, si quarto morbi die illa conspiciatur, judicationis morbi die septimo futuræ spem injiciat. *Coac. 575 & Sect. IV. Aph. 71.* Quodsi vero nubecula hæc elapso primo quaternario appareat, morbi solutio non proxime die judicatorio, sed subsequente expectanda erit: Sicut enim dierum decretoriorum vis quo tardior eo debilior, sic & vis indicatoriorum successive imminuitur, ita, ut, quamvis sedimentum rubrum, utpote perfectius coctionis signum quam nubecula, ante septimum, hoc est, quarto apparens, septimo solutionem fore indicet, post septimum tamen tardiorem significet, *575. Coac.* hoc est, crisis non contingit primo quaternario, quod undecimus dies, factô â septimo numerationis initio, complet, sed plerumque primo post septenario, hoc est, decimo quarto morbi dies. Hinc GALENUS propria edoctus experientia dicit: Quicunque morbi intra primum septenarium non terminantur, illos natura undecimo solvere molitur, & si etiam hoc intentato non potiatur effectu, humores tamen interea habiles reddit, quo decimo quarto crisin instituere possit, id quod etiam experientia nostro in ægro comprobavit.

De deliriis equidem HIPPOCRATES ita judicat, Sect. II. Aph. 33. *Mente constare quovis in morbo bonum, contrarium vero malum*, exinde tamen non sequitur, quod ægri acutis morbis decumbentes, absolute moriantur, & mente constantes convalescant; ê contrario docet experientia, plures febribus malignis laborantes vix aut nihil delirantes

fatis cedere, quam manifeste deliros, exin namque conjicere licet, naturam vel non valere, vel nolle necessarios excitare motus, ad morbum, caput simul per consensum adficientem, profligandum. HIPPOCRATES ipse notat, quod phrenitide epidemice grassante, hâc conflictantes non quidem, ut alioquin solent, delirassent, sed ob eandem quoque rationem plurimi mortem oppetivissent, *3. Epid. S. 3. p. 1085.* Hinc etiam hoc loco dicendum: Mente constare bonum, sed non statim salutare, sicut quoque contrarium malum quidem, sed non lethale est. In ægro nostro plethorico parum in recessu habebat, quod, dum plethora in capite turgescens & æstuans evadebat, delirare inciperet, præprimis cum hoc non in principio, sed augmento morbi, quo natura crisi moliendæ se successive accingit, contingeret, ***nec enim mirandum est eos, qui circa initia tenuiter febricitantes ad judicationem cum capitis pulsatione & urina tenui ingravescunt, mentis emotione ac pervigilio corripi,*** *Coac. 81. & de vict. acut. 399.* præsertim cum deliria fuerint jocosa, quæ unice ab errore & vitio phantasiæ ortum trahunt, ideoque frequentius intervalla lucida habere, & hanc ob causam tutiora esse solent, *Sect. VI. Aph. 53.* atque ejus ingenio hilari congruerent, quippe quæ tam mali ominis non sunt, quam si in homine moderati & tranquilli animi ferox & audax advertitur responsio, *Prorh. 44.* & *Coac. 51.* Cum autem æger studio, ut HIPPOCRATES loquitur, desipere & amens sapiens fieri inciperet, atque non modo phantasiâ, sed & judicio ita esset captus, ut non tantum falsas sibi formaret ideas atque conceptus, sed etiam has absolute veras crederet, ut hinc etiam ferre non potuerit, imo offenderetur & ira exardesceret, si quis illum falsa opinione exsolvere conaretur, id majoris momenti res erat, præcipue cum delirium continuum atque ferox, cum tendinum subsultu, manuum agitatione & stragulorum rejectione

jectione aliisque observaretur. Ejusmodi namque deliria sæpius cerebri inflammationem, convulsiones & denique mortem post se trahere solent. *Dementiæ enim, ubi ægri investigantium more sensim aliquid contrectant & palpant, miro quodam modo phrenitidem prænunciant*, Prorh. 34. & Coac. 76. *ad manus contactum resilientes*, hoc est, circa pulsus explorationem manus retrahentes, *male habere judicantur*, Coac. 59. *In febribus acutis qui aliquid frustra venantur, & festucas colligunt, aut floccos ê vestibus evellunt, aut ex pariete paleas carpunt, ex his omnibus malum & mors portenditur.* Prænot. p. 38. Hinc cum GALENUS quondam febre acuta adfligeretur, & hujus commatis symptomata supervenirent, atque duo suorum amicorum id animadvertentes alter alteri diceret: Videsne hunc & floccos evellere & festucas colligere? statim horum mentem intelligebat ac prompte respondebat: Recte dicitis, proinde ne phrenitis me corripiat, auxilio estote. Cum vero in nostro ægroto commemorata, alioquin periculosa, symptomata, instante crisi cum coctionis se exsererent indiciis, pro criticis utique haberi poterant signis, hinc etiam salutaris eventus erat sperandus; respiratione cumprimis manente liberâ, id quod in omnibus acutis est præcipuum, *Prænot. p. 38.* Quemadmodum ê contrario delirium cum respirandi difficultate lethiferum esse solet, *Sect. IV. Aph.* 50. & *Coac.* 89. Non minus malum est, si hoc statim ab initio, quando, cruditate humorum præsente, nulla molimina critica sunt speranda, contingit; hinc etiam HIPPOCRATES *de vict. acut. p.* 391. *si initiis*, inquit, *hæc comparent, gravis delirii significationem exhibent & plerumque moriuntur; qui vero evadunt, ii cum abscessu aut sanguinis ê naribus profluvio, vel puris crassi excretione, nec aliter evadunt*, præcipue vero mortiferum est, si deliria ferocia dicta symptomata habent subsequa, ubi ægri antea ferocientes fiunt magis quieti & placidi, nec

niſi ex actionibus his indecoris & inordinatis patet, quod ſint mente moti.

Simile judicium quoque de reliquis erat ferendum ſymptomatibus, v. g. tremore manuum, alioquin phreniticorum ſignum funeſtum exiſtente, *Coac. 97.* hoc vero loco nihil aliud quam humorum turgeſcentium copiam indicante, quæ alias ſanguinis eruptione minuitur, *Coac. 170.* & in febribus acutis futuram prædicit hæmorrhagiam, *de vict. acut. p. 400.* Sic obſurdeſcentia gravis, inſaniæ indicium alias exiſtens, *Coac. 196.* & nihil boni denotans, *Coac. 190.* niſi videlicet ſequatur narium hæmorrhagia, vel dyſenteria, *de judicat. p. 55.* inſtantem criſin per hæmorrhagiam indicavit, obſervante HIPPOCRATE *Coac. 195. Prorh. 147.* & *Sect. IV. Aph. 60.* exemplo Heropythi, ut & virginis Abderitanenſis, *3. Epid. Hiſtor. 759.* Ejuſdem excretionis indicium erat roſeus genarum color, *Coac. 142.* qui in iis quoque deprehendebatur, qui in febribus hæmorrhagias criticas experiebantur, *4. Epid. Hiſtor. 26. p. 1131.* & alioquin inflammationem cerebri, *Prorh. 49.* & convulſiones lethales, *Coac. 162.* & *prorh. 88.* (ſi nimirum nulla pulmonum inflammatio, vel alia manifeſta hujus coloris cauſa ſubſit,) notat. Sic, AVICENNA teſte, malum fuiſſet ſignum, quod æger nares frequenter fodicaret & digitos in nares, tanquam eas expurgaturus, absque cauſa manifeſta demitteret, niſi hæmorrhagici ſigni vicem geſſiſſet.

Cum itaque omnia hæc morbi ſymptomata nil aliud indicarent, quam febris ſolutionem per hæmorrhagiam moliri naturam, illam utique tanto certius expectare jubebant, tum morbi indoles atque conditio, tum ægri ætas, tum etiam ipſum anni tempus: Febres enim acutæ & præſertim continentes, frequentiori HIPPOCRATIS experientia teſte, hac ratione judicari ſolent, in ætate cumprimis juvenili, ubi meatuum libertas, materiæ humorumque fluxilitas

xilitas & naturæ virtus, quippe summe necessaria hæmorrhagiæ requisita, una adsunt, quæ corporis dispositio in subjectis trigesimum ætatis annum nondum supergressis, deprehenditur, *Prænot. p. 46.* & ad annum usque trigesimum quintum ætatis ut plurimum durat, *Coac. 160.* Hinc ait HIPPOCRATES *6. Epidem.* & *Sect. III. Aph. 18. ubi venerem exercere aut hircire incipiunt, tum hæmorrhagiis tentantur.* Sic febribus, in Thaso epidemice grassantibus, laborantes juvenes & ætate florentes, narium hæmorrhagiis, provectiores vero dysenteriis corripiebantur, *1. Epidem. p. 951.* & hoc quidem accidit vere, vel æstate, ubi aëris calor humorum corporis decentem fluxilitatem ac volatilitatem conservat, & hac ratione illos ad subeundas excretiones reddit aptos, cum ê contrario bruma frigore non solum eos hac privare solet qualitate, sed & efficit, ut magis ad corporis interiora restringantur, propterea quoque hoc tempore crises non per excretionem, sed abscessum sunt frequentiores, *Prænot. p. 45. & Coac. 143.* Omne vero nobis eximebat dubium undecimus morbi dies, quoniam actu sanguini per nares excretio hoc ipso accedebat, quæ tamen *inter signa critica non judicantia, quæ partim difficilis sunt judicii, partim lethalia, prout magna scilicet vel parva fuerint*, 2. Epidem. p. 999. referri meretur. Sicut enim in genere *nihil paucum est criticum*, sic in specie *hæmorrhagiæ criticæ sint largæ & liberales necesse est*. 2. Epidem. p. 1005. cujus commatis erant ab HIPPOCRATE in Thaso observatæ, de quibus *1. Epid. p. 951.* loquitur, quod *quibus bene & largiter sauguis ê naribus profluxit, ii vel ex eo maxime servati sint, nec ullum, cui sanguis bene profluxisset, hoc in statu mortuum esse, videre licuerit.* Contra parca narium hæmorrhagia, & multo magis stillicidia sanguinis, malum præbent omen; unde etiam HIPPOCRATES *Coac. 57. & 227.* ea rejicit, utpote ê quibus Philiscus, Epaminon &

Silenus fatis quoque concessêre, innuunt enim, naturam quidem plethoram in capite maxime turgentem extra corporis limites proscribere conari, sed vel meatuum, humorum, aut virium, vel utriusque vitio, salutari sua intentione potiri non valere; quemadmodum etiam præcipue hujusmodi irrita conamina, repetitis vicibus se exserentia, malum itidem præbent indicium: *exigua* enim *apparere malum, pessimum vero, si exiguis intervallis se consequantur*, Coac. 600. quoniam summam naturæ angustiam, simul vero etiam summam ejus impotentiam notant. Hinc si præterea sanguinis guttulæ nigredine fuerint tinctæ, mors est ante portas, ut ex Philisci historia, *1. Epidem Histor. I.* patet. Hæc autem exigua narium hæmorrhagia periculum, in quo noster versabatur æger, vel ex ea ratione reddebat gravius, quia die critico, quo omnia tam bona, quam mala, quæ apparerent, firmiorem præsagiendi rationem habent, contingebat; hinc etiam HIPPOCRATES *sanguinis* inquit *ê naribus stillationes, quæ undecimo die contingunt, molestiam adferunt, tum vero præsertim, si bis sanguis stillarit aut rursus stillare cœperit.* Coac. 337. Studio autem dicit, *molesta esse*, sed non lethalia: licet enim melius esset, naturam hoc die, quo morbum fortiter impugnare solet, nihil agere, quam semetipsam viribus orbare; fieri tamen potest, ut proximis diebus desideratum obtineat finem & liberalem producat hæmorrhagiam; *quamvis igitur judicatoriis diebus contingentia sanguinis stillicidia sint perniciosa, periculum tamen evanescit, si multus irruens sanguis viam redundantiæ per nares aperuerit*, de vict. acut p. 401. *Qui statim sine ratione perturbantur, pervigiles sunt, sanguinem ê naribus stillantes sexto die noctu allevantur, postridie vero laborantes tenui sudore correpti & in somnum delati, delirant, iis sanguinis ê naribus profusio morbum solvit*, Coac. 87. *Ejusmodi itaque exiguæ hæmorrhagiæ cum perturbationibus criticis contingentes*

tingentes largioris paulo post subsecuturæ indicia sunt. III. & 149. Coac. Si nimirum cum bonis signis & ægri levamine contingant, ut ex Metonis & virginis Larissææ exemplo patet.

Quoniam vero natura sibi relicta non semper valet sufficientem producere narium hæmorrhagiam, in ejusmodi casibus, ad caput superfluâ sanguinis mole exonerandum, absolute necessariam, quia omnis repletio propria sibi vacuatione exsolvitur atque deliria certissime eâ compescuntur, utique rationalibus Medicis, tanquam naturæ ministris, incumbit, naturam in his casibus quovis modo in suo salutari conatu juvare, & *si quæ, quo convenit, vergunt, iis viam struere decet*, Epid. 6. Sect. II. Aph. 21. *Et quæ ducere oportet, quo maxime vergunt, eo ducenda sunt*, Sect. I. Aph. 21. Hanc ob causam olim setas naribus vi intrusêre, ut hac ratione coactam producerent hæmorrhagiam, vel ad crispaturam & stricturam vasorum tollendam, quo facilius sanguis erumpere posset, capitiluvia ordinare solebant, sicut ipse HIPPOCRATES hoc scopo ea suadet *de vict. acut. p. 294. & Sect. II. Aph. 42.* imo cum successu in Metone adhibuit. Hoc in casu Ægyptii, teste PROSPERO ALPINO, in usum vocabant narium scarificationem, quam & *Illustris* STAHLIUS suadet, & Regis Angliæ quondam Archiater, *Joh.* FREIND, venæ jugularis, quippe communis omnium capitis venarum trunci, sectionem commendat. Mihi hirundines, ceu certissimum ad hunc scopum obtinendum remedium, arridebant, ignotâ cumprimis nostris Chirurgis scarificatione Ægyptiacâ; solidorum tonum liberiori aëris accessu roborandi ergo tondebatur caput, ad meningum vero stricturam augendam cucurbitula applicabatur, vesicatoriis autem partim solidorum oscillationes promovere, partim ulteriores sanguinis ad caput congestiones refrenare intendebam.

Postea

Poſtea quoque natura, quod ſimultaneâ & perfecta criſi præſtare non poterat, continuatâ, licet incompleta, confecit, hoc eſt, quoniam æſtuantem capitis plethoram hæmorrhagia liberali & larga minuere non valebat, hoc repetitâ perfecit, eàdem ratione ut in Cleonactide contingebat, *ubi nimirum ſanguis paulatim & inconſtanter ad judicationem usque fluxit*, 1. Epid. Hiſt. 6. & quemadmodum GALENUS Hippocratis capitiluvio Metonis conſervationem acceptam refert; quoniam eo narium hæmorrhagia frequentior proritabatur, ſic certiſſime ſum perſuaſus, hujus ægri convaleſcentiam plurimum hirundinibus adjutam fuiſſe, meque quicquid in artis poteſtate fuerat, præſtitiſſe. Nemini itaque mirum videri debet, ſi in morbi hiſtoria hujus primarii ac Illuſtriſſimi ægri nullas deprehendat formulas ex pretioſis, ſolaribus, gemmatis, bezoardicis, hujusque farinæ aliis conflatas, hodie namque mos obtinuit, ut his præ inferioris conditionis hominibus ſanitas majoris ſit redimenda, exemplo equitis illius, cui febris acutæ, qua tenebatur, curatio ſexaginta conſtabat imperialibus, quas pro lapide bezoardico ſolvebat, quâ tamen alii, candido LUDOVICO teſte, tot nummorum pretio liberari potuiſſent: cum enim ejusmodi remediis, quantivis conſtent, directam & efficacem potentiam in acutis non tribuam, licet, me nondum ad ægrum accerſito, in morbi principio ejusmodi pretioſa ad nauſeam usque fuerint in uſum tracta, imo egomet ipſe, morbo ad judicationem tendente, quosdam pulveres temperantes nitroſo - cinnabarinos, & alioquin famâ percelebrem Eſſent. dulc. Hallenſ. partim ut conſuetudini, partim etiam officioſæ deceptioni ſatisfieret, propinanda curarem, (quia nimirum intendebam hoc modo impedire, ne aliis calidis analepticis & bezoardicis æger obrueretur, nec naturæ motus, ut alias fieri ſolet, opiatis turbarentur,) operæ pretium tamen

non

non ducebam, eorum facere mentionem, quia curationis morbi cardo in his in ſpecie non vertitur. HIPPOCRATI ejusmodi pretioſa olim erant incognita, ejusque arcana unice in debito victus regimine & tranquilla criſium expectatione conſiſtebant; & quamvis hæc ſimplex HIPPOCRATIS medendi methodus hodiernis Medicis magnificis non arrideat, idem tamen, imo longius ſæpe febrium periodi requirunt temporis ſpatium, quam HIPPOCRATIS temporibus, luculentiſſimo & irrefragabili teſtimonio, has medicationes ad ſummam rei vel nihil plane facere, vel ſaltem non plus, quam ſibi relicta natura præſtitiſſet, efficere.

Nullum interea dignitati hujus partim proritatæ, partim â natura continuatæ hæmorrhagiæ adfert detrimentum, quod febris non ſtatim ceſſauerit, ſufficit, quod hac ratione natura habilis reddita fuerit, facta prius evacuatione capitis particulari, ad univerſalem ſudoris excretionem inſtituendam, & ſic morbum perfecte judicandum, ſicut etiam Meton, virgo Abderenſis & illa Lariſſæa beneficio hæmorrhagiæ prægreſſæ ſudores judicatorios obtinuerunt: Niſi enim caput narium hæmorrhagiâ, ſanguine turgeſcente ac exæſtuante, quadantenus fuiſſet exoneratum, certo certius ante ſudoris judicatorii eruptionem lethales cerebri inflammationes, ſopores & convulſiones, quid? quod & ipſa mors ſubſequuta eſſent. Sic etiam tam urinæ retentio, quam reliquorum ſymptomatum exacerbatio minus me terrebat, quamvis cæteri de ægro actum eſſe putarent, quia nox criſin præcedens gravior eſſe debet: Iſchuria vero indicium erat factæ ſeri in corporis habitum diverſionis mox ſudore critico eliminandi, cujus certitudinem ſubſequus evincebat horror: *Solent enim urinarum ſuppreſſiones rigorem præcedere*, 6. Epidem. & Sect. I. Aph. 9. *Quibus rigores imminent, critici ſcilicet, iis urina reſiſtat, velut mulieri con-*

ri contigit, quæ, ubi inhorruit, ſudore correpta eſt, Prorh. 110.

Quamvis itaque criſis hæc absque hypoſtaſi urinæ laudabili, quippe coctionis perfectæ indicio, ſine qua alioquin nullæ fidæ ſolutiones morborum ſequuntur, contingeret, ejus tamen defectum enæorema fundum magis magisque petens ſupplevit, quæ bonum, licet non abſolutæ, tamen ſufficientis coctionis præbuit ſignum, præprimis cum nubecula hæc bono, nimirum ſubrubro, eſſet colore, atque unita, minus diſperſa, qualis etiam præ aliis laudatur *Coac. 577. & Prænot. 40.* & GALENUS ſua id corroborat experientia, ſubjectorum humoribus crudis non exuberantium febres ejusmodi nubeculis, absque hypoſtaſeos expectatione, judicari, ſicut etiam HIPPOCRATES urinas tenues, boni tamen coloris, hoc eſt, non adeo tenues, ut omnis coloris expertes & penitus aquoſæ ſint, nec adeo craſſas, quo minus ſint perſpicuæ & bene coloratæ permanere queant, judicatorias ſæpius dicit *in Epidem. Hiſtoriis.* Præſertim vero hæmorrhagiæ criticæ præ omnibus aliis excretionibus hoc peculiare habent, quod non ſemper abſolutam requirant coctionem, ſed & ante ſtatum ſalutariter contingant, ut ex Metonis & virginis Lariſſææ exemplis apparet, quanquam omnino etiam circa has excretiones ſit tutiſſimum, urinas adeſſe concoctas, vel ſaltem mox ſuccedere, alias enim ſolutionibus fides non tuto habenda, ut Cleonactides expertus eſt; hinc tanquam peculiare quid circa Metonem & laudatam virginem adnotat HIPPOCRATES, quod morbus non redierit, ſed judicatione abſolutus ſit, quia nimirum in ejusmodi caſu recidivæ ſequi alias ſolent, quas vero in illo peractâ judicatione continuans narium hæmorrhagia, in hâc autem menſium eruptio prævertit. Morbi quoque judicatio, ut fieri debet, *Coac. 150.* judicatorio contingebat die, alias periculum

culum eſt, ne morbi recurrant, ut ſæpius monet HIPPOCRATES, *Coac. 80. 146. Sect. IV. Aph. 36. I. Epid. p. 965.* aliisque locis. Non ſolum vero dies decimus quartus eſt acutorum terminus, juxta *Sect. II. Aph. 23. & Coac. 137.* ſed & dierum criticorum una cum ſeptimo potentiſſimus, quippe quo, teſtibus HIPPOCRATE & GALENO, plurimæ perfectæ, evidentes & conſtantes eveniunt criſes.

Et hoc eſt, quod hac nobis monendum erat occaſione, cui coronidis loco ſubjicimus, quod, quamvis non ſit impoſſibile, ut doctrinæ criſium probe gnarus Medicus ejusmodi morborum eventum prævideat, ejusque prædictione maximum ſibi apud alios conciliet favorem & auctoritatem, ſua tamen radiet veritate HIPPOCRATIS effatum, *Sect. II. Aph. 19. non omnino certas eſſe acutorum prædictiones, neque mortis neque ſalutis.*

(Eperieſo Erfordiam miſſa d. 26. Novemb. 1730.)

OBSERVATIO XII.

D. D. JOH. ADAMI GOERITZII.

De

Spiritus vini accenſi efficacia.

PUlveris pyrii virtus elaſtica exploſiva ſatis jam jam nota eſt, ex tot ruinis undique terrarum conſpiciendis. Aurum fulminans quid poſſit inconſiderate ſaltim tritum, Chymici & Pharmacopoei incauti ſæpius damno ſuo experti ſunt, prout hoc copioſa apud DOLÆUM, nec non *in Ephemerid. Acad. Nat. Cur.* & *Actis Wratiſlavienſibus* proſtantia exempla abunde teſtantur. Minus vulgare eaque propter ſatis notabile eſt, quod jam referam de virtute accenſi ſpiritus vini elaſtica. In Monaſterio hujus urbis

Cæsareo victor ordinarius septem nova dolia vini, ex asseribus quercinis fabrefacta, per spiritum vini accensum â ligni odore purgare studebat. Quodlibet dolium triginta sex amphoras capiebat, hinc unicuique illorum libræ duæ spiritus vini simplicis infundebantur, qui injecto postea ardente papyri frustulo accendebatur. Victorum modus est, in purgandis hoc modo novis doliis, dum ardet spiritus vini, saccum arena plenum & probe madefactum super imponere, eumque hinc & inde trahere, sine dubio, ne flamma suffocetur, aut ejus vehementia dolia noxam adferat. Hoc modo quodlibet ex his septem doliis purgabatur felici successu. Finitâ hac operatione victor ad primum dolium revertebatur, persuasus, flammam in eo jam esse extinctam, eaque propter servi sui auxilio ê pristino loco illud removere intendebat, ne transeuntibus impedimento esset; sed infelicissimo cum successu: quamprimum enim dolium agitabatur, ingens mox susurrus in illo oriebatur, quem insecutus est fragor terribilis, cum erumpente flamma ex superiore dolii orificio. Dolii pars anterior in plura frustula, ultra centum passus dispersa, dissiliens, victoris servum, abinde in terram prostratum, mox enecavit, ita, ut nec suspirium amplius ab eo audiretur. Victor posteriorem dolii partem dirigens, pariter equidem in terram prosternebatur, non tamen lædebatur in corpore suo: ê contrario servo ipsius brachium anterius, & quidem utrumque ejus os, diffractum fuit, pars superior suggillata conspiciebatur, itemque pars capitis, ac insimul sincerus sanguis manabat ex ore, naribus & aure, evidenti argumento caput vehementer læsum, & â fortiori concussione multa vasa sanguifera disrupta fuisse. Discant hinc cautius mercari victores, cum spiritu vini accenso, & attendant, quid virtute sua elastica efficere possit, nec imposterum dolium moveant, donec flamma, intra

illud

illud excitata, penitus extincta sit, & vapores ex dolio expiraverint.

(Ratisbona Altorfium missa d. 18. Decemb. 1731.

OBSERVATIO XIII.

DN. D. JOH. SEBAST. ALBRECHTI.

De

Sutura transversali ab uno lambdoideæ currente ad alterius crus in cranio humano.

MIrum quantum variat natura in ossium cranii numero, conformatione & combinatione per suturas, tum secundum ætates diversas, tum alias causas. Qui de eo dubitat, adeat præter alios *Joh.* RIOLANUM *in Comment. de Ossibus cap. VIII* p. m. 774. inprimis vero pag. 738. quæstione: *An pro varietate figurarum capitis, suturarum numerus & situs mutetur?* In concursu Lamdoideæ & sagittalis suturæ officulum triangulare reperiri & quandoque subrotundum, propriâ sutura circumscriptum, cui PARACELSUS & CROLLIUS superstitiose satis, specificam virtutem antiepilepticam tribuere, ROLFINCCIUS *in Dissert. Anatom.* & ex hoc illustre quondam Societatis nostræ ornamentum, *Joh. Maur.* HOFFMANNUS, refert, *in Dissert. Anatomico-Physiolog. ad Hornii Microcosmum p. 176.* Vix tamen ubique hoc deprehenditur, quin potius perpauca occurrunt crania, ubi illud videre licet. Factum inde est, ut â multis Anatomicis silentio prætereatur. Est tamen inter rariora naturæ â me asservata cranium humanum viri adulti, ubi in loco memorato non officulum,

ſed os ſatis magnum â reliqua occipitis oſſis parte, per genuinam ſuturam transverſalem, ab uno lambdoideæ ad alterius crus extenſam, ita diſtinctum & ſeparatum eſt, ut triangulum referat exacte æquicrurum, cujus crura $1\frac{3}{4}$. pollic. baſis vero $2\frac{1}{4}$. poll. Pariſ. ped. æquant, non deficientibus interim in reliquo utriusque lateris ſuturæ lambdoideæ tractu, oſſiculis Wormianis, eo inprimis loco copioſius & diſtinctius conſpicuis, ubi occipitale hoc os circa proceſſum maſtoideum cum petroſo jungitur. Adumbrationem quandam ſchema præſens ſiſtit, Fig. 7. Tab. I.

aa. Sutura coronalis.
b. - - - ſagittalis.
cc. - - - lambdoidea.
d. - - - transverſalis.
e. Os triquetrum hiſce finibus circumſcriptum.

OBSERVATIO XIV.

DN. D. JOH. SEBAST. ALBRECHTI.

De

Puerpera variis exanthematibus, comitante febre continua, poſt puerperium ſe invicem excipientibus, vexata.

PRimipara, temperamenti ſanguineo-cholerici, ætatis triginta & aliquot annorum, habitus corporis mediocris, doloribus uteri ſpaſticis ante plane abſolutum ſuæ ingravidationis terminum, (forſan ex neglecta venæſectione, cui alias aſſueta erat,) tantis affligebatur, ut, concurrentibus ſimul irritationibus moralibus, impediri non poterat, quin ipſe fœtus admodum debilis octimeſtris excludeclude-

cluderetur. Poſt primum octiduum, lochiis rite interim fluentibus, corripiebatur febri continua, acuta, cum ſiti & anxietatibus præcordialibus, prodromis purpuræ malignæ albæ, quæ & tertio die erumpebat copioſiſſime. Hanc ipſam, ſecundo octiduo abſoluto, excipiebant variolæ aquoſæ, per totum corpus diſperſæ, in mammis vero copioſiſſimæ, nova febri comitante. Spe melioris eventus jam præſente, denuo ira commovebatur intenſius, unde iterum redibat purpura alba, benignior quidem, aſt pruritu valde moleſta, ut urticatam dixeris, febri non ceſſante, ſed ad quartum octiduum adhuc durante, adjungebantur furunculi copioſiſſimi per totum corpus diſſeminati, copioſiores vero circa lumbos & femora. Tandem vero adſpirante ſummo numine, conſervato moderamine rerum ſex non-naturalium, prohibito inprimis aëris acceſſu, & intenſiori calore, diluentibus non ſpirituoſis, pro ſiti ſufficienter, nec nimis calide, nec nimis frigide conceſſis, adjuvantibus ſimul diapnoicis aqueis & terreis, abſoluto ſexto octiduo plane convaluit. Quæ cauſa vera formalis ſit, tot exanthematum, ſe invicem excipientium, maxime inter ſe diverſorum, merito adhuc inter deſiderata pathologico-practica numerandum eſt. Trium ſucceſſive inſultuum varioloſorum rariſſimum caſum refert WOODWARD, *in Medicinæ & morborum ſtatu, p. m. 132.* Majorem vero cum noſtra obſervatione convenientiam habet ægra, febri acuta exanthematica quinquies ſerie non interrupta afflicta, quater nempe purpura maligna, ſemel variolis, tandem purpura benigna, cujus hiſtoriam & analyſin pathologico-practicam peculiari diſſertatione tradidit Excellentiſſimus *Polyc. Gottl.* SCHACHERUS, Lipſ. 1723.

OBSER-

OBSERVATIO XV.

DN. D. JOH. SEBAST. ALBRECHTI.

De

Ornatissimo, figuris Hieroglyphicis quasi, Belemnite Fechheimensi prope Coburgum.

INter rariora naturæ & in patriæ aliunde summa cum industria collecta, eminet sane præsens Belemnites elegantissimis figuris, Obelisci instar Ægyptiaci, ornatus. Color ei undique conneo - nigricans est, magnitudo tanta, quantam præsens ejus delineatio artificiosa sistit. Cavitate & nucleo caret, in basi vero ex puncto majori eccentrico, quod forsan cavitatis apex fuit, plures oriuntur circuli, itidem eccentrici, ita dispositi, ut, quemadmodum id in arboribus truncatis videmus, in uno latere majoris sint distantiæ tum à puncto, tum â se ipsis, quam in altero opposito, radiis vero ex eodem puncto ortis lineâ rectâ progredientibus ad extrema intersecentur. Totus lapis itaque lamellatim compositus esse videtur. Longitudinem utrinque linea aliqua, sive fissura, in duas partes æquales â vertice ad basin usque dividit. Figuræ belemnitæ huic ita inscriptæ sunt, ut emineant â superficie reliqua. Aliæ litteras, aliæ hominis partes, aliæ aliud quid referunt. Eminent tamen inter omnes excellenti sua figura, manus humana extensa, & super illam, interpositâ linea obliqua, cordis signatura, in aversa parte vero trochus, sive stella. Cum vero cuique pro phantasiæ benignitate cum reliquis figuris ludere liceat, & vel frondes palmarum, vel characteres exoticos, vel denique varia instrumenta oeconomica fin-

ca fingere, operæ pretium esse judicavi, in præsenti tabulæ I. fig. 8. & 9. delineationem ita sistere, ut & magnitudo & figuræ, quæ facilius pingi, quam verbis adumbrari possunt, cuilibet pateant.

Patria ei est nostrum Flechhemum, pagus thesauris suis naturalibus & è petrefactorum genere & aliis, ornatissimus, (*) ubi in agro cum aliis, sed minoris elegantiæ, repertus est.

De Belemnitarum origine occupatus nunc non sum, cum varii eruditissimi Viri, & recentissime demum de Historia naturali optime meritus *Joh. Phil.* BREYNIUS, (**) Collegii nostri & Londinensis ornamentum singulare, de eo disputarint eruditissime & ingeniosissime, ita ut vix dubium supersit, transiisse illos cum aliis marinis, in diluvio universali, ex animali regno in minerale. De figurarum origine vero in nostro Belemnite brevissimis mentem meam exponam. Circa Belemnitas jam alii observarunt, lamellatam illorum esse structuram, quam distinctissime nostri monstrat basis superius descripta. Externam vero lamellam vel acrior humor, vel etiam vermiculi, quemadmodum in carie ossium id fieri interdum, observatum est, arroserunt, unde aquæ & aëri, modificante solis calore, liberior fuit accessus in interstitia lamellæ prioris & huic immediate substratæ, hacque ratione vincula inter utramque soluta sunt. Quod vero hæ vel illæ figuræ inde sint

 ortæ,

(*) Conf. *Joh.* KANOLDI b. m. Anhang zum 1sten Theil Neickelii Museographiæ, p. 146. it. allgemeines historisches Lexicon, Lips. 1730. in fol. sub Tit. *Coburg.*

(**) In dissertatione physica de Polythalamiis, cui adjecta dissert. de Belemnitis Prussicis, Gedani 1732. Conf. it. *Balthas.* ERHARDI Phys. Memming. diss. de Belemnitis Suevicis, cujus nova editio 1727. prodiit Aug. Vindelicorum.

ortæ, id mero casui adscribendum esse putaverim. Videmus sic ê progressu, via & reditu vermiculi in tabula pulvere subtilissimo tecta, in foliis porro arborum quarundam, ab insectorum, ea ex parte cuticulam depascentium, itinere, sæpissime sine ulla deliberatione oriri figuras varias. Figuram, quæ cursu muscæ, Autori *Intercus* dictæ, serpentem in folio adumbravit, diligentissimus hoc tempore insectorum observator sistit, *Joh. Leonhardus* FRISCHIUS, *in Descript. Insect. part. VII Tab. XI.* & sic plerumque omnem lusum naturæ ex causis præter deliberationem accidentibus, id est, fortuitis, fieri, nullus dubito.

OBSERVATIO XVI.

DN. D. JOH. SEBAST. ALBRECHTI,

De

Villorum glomo vomitu rejecto.

CRines vomitu rejectos & suffocationem minitantes, FORESTUS jam notavit, *Libr. XV. Observat. XXIX.* Plura vero exempla collegit *Joh.* SCHENCKIUS *Lib. III. Observ. edit: Francof. 1609. in fol. p. 365.* Causa rei ejusmodi inconsuetæ tantum non semper in veneficium, seu incantationem, quo jure equidem nescio, rejicitur. De quadrupedibus animalibus, v. gr. Bobus, vaccis, cervis, capris & aliis, notum est, quod villos cutis, sive pilos, linguæ asperitudine lambendo evellant & deglutiant, ex quibus copiosioribus pilæ globosæ, seu glomeres formantur, sæpe reperiundi in ventriculis eorundem. Idem quidem non contingit in homine, non desunt tamen aliæ causæ, v. gr. opificia varia circa res pilosas & his congeneres occupata, ubi crebrius leviores brevioresque imprimis villi vel ipso spiritu in os trahuntur, & porro per viam regiam,

giam, oesophagum, puta, derivantur in ventriculum. In aliis neglecta cura & mundities in parandis cibis, quibus immisceri facile incongrui & ventriculo minus amici hospites queunt, locum habet; in aliis alio modo res accidere potest. Quocunque vero casu copiosiores pili, villi, sive crines etiam in ventriculum præter naturam venerint, voluti ibidem motu ipso ventriculi continuo, in pilas, seu glomeres, facile coeunt, quemadmodum alias manibus idem fieri manifestum est, unde non mirum, ubi id acciderit, cum salute ægroti, vel sponte natura, vel medicâ ope adjuta eadem rejici.

Nascuntur insuper in volucrium ventriculis pennulæ, qualem anserinum plumeum, i. e. refertissimum plumulis non deglutitis, sed ordine positis, radicibusque suis membranæ, aut, si mavis, glandulis ipsis infixis, ipsemet ego inter alia naturæ curiosa asservo, atque præter alios plures, rei testem oculatum habeo Cl. Dn. Dr. *Franc. Ernest.* BRüCKMANNUM, Amicum & collegam multis nominibus honoratissimum, in *Annal. Phys. Med. Wratislav. Anno 1726. Mens. Junio Class. IV. p. 708.* Quis ergo & in humano ventriculo, per analogismum haud ineptum ductus, villos aut pilos posse nasci difficulter persuasum sibi habebit, nisi in physicis plane plumbeus esse velit. Ex qua causa derivandus fortasse est periodicus ille & quasi menstruus crinium (nisi villos potius, quam crines, fuisse vero similius sit,) conglobatorum vomitus â FORESTO l. c. notatus. Exemplis ejusmodi ab aliis memoriæ proditis, nos adjiciemus novum aliquod â nobis observatum.

Ipsis nimirum Kal. Majis anni præsentis *cIↄIↄccxxxII.* venit ad nos robustus alias servus, ætatis aliquot viginti annorum, rhedarius, de prostrato plane appetitu cum præcordiorum anxietate multum conquestus, quibus ipsis levior aliqua lipothymia accedebat crebrius. Vernalibus ter-

tianis intermittentibus febribus, tantum non epidemice graſſantibus, de eadem, etiam præſenti ſubjecto imminente, ſuſpicio movebatur. Ut primæ itaque viæ in tempore repurgarentur, præmiſſo ſale digeſtivo, vomitorium ex Ipecacuanhæ rad. & Tartaro emetico propinabatur, mirando cum ſucceſſu. Integer namque glomus villorum tenuium cinereorum, inſtar lanæ evulſæ, (Rauff-Wollen) magna quidem cum moleſtia, vomitu expellebatur; aſt magno etiam cum levamine, febri ipſa quoque ſolis digeſtivis continuatis & bis interpoſitis amaricantibus tonicis, poſt paucos paroxyſmos, ceſſante. Rarioris effectus cauſa, ut fieri ſolet, ſtatim, etiam ab illis qui ultra vulgus ſapiunt, faſcino tribuebatur, ſed declarata mea ſententia, ſuam tanto lubentius mutabant, cum ipſis domeſticis notum eſſet, ſervum rhedarium per plures dies apud opilionem in Villa Domini commoratum fuiſſe, cujus uxoris mundities in parandis cibis non eſt commendatiſſima.

(Coburgo Altorfium miſſa d. 24. Sept. 1732.

OBSERVATIO XVII.

DN. D. ERNESTI FRIDERICI HEIMREICH.

De

Holoſerico, remedio antepileptico, ætiologice conſiderato.

LEgimus in *Annalibus Phyſico-Medicis Vratislav. Anno 1718. Menſe Februar. Claſſ. IV. Artic. X. p. 698.* ſequentia: Ich muß nicht verſchweigen, daß ich von ſchwartzen Sammet ein Pulver brenne, und denen, welche morbo epileptico laboriren, allezeit in dem Moment, wenn

wenn sich der Mond wechselt, und also viermahl in dem Monath, à 3. Messer-Spitzen voll gebe, in Rauten- oder Linden-Blüthen-Wasser, davon besonders diejenigen, welche das erstemahl damit incommodiret worden, das Unglück nicht mehr bekommen haben. Hæc ipsa relatio occasionem mihi subministravit, in effectum & causas propositi remedii diligenter inquirendi, idque accuratiori æstimatione metiendi, ut idem illud ex effectibus & causis scirem. Dictum modo ad effectum quod attinet, eundem me experientia aliquoties docuit, causas vero, quas quæro, in sequentibus & inprimis in sale & sulphure serici me reperire puto.

Paratur enim Holosericum ex Bombycum producto, quod sericum vocant, hoc vero sericum copia salis alcalici, tum fixi, tum volatilis, abundat, quod facile separari & compedibus liberatum in forma salis volatilis exhiberi potest, prout hoc evidentissime ostendit Academiæ Reg. Scient. Paris. dignissimum Membrum, *Joseph Pitton* TOURNEFORT, qui comparatione analysium salis Ammoniaci, serici & cornu cervi instituta, majorem copiam salis volatilis ex serico, quam ex cornu cervi separavit, quamvis salis volatilis copia, qua cornu cervi abundat, sit notissima. Sic enim scribit in suis observationibus: Quindecim unciæ serici crudi minutim incisi retortæ immissæ igne lenissimo dant uncias duas & drachmas duas salis volatilis in substantia; cum quindecim unciæ cornu cervi in retorta itidem destillati non nisi dimidiam unciam cum drachma dimidia præbeant. E serico tres unciæ cum dimidia spiritus volatilis obtinentur, é cornu cervi autem unciæ quatuor cum drachmis septem, id est, uncia una cum tribus drachmis plus. Sed omnibus bene consideratis fatendum est, ê serico plus quam alterum tantum salis volatilis, quam ê cornu cervi, obtineri. Parum enim salis volatilis requiritur

 ad

ad animandam unciam unam & drachmas tres phlegmatis, atque ita acuendam, ut ſpiritus chymici nomine venire poſſit. Caput mortuum cornu cervi uncias ix. drachm. ij. ſerici verò unc. v. drachm. v. exhibens, majorem illius præ hoc terreſtreitatem oſtendit. Apparet ergo copia ſalis alcalici, qua ſericum abundat, quodque blando ſulphure ſepultum eſt, (ſal acidum enim neque in animalium corporibus eorumque productis tam copioſe reperitur, neque ut ſal volatile in retortæ collo ſe manifeſtat,) & cum alias facultates, tum cephalicam generatim & nervinam atque antepilepticam ſpeciatim habet, teſte Ill. *J. M.* HOFFMANNO *in Act. Labor. Chim. Altorff. p. 64,* eaque propter inſignem uſum in Epilepſia ſericum habeat neceſſe eſt; concurrit enim, ex ſententia Ill. WEDELII, in Epilepſia præter cerebri indiſpoſitionem, etiam lymphæ dyſcraſia, & ſpeciatim lympha ichoroſa, acido-bilioſa; ſimul obſtruuntur membranæ nerveæ, ſtringuntur & convelluntur, ſpiritus confunduntur & varie irritantur, inque ſpasmodicos motus reliquæ etiam partes adiguntur, ob quas cauſas & ſymptomata optime convenit ſericum, vi ſalis alcalici copioſi, tam fixi, quam volatilis, & blandi demulcentisque ſulphuris, quibus etiam gaudent alia medicamenta in Epilepſia convenientia, ut ſpiritus ſalis ammon. corn. cerv. ſimplex & ſuccinatus, caſtoreum, oleum animale Dippelii, â JUNCKERO elaboratum & deſcriptum *in Annal. Med. Phyſ. Vratislav.* & in VATERI *Diſſ. de olei animalis viribus*, ubi Cl. Auctor ſimul exquiſitam ſubtilitatem & inde dependentem penetrandi vim, conſimilibus ſalino-ſulphureis adſcribit principiis. Accedit vehiculum congruum, ex aqua rutæ, vel florum tiliæ conſtans, tempore juſto, phaſium Lunæ momento exhibitum; Luna enim mire hoc morbo ſymbolizat, & eo tempore naturæ ſenſus fortaſſe eſt ſenſibilior. Ne autem medicamento plures vires, quam revera

poſſidet,

possidet, adscribam, fatendum est, non in omni Epilepsia id convenire: In illa enim, quæ symptomatica est, vel in motibus naturæ adsuetis & exacerbatis consistit, vel etiam causis materialibus & indispositioni inveteratæ debetur, vel â spina infixa dependet, minorem habere facultatem creditur. Saltem prodesse potest in Epilepsia â supra memoratis causis dependente. Dubium vero subnasci posset, an tale sal alcalicum etiam in serico texto & colore atro tincto, ut in crudo, & in eo, quod torturæ ignis, alias omne sal volatile abigentis, fuit expositum, se exhibeat; ubi primum supra laudatus ignis modus est respiciendus, deinde ex arte tinctoria repetendum, quod sericum crudum saponis subquadrupla portione illinatur, & cocturæ subjiciatur, postea iterum elutriatum, in aqua alumine saturata maceretur, (quam præparationem allunitren vocant,) porro ad efficiendam coloris nigri tincturam variis adstringendi & incrassandi vi pollentibus ingredientibus, v. g. gallis, vitriolo, gumm. tragacanth. injici, & tandem ichtiocolla nitidum reddi. Ex quibus operationibus nulla plenaria destructio salis alcalici fixi & volatilis inferi & dijudicari potest, potius adjecta incrassandi vi prædita, & particulis crassioribus alias adstringentibus fœta aliqualem defensionem ab ignis vi procurare & fixationem efficere possunt. In dicta incineratione aperta quidem affirmari nequit remanere sal volatile, potius concedendum est, fixum omne perdurare, & volatile paucissimum, imo plane nullum relinqui, nisi quis concretionem, ad quam sal serici volatile est aptissimum, quæque affuso spiritu vini statim sese ostendit, respicere, & sulphureos, quibus est vinctum, compedes eosque tenacissimos intueri velit. Sal serici ad concretionem, inquit TOURNEFORTIUS, aptissimum; affuso enim spiritu vini concrescit in magma, grumos salinos crassos ostendens, secus ac sal ammoniacum.

Fortasse

Fortaſſe hæc ſunt, quæ doctiſſimus Collector dictarum Annalium reſpexiſſe videtur, dum hujus remedii operandi vim in diuretica virtute collocare ſuſtinet, quæ etiam meo judicio ſtare poteſt. Serici interim præſtantia & uſus in medicina priſcis temporibus ſine dubio in magno pretio fuit; quia veteres ſericum crudum confectioni Alkermes, ſpeciebus liberantibus, Diamoſchu, aliisque formulis immiſcuerunt, ipſique vim cordialem & analepticam adſcripſerunt. Veſtes ex textis ſericis paratas appellat PROCOPIUS, *Libr. II. de Bello Vandalico*, Medicas, cujus nominis rationem *Henr. Salmuthius* in notis ad *Guidonis* PANCIROLLI *nova reperta*, reddit, quod â Medis & Perſis communiter advectum ſit; fortaſſe autem ob ejus vim medicam veteres illas hoc nomine inſigniverunt, quod aliorum relinquo judicio. Majori certitudine vim medicam, ſpeciatim in affectibus capitis, inſignem ſtatuo, intuens guttas Anglicanas tanquam ſingulare ſecretum occultatas, quarum compoſitionem Carolus II. Rex Magnæ Britanniæ â Chymico quodam coëmerat, & ex ſpiritu ſerici cum oleo Cinnamomi, aut alio quodam eſſentiali rectificato parabantur, & in affectibus capitis ab obſtructionibus & ſtagnationibus originem trahentibus, tam interne, quam externe, frequentioris erant uſus. LISTERUS, Anglus, cum TOURNEFORTIO, dictam compoſitionem commmunicaverat, quam hic dein ad commune commodum in conſpectum & lucem protulerat.

Coronidis loco addam: Omnia inſecta, quæ fila texere ſolent, multum, præter ſulphur plicatile, cuſtodire ſalis volatilis, quod filis ſuis largiter intexunt. Oſtendi poteſt hoc non ſolum allato exemplo, ſed & aliis, quæ mihi in mentem veniunt, dum veſpas & araneas intueor. Illæ nidos parant & conglutinant non ex luto, aut terra, ut ARISTOTELES & PLINIUS arbitrati ſunt, ſed ut

ALDRO-

ALDROVANDUS recte judicat, ex herbis & floribus, quarum particulas minutissimas colligunt, & glutine proprio combinant, hincque nidos, ex materia chartæ bibulæ fere speciem præbente, efformant, ac inter lapides collocant, iisdemque illis agglutinant, & ut HOMERUS loquitur:

Οἰκία ποιήσονται ὁδῷ ἐπὶ παιπαλοέσσῃ.

Domunculas faciunt in via prærupta.

Hos inquam nidos in doloribus dentium, pluribus remediis frustra adhibitis, loco Tabaci in fistulas immittunt homines plebeji, accendunt, & fumum ordinario modo, post brevem remoram in ore, efflant & hoc remedio magnam quantitatem sputi emittunt, sicque doloribus sæpissime liberantur, quem effectum sali volatili resolventi, & sulphuri demulcenti deberi, videor posse contendere, quatenus sal illud, sulphur explicans, sub forma fumi in poros sese insinuat, & in carne dentes ambiente, ac circa periostium stagnantes humores resolvit & educit, simulque demulcendo partes solatur. De telis aranearum simile judicandum venit, aranearum enim sal causticum & fere venenosum neminem fugit, & maxime inter illos constat, qui araneas quasdam in vitro tamdiu retinuerunt, donec una alteram consumsit, & ultima tandem extincta in oleum fœtidum, salibus refertissimum, resoluta fuit; hinc participes erunt salis volatilis procul dubio etiam earundem telæ productæ, præsertim si in Gallia manufactura ad fila ab araneis deducta & ulterius componenda, inchoata & non tam affectata, quam confecta fuerit, ubi ex textis aranearum in serici modum formatis, analysi chymica subjectis multo major copia salis, quam ex serico acquiri posset. Tarantularum, similiter fila deducentium, virus, â sale copioso ac accerrimo dependere, est notissimum.

 Alia

Alia insecta, de quibus varii Autores ex instituto egerunt, taceo.

(*Coburgo Altorfium missa d. 29. Octobr. 1732.*

OBSERVATIO XVIII.

DN. D. JOH. CHRISTIAN. STOCKII.

De

Vidua per novem annorum spatium cœcitate afflicta, & tandem divinitus restituta.

M. *Cornelii Vogelii*, Frohburgi Saxoniæ Pastoris quondam Primarii, ante annos XXXVIII. beate defuncti, adhuc superstes vidua, Weidæ Variscorum degens, A. cIↄIↄccxII. die Lunæ post festum Paschatos casum experiebatur pertristem adeo, ut alto & gravi lapsu cubiti dextri ambo ulnæ & radii ossa, juxta articulationem cum carpo, frangerentur, facies in latere dextro valde contunderetur, imo & oculus dexter fere penitus destrueretur. Misera ferebatur in lectum semimortua, statimque accersebantur Medicus & Chirurgus, qui nihil omiserunt, quicquid ab artis salutaris peritis expectari poterat. Ob nimiam quidem oculi dextri destructionem in eo ipsa visum omnem amisit, faciei autem reliquæ & fracturæ dictæ sanationem per Dei gratiam ex voto præstiterunt Medicus & Chirurgus. Sexto post illam, quam accepit, calamitatem, anno scilicet cIↄIↄccxvIII. die 1. Januar. ipsa Vogelia sospes & incolumis meabat in templum Weidense, durante vero concione, successive obfuscabatur ipsi oculus sinister, & talibus tentabatur symptomatibus, qua-

lia

sia apoplexiæ imminentis signa alias constituunt, ut & ipsa existimârit, se apoplexia certissime corripi, tandem patiebatur animi deliquium, ubi adstantes ipsi statim succurrebant. Postquam vero ad se rediit, se omni visu privatam esse querebatur. Ægra igitur domum cœca abducta, consulebantur Medici, practici alias felicissimi, qui nullum artis suæ negligebant consilium. Licet vero per trimestre spatium medicamenta alias efficacissima & optima illi adhiberent, ægra quoque rerum non - naturalium moderamen â Medicis ratione legitima præscriptum perbene observaret, nihilo tamen minus omnia frustra sunt adhibita, cœcitate, etiamsi oculus videretur esse integer, permanente. Cum ergo remediis etiam optimis nihil plane efficeretur, misera malum divinitus sibi immissum æquo ferre animo constituit, non nisi â Deo opem expectans. Nec piam matronam fefellit spes, quam in Dei misericordissimi reposuit gratia atque ope. Ipsi enim ille non citra omnium admirationem visum sinistro in oculo reddidit. Nam A. cIↃIↃccxxvII. die xxvII Jan. accidit, ut, cum pia ista vidua ardentissimas ad Deum pro restaurando sibi visu misisset sæpissime preces, ut, quæ ad corporis miseri conservationem pertinerent, videre liceret, illa sinistro in oculo inopinato visum perfecte reciperet, quamvis per octo & quod excurrit annos, nullo auxilio medico usa sit. Dicto enim anni 1727. die, cum illi â benefactricis alicujus ancilla adferrentur alimenta, ipsa Vogelia mitram, quæ contra frigus faciem muniverat, removebat, & statim allata alimenta & ancillam, quæ ea adferebat, distincte cognoscebat. Quod mirabile Numinis clementissimi beneficium Vogelia magna cum animi lætitia statim referebat ancillæ, & huic, multisque postea aliis accedentibus ostendebat, se omnia distincte videre, & ab eo tempore ad hanc usque horam dicta fœmina nunc ætatis suæ annum agens octogesimum,

 res

res omnes, quamvis ſint exiguæ magnitudinis, oculo ſuo ſiniſtro diſtincte videt, literas minimas legit, & ſcripturas lectu non difficiles conficit. Die XIII. Septembr. c. a. Weidæ ipſa Vogelia, me præſente, ſcripturam, quam epiſtolæ incluſi, confecit, & â me petiit, ut in gloriam Dei mirabilem ſui viſus reſtitutionem publico notam facerem.

(*Jena Altorfium miſſa d. 3. Novembr. 1732.*

OBSERVATIO XIX.

DN. D. JOH. PHILIPPI WOLFFII.

De

Cardialgia ſpaſmodica horrenda.


VIr 62. annorum per multos annos arthritide fixa, inprimis circa æquinoctia, laborans, cæteroquin vero vegetus & alacris ſuisque functionibus, ceſſante dolorum ferocia, praeeſſe valens, hoc tempore nullum ſenſit dolorem, ſed tenſionem quandam femoris ſiniſtri, die autem quinto Januarii 1730. inſigni dolore ventriculi vexatus fuit, qui brevi adeo increvit, ut media nocte diei ſeptimi iſtius menſis me vocare coactus fuerit, ubi è longinquo clamorem patientis, quem atrociſſimi dolores ſuſcitarunt, jamjam percepi, qui dein me accedentem, ut citiſſime ſibi auxilium ferrem, antequam animam in hoc cruciatu efflaret, anxie rogavit. Ex adſtantibus ergo, num forſitan medicamentum ſiniſtrum ſumſiſſet, vel in diæta errorem commiſiſſet? prius quæſivi, qui vero neque hoc neque illud factum eſſe, ſed dolores ab initio mites ſenſim adeo increviſſe, ut in præſentem ſtatum patiens fuerit redactus, referebant. Quamobrem ſtatim, & quidem hora XII.

ra XII. nocturna potiunculam è manna calabr. cum aqu. liliorum alb. & anis. soluta, laxantibus amaris & syr. de cichor. cum rhabarb. conflatam, præscripsi, quam spatio unius horæ duabus vicibus exhauriebat, unde non solum circa horam secundam matutinam alvus aperta fuit, sed & æger sex sedes inde habuit, hisque anxietas spasmodica in totum sublata fuit; Tussis vero spasmodica remansit, quæ tamen spatio duorum dierum adhibitis antispasmodicis, nempe cinnab. nat. dep. pulv. lumbric. terrestr. succin. castor. & ess. anodyna ad votum ægri & adstantium cessavit, ita, ut æger hactenus neque arthritide in tanto gradu, ut antea, neque alio quocunque malo usque ad hunc diem afflictus fuerit.

SCHOLION.

MUSGRAVE in Diss. *de Anthritide anomala*, SYDENHAMI operibus annexa, *p. m. 29.* historiam cardialgiæ ex arthritide, per catharcticum & humores in artus expellentiâ curatæ, tradit. Sic & Illustris *Fridericus* HOFFMANNUS in *Medicinæ Consultatoriæ Tom. V. p. 224. seqq.* usum thermarum Carolinarum in affectu ventriculi spastico commendat, vix aliam certe ob rationem, quam terram alcalinam, cruditates acidas, viscidas, orificium sinistrum ventriculi corrodentes ipsumque ventriculum ob consensum nervorum contrahentes, præcipitantem & temperantem, nec non conjunctum sal neutrum, easdem detergens atque eliminans.





OBSERVATIO XX.

DN. D. JOH. PHILIPPI WOLFFII,

De

Iſchuria gravidæ, ex uteri prolapſu.

Mulier 30 annorum, ſpongioſi mediocriterque obeſi corporis habitus, citra ullam occaſionem & cauſam datam, die 18. Oct. 1730. iſchuria correpta fuit, ita, ut ne guttulam quidem urinæ emittere potuerit, ſequenti die hora XI. meridiana per maritum ob atroces dolores in pectine & dorſo obortos, auxilium â me petit. Hic nullam plane rationem hujus affectus allegare mihi poterat, niſi quod præterita nocte nudo corpore aliquoties ê lecto mingendi cauſa, ſed fruſtra ſurrexerit, quam ob rem malum hoc primo pro ſpaſmo ſphincteris veſicæ habui, eumque in finem etiam ſpecies emollientes ſacculo includendas, in lac fervens immergendas, & calide pubi imponendas ordinavi, interne vero potionem ex aqu. chærefol. petroſel. ſem. lycopod. nitro depur. cinnab. nat. dep. & ſyr. papav. rh. compoſitam præſcripſi. Hora prima pomeridiana maritus rediit, referens, dolores evidenter augeri, mulieremque ſuam vix ſibi amplius conſtare & idcirco rogabat, ut ipſe patientem viſitem. Hac occaſione ſciſcitatus ſum, an calculos forſitan antea excernere ſolita fuiſſet? quod vero nunquam factum eſſe dixit; porro quæſivi an motum fœtus, aut dolores in dorſo vel regione pubis perſentiſceret? reſpondebat: fœtum admodum inquietum eſſe, & dolores in veſica oriri & verſus dorſum dein excurrere, veſicam quoque ad capitis infantis magnitudinem extenſam eſſe, ita, ut digitis circumferentiam veſicæ diſtinguere poſſit: Porro quæſivi, num in vagina uteri impedimentum ſentiret? ubi affirma-

affirmavit se ante septennium in partu difficili prolapsum vaginæ uterinæ passam esse, & nunc inter conatus lotium edendi se aliqualem ejus tumorem sentire, suasi ergo, ut prolapsum blande reponat, quo facto urina primo guttatim, paulo post vero admodum large erupit, ita, ut dolores plane evanuerint, & corpore antea incurvato incedere coacta, (siquidem durante ischuria nec sedere, nec jacere, nec erecto corpore stare & incedere valuit) nunc erecto incedere queat. Absoluto termino graviditatis fœtum feliciter exclusit, nilque incommodi amplius hucusque sensit.

SCHOLION.

GRavidas ischuriæ admodum frequenter obnoxias esse, tam ratione, quam experientia comprobatum est: oritur quippe in gravidis modo â plethora, dum nempe tanta sanguinis copia, ac in quibusdam non gravidis menstruatim secedit, primis graviditatis mensibus ad embryonem nondum vehitur, adeoque plethora augetur, eaque propter variæ spasticæ tensiones & vasorum repletiones oriuntur, quas facile vesicæ sphincteris constrictio excipit. Notum hinc est, quandoque per venæsectionem ischuriam curatam fuisse, quod remedium propterea supra laudatus HOFFMANNUS *in Diss. de Venæsectionis prudenti administratione pag. 9. obs. VIta.* suadet, siquidem etiam Celeb. FRIEND *in Emmenologia p. m. 119.* Ischuriam â plethora sæpe ortum ducere affirmat; insuper in *Ephemerid. Acad. N. C. Vol. II. observ. 157.* Dn. D. ADOLPHI casum refert juvenis plethorici, ischuria laborantis, qui solius venæsectionis ope ab hoc malo, per 5. dies durante, liberatus est. Dein etiam quandoque hic affectus oritur â pressione & distensione vesicæ in prægnantibus, de qua pressione Excell. VATERUS *in Diss. de Cura gravidarum & puerperarum*

pag.

pag. 13. thes. 14. sequentia verba habet: *Quibusdam gravidis etiam urina cohibetur, vel plane supprimitur, inprimis circa gestationis finem, quando vesica urinaria ab uteri antrorsum versus reclinantis mole comprimitur, ita, ut lotium neque rite colligere & conservare, neque debito modo & tempore excernere queat; ubi tamen nullis aliis remediis opus, quam ut convenienti corporis situ & fasciis vesica ab onere isto per intervalla liberetur: aut si hæc non sufficiant, etiam fomentationes & balnea emollientia auxilium ferunt.*

OBSERVATIO XXI.

DN. D. JOH. PHILIPPI WOLFFII.

De

Virgine fulmine tacta.

ANno 1732. die 11. Augusti, virgo 20. annorum in hypocausto fulmine tacta, in humum statim prostrata, aphonia correpta, omnibus sensibus privata, cutisque universi ambitus corporis undique variæ magnitudinis maculis cœruleis notata fuit, unacum pulsu languido & debili; hinc ut statim venæsectio instituerentur suasi, quæ post duarum horarum spatium repetita est, pulverem insimul diaphoreticum & antispasmodicum præscripsi, hujusque omni trihorio drachmam dimidiam in vehiculo calido porrigere adstantibus injunxi, ex quo omnia symptomata brevi post cessarunt, ita, ut viribus tam animi quam corporis pristinis rursus gauderet.

SCHOLION.

FUlmine tacti exteriora vasa sanguine depleta exhibent; sanguis enim vasa ampliora interiora petit, eaque pro-

pter

pter ut (facta antea venæ apertione) iterum undique legitime distribuatur, frictiones & balnea cum diaphoreticis omne punctum absolvunt. BONNETUS *in Medicina septentrionali Lib. I. S. 16. C. 15. p. m. 168* de Collega Scholari in scapha fulmine tacto ait: Nullum vulnus in illo apparuisse, sed stupefactum mansisse & nullam recordationem adfuisse, quo modo ê scapha in aquam præcipitatus fuerit, admodum insimul infirmum, cutimque faciei & colli nigram & lividam fuisse, ac in dextra colli parte maculam quandam nigricantem parvam exstitisse. Idem Auctor *in Observationum Lib. VI. Sect. V. observ. 36. p. m. 342.* in fulmine tactæ curatione bezoardica instar omnium laudat, quorum laudabilem effectum in supra dicta virgine mihi quoque experiri licuit.

(*Svinfurto Altorfium missa d. 8. Jan. 1733.*

OBSERVATIO XXII.

DN. D. FRID. IGNAT. LOSPICHLERI.

De

Gemellis utriusque sexus per sex annorum spatium in Abdomine matris, extra Uterum, absque ulla corruptione gestatis.

ILlustrissima quædam Baronissa temperamenti sanguineo-biliosi, habitus corporis gracilis, trigesimum septimum ætatis suæ inchoans annum, ante sexennium omnibus certissimæ ingravidationis signis apparentibus, & jam approximante partus tempore, ex inopinato omnis tamen evanuit spes; ê contrario partus naturalis loco durissimus ventris

tumor, ad contactum aliqualiter mobilis, remansit, verbo molæ cujusdam retentæ non exigua oriebatur suspicio; & licet ad hujus expulsionem varia appropriata fuerint adhibita remedia; in cassum tamen erant hæc singula, siquidem molæ loco, menses redibant, decrescebat venter, & quoad omnes de cætero functiones ipsa Baronissa naturali fruebatur constitutione, unico hoc excepto, quod durities abdominis percepta nunquam dissiparetur. Tali in statu per sex integros annos vitam transegit satis tranquillam, nisi quod singulis annis, tempore partus expectati, nisus & dolores quidam, parturientium ad instar, ipsam per aliquot dies divexarent, & quoties tributum retinebatur Lunare, toties præter abdominis majorem elevationem, tumoris relicti quoque notabile percipiebatur incrementum variaque alia molesta symptomata, v. g. dolores abdominis lancinantes, cibi fastidium, capitis dolores, agrypniæ, &c. inducebantur, sub debito autem illius successu cuncta quoque in naturali remanebant statu. Cum autem circa veris initium rursus menses fluere desinerent, varia quidem & ante hac non sine fructu adhibita repetiit medicamina, irrito tamen cum successu, dolores quippe intensissimi, modo inguina, modo umbilicum ex utroque latere infestantes, in tantum per vices augebantur, ut mortis tyrannidem potius, quam vitæ prolongationem affectaret, adhibito tamen aliquo per epicrasin laxante, dolores paulisper remittebant, menses redibant per unum alterumque diem, appetentia ciborum & cætera singula ad statum meliorationis vergere videbantur. Ast vix aliquali spe reconvalescentiæ conceptâ, posteriora prioribus pejora evadebant; præcedente nimirum maxima compressione pectoris, vomitus materiæ aquosæ sequebatur tam enormis, ut pondus VIII. librarum facile excederet. Paulo equidem melius exinde se habebat, nihilo tamen minus, cum per aliquot dies restricta alvo motus iste

inordi-

inordinatus continuaret, ne malum hocce in affectum tranſiret iliacum, alvus blande ſollicitabatur ſicque vomitus omnis ſtatim ceſſabat; vix autem ad octo circiter dies evacuatio tam violenta emanſerat, cum rurſus Illuſtriſſima patiens priori defatigaretur malo, aliquoties per diem recurrente tanta nimirum copia, modo albicantis, viridis, rubeſcentis, modo luteæ, aut ex omnibus his coloribus variegatæ, ac ſumme *fœtentis* materiæ, ſenſim prodeunte, ut cuncta in toto corpore colliquata fuiſſe ægra pariter ac adſtantes opinarentur, vas ſiquidem ducentarum librarum noſtratis menſuræ, vix ac ne vix quidem ad recipiendam iſtam ſaburram, de die in diem vomitu rejectam, ſufficeret, & licet ad quemlibet vomitum facilius reſpiraret, ac indubitatam exinde ſalutem, ob aliqualem ſymptomatum remiſſionem, perciperet; vires tamen ſucceſſive, tam propter repetitos vomitus, quam recurrentes atrociſſimos & maxime tenſivos dolores, magis magisque imminuebantur, hisque tandem plenarie proſtratis, ſupervenientibus inſuper continuis motibus convulſivis, piiſſimam Creatori ſuo reddidit animam.

Obtentâ dein ab Illuſtriſſima familia licentia, ut mortis cauſa paulo accuratius mediante cultro anatomico detegeretur, & facto die ſubſequente ad inciſionem debito apparatu, abdomen ab extrinſeco albicans in accuminatum & duriſſimum tumorem elevatum apparuit; remotis vero ejus integumentis communibus & propriis, maſſa quædam carnea ad inſtar lapidis non ſolum indurata, ſed undique etiam arctiſſime adnata, totam illius cavitatem occupabat, ſingulaque viſcera adeo arctiſſime compreſſerat, ut nihil plane de iis ſupereſſe videretur. Facta autem debita partis ſeparatione, inteſtina quidem, ſine omento tamen, paulatim & maxime inflata prominebant, ac magis magisque hujus maſſæ ſitus extra Uterum obſervabatur,

quæ quoad partem superiorem sphæricam, quoad inferiorem, lunaticam repræsentabat figuram. Ut ergo ea, quantum possibile, illæsa eximeretur, solis digitis, fortius licet adhibitis, totum perficiebatur negotium; nec ullibi, præter in sinistro latere, mediante quodam ligamento illam adhærere, ocularis & diligentissima confirmabat inspectio. Apparebat autem in hac massa ab arctissima sua compage feliciter liberata, ac quoad substantiam ab omni alia congerie separata, & quidem in parte ejus superiori, sinistrorsum versus, sat magnus abscessus, qualem etiam circa ultimas dorsi vertebras latuisse ex restitante ibidem puris fœtidissimi portione concludere licebat. Uterus equidem naturaliter plane constitutus erat, nisi quod ratione magnitudinis admodum exiguus deprehenderetur; Peritonæum vero extremas intestini recti, vesicæ & uteri partes ambiens, undique Gangræna tactum, non solum observabatur, sed insuper etiam materia quædam duriuscula arenularum instar, iisdem in locis forinsecus circumcirca dispersa inveniebatur, absque ullo tamen signo ulteriori, tum in renibus, tum in ipsis ureteribus, latitantis cujusdam calculi. Reliqua viscera â statu naturali parum recedebant, excepto saltem stomacho & intestinis, quæ maxime inflata & notabili adhuc copia materiæ illius variegatæ, per os antea rejectæ turgebant. Et hæc quoad intrinsecam corporis constitutionem dicta sufficiant.

Quod autem massam illam satis difformem, & é cavitate ventris, summa cum cura, absque ulla istius læsione exemptam, attinet, illa curiositatis gratia prius civili pondere examinata sex libras æquabat, cumque dein undique diligentissime examinaretur, in superficie dextræ regionis, quæ sphæricam monstrabat figuram, materia quædam criniformis, paucissima tamen, deprehendebatur, qua accuratius considerata, crines revera ibidem latitare observaba-

vabamus, imo postquam partis hujus prominentia singularis, capiti infantis haud multum absimilis, paulo attentius cultro anatomico lustrabatur, mox caput infantis bene crinitum, summa cum omnium admiratione & stupore detegebatur. Membranosa dein hæc substantia magis magisque detracta & remota, absque ullo placentæ uterinæ vestigio, (adeo enim arcte hæc omnia inter se cohærebant, ut vix possibilis esset umbilici separatio,) perfectissimus fœtus fœminei sexus apparuit, cujus caput in inguinis dextri cavitate delituisse, pars illa magis prominens abunde docuit. Brachia genas versus directa, & in metacarpo retorta; pedes autem cum genubus versus umbilicum propressi conspiciebantur. Massa dein alia, priori multo durior, sinistram inguinis cavitatem occupabat atque replebat, quæ separatim compacta arctissimeque pedibus adhærens, molæ cujusdam carneæ formam exactissime referebat; facta vero ulteriori incisione pedes primitus, tum venter & brachia, ac tandem caput, arctissime cum reliquo corpore compressum ac quasi conglutinatum, sine ulla tamen figura humana, cum insigni spectantium admiratione & stupore prodibant; continuata autem fortiori ac diligentiori cutis crassissimæ separatione, frons, oculi, nares & reliqua ad faciem humanam necessaria, perfectissime conspiciebantur, insuperque masculini generis embryonem hunc cæteroquin satis formosum esse, ast priori isto fœminino, qui magnitudine unum & sesqui spitamen superabat, evidenter minorem, laboriosa & curiosa hæc detexit operatio. Et quamvis gemella hæcce corpora separatim plurimis integumentis membranosis undique involuta fuerint singulari ac crassissima insuper membrana eadem adhuc investita fuisse, sufficienter cognosci potuit. Hisce tandem omnibus sedulo observatis, ut casus hicce rarior & admirandi eventus cum curiosis communicari queat, non solum accura-

curatam ejus historiam consignare, sed insuper bina hæc corpora ad formam & normam, prout nimirum invicem sibi cohærebant, in cute & carne, in peculiari balsamico spiritu conservare placuit, ut scilicet cuilibet rei hujus inauditæ veritas omni tempore ad oculum demonstrari possit.

OBSERVATIO XXIII.

DN. D. FRID. IGNAT. LOSPICHLERI,

De

Excretione crassiorum membranarum vesicularium mediante tussi, superstite & pristinæ sanitati restituto ægro.

GRegarius quidam miles ex arce Werfen oriundus, ob valetudinariam corporis constitutionem Salisburgum petit, ibidem citiorem sanitatis restitutionem se obtenturum sperans, vix autem suburbium intravit, lassus ex itinere in hospitio publico illâ nocte moratur. Altero vero die de lecto surgens, angustiis præcordiorum comprimitur, & inter varias anxietates ac inquietudines, frigido per totum corpus erumpente sudore, tussiendo & insimul vomendo sat magnam copiam sanguinis non adeo floridi, unacum crudâ quadam serosa & acri materia ejecit, quo facto, quasi lipothymicu se iterum in lectum recipit, & jusculis refectus, tandem post prandium ad locum in urbe destinatum transportatur. Vocatus ego, pallidum, emaciatum, viribusque exhaustum invenio, & inquiro, an sæpius sanguinem evomuerit, vel quomodo cæteroquin res circa valetudinem ipsius constituta sit? sæpius jam se evomuisse

evomuisse sanguinem refert, præcedente tussi quasi suffocatoria; verum in ventriculo jam nullum, finita hesterna evacuatione, notabile gravamen se sentire, imo cibos appetere, si quales pro congrua sumtione in promptu essent. Hæc & alia mecum animo volvens, neque vomitum sanguinis ex ventriculo, per vas breve forsan illinc destillantis, neque genuinam hæmoptysin subesse ratus, ob virium defectum & dolorem quendam pressorium circa præcordia, tam cardiaca, quam pectoralia, partim pro spirituum excitatione, partim pro resolutione sanguinis extravasati, & forsan in grumos abeuntis, præscripsi, non intermittendo, ob strictam alvum, clysteres, & lene quoddam evacuans mannatum. Finito sic octiduo, semper satis bene se habuit, cum autem liberiorem auram iterum se haurire posse sibi persuaderet, ædibusque egrederetur, mox novo corripiebatur vomitu sanguinis, unacum præcedente tussi enormi & respiratione admodum anxia. Iterum extemplo vocatus invenio sanguinem re ipsa floridum & spumescentem, tussim vero adeo urgentem, ut â suffocatione momentanea vix liberari posse ægrotantem crederem; ipse vero propriis digitis ê faucibus aliquid extrahere tentat, inquiens: **Es erstöcket mich ja, wenn ich das Wesen nicht heraus bringe.** Tunc nova obortâ violenriori tussi, ipsoque ægrotante digitis, ut prius, locum faucium petente, quasi irascens denique, unacum sanguine largiori subsequente, apprehendit membranam satis tensam, ejusdem latitudinis & magnitudinis, ut figura transmissa (Fig. 2. Tab. II.) demonstrat, quo facto exanimis quasi, remediis qualibuscunque, quæ ad manus in præcipiti ejusmodi casu esse poterant, refocillatus, successu temporis sese tandem integrum restitutum esse credidit, postquam talium membranarum per vices & intra spatium trium septimanarum plus quam numero VIII. (non omnes enim

parti-

particulæ minores ad manus meas pervenerunt) prioribus ſemper ſtipatus ſymptomatibus, propriis digitis coadjuvando extraxit. Interea ſaltem ope decocti cujusdam & ordinariarum mixturarum pectoralium, unacum diæta conveniente, intra ſpatium duarum menſium plenarie reſtitutus ad priſtinum rediit locum, ubi hodiernum in diem, ſuo ut par eſt, officio fungitur, & elapſo jamjam duorum annorum ſpatio, ab omni ulteriori inſultu prorſus immunis vivit, niſi quod, ſi ſublimiora loca petit, difficilius quodammodo reſpiret, quare neſcio quo ſuadente, pro potu ordinario levi decocto florum bellidis utitur, bibendo inſuper tempore vernali, quamprimum paſcua ſolidiora propullulant, lac caprinum, quod in hiſce locis alpinis tanta virtute phthiſicos quaſi ſanandi pollet, ut multos exinde, irritis omnibus cæteris antiphthiſicis remediis, integre reſtitutos noverim.

OBSERVATIO XXIV.

DN. D. FRID. IGNAT. LOSPICHLERI.

De

Fruſtulo candelæ cereæ, veſicæ antea immiſſæ, feliciter iterum extracto.

VIr quidam in flore ætatis conſtitutus, dyſuria interdum, imo & iſchutia quandoque laborans, juncto ſemper nephritico quaſi dolore, jam his & aliis methodice, ſed fruſtra applicatis medicamentis, ex inopinato quodam die eodem dolore, cum omnimoda retentione urinæ, affligebatur, neſciens vero quid in abſentia Medici & Chirurgi pro levamine applicaret, candelam ceream minimæ

nimæ fortis, als wie die sogenannten Heller-Lichtlein sind, ulnæ longitudine arripit, & meatui urinario sensim intrudere conatur, sperans fore, ut remota forsitan, mediante hac applicatione, causâ doloris, urinæ retentio citius ac certius tollatur. Vix autem operationis hujus factum erat initium, cum subito percepto quasi animi deliquio, totum candelæ frustulum per canalem virgæ inadvertenter absorberetur, superveniente paulo post debita excretione urinæ & remittente doloris sævitie. Lætatur quidem exinde patiens, at contristatur insuper de tam subitanea & præternaturali candelæ retractione ad antrum vesicæ. Inter spem ergo metumque lethifera qualiacunque somnians, per integrum mensem ab omni urinæ retentione liberatus vixit. Verum tempore hoc elapso, circa auroram rursus vexatur urinæ retardatione tanta cum vehementia, ut ne guttulæ quidem concederetur exitus. Transit ita una alterave hora, sed sine successu meliorationis, unde, urgente acerbo dolore, ad causam ejusdem investigandam membrum accuratius examinatur, ubi Chirurgus exiguam fili triplicati extra meatum urinarium portionem protrusam deprehendit, totumque candelæ frustulum, ad crassitiem digiti minoris compactum, integrum virgæ meatum strictissime replere observat, eaque propter, ad præoccupanda graviora forsitan subsecutura symptomata, partes hasce genitales decocto calido ex lacte & herbis emollientibus parato crebrius foveri jubebat, ipsius glandis foramini vero oleum amygdal. dulc. guttatim immittebat, id vero quod prominebat filosi caute extrahere tentabat, & quanquam primo majorem resistentiam perciperet, ab opere tamen incepto, licet doloroso satis, non desistebat, donec tandem auxiliante quoque divina gratia, integra hujus candelæ portio in præfata digiti minoris crassitie, at duplo majori longitudine, nec non jamjam undique materiâ calcu-

 losâ,

losâ, loco ceræ, obducta, prout adjecta figura 1. Tab. II. docet, superveniente aliquali hæmorrhagiâ & animi deliquio, felicissime protracta fuit. Paucis postmodum adhibitis balsamicis & consolidantibus medicamentis excoriatio hæc dolorifica in totum sublata patientem per plures jam annos â calculo & toties tolerata retentione urinæ immunem vivere sinit.

Salisburgo Altorfium missa d. 14. Febr. 1733.)

SCHOLION.

Curiosus æque ac rarus hicce casus in mentem mihi revocat alium ejusdem commatis, eventum tamen non adeo felicem nactum, quem hac occasione insimul annectere placet. Corripiebatur nempe æstate anni 1724. civis quidam hujus loci annorum circiter quinquaginta & temperamenti cholerico-sanguinei, inopinato prorsus gravissimis doloribus spasticis ac lancinantibus, circa vesicam & urethram potissimum sævientibus, & statim urinæ excretionem admodum difficilem reddentibus, quos ab initio, cum â calculosis insultibus nihil plane hactenus perpessus fuerat, pro gravioris saltem stranguriæ symptomatibus reputabat, atque idcirco sacculis calidis paregoricis, & infuso theeformi ex emollientibus & lenientibus parato, proprio ausu mitigare tentabat, ast irrito eum successu: Augebantur enim non solum dicti dolores singulis fere momentis, ac indesinenter excruciabant, sed & tandem elapso trium circiter horarum spatio patiens corpus aliquod duriusculúm inæquale, ex multis quasi lapillis conflatum, in urethram protrudi sentiebat, superveniente statim hujus intumescentia, plenaria urinæ, guttatim excretæ, suppressione, & pristinorum dolorum fere intolerabili cruciatu, ad


tu, ad animi usque deliquium excrescente. Sub miserrimo hoc rerum statu famosus quidam medicaster, cognatione cum ægro conjunctus, eundem visitatum veniebat, perceptisque modo enumeratis circumstantiis, ac explorata urethræ conditione, cui non unicum, sed plures satis notabilis magnitudinis calculos quasi incuneatos esse externus facile monstrabat contactus, illico vicinum accersiri curabat balneatorem, eique ut prompte incisionem, pro extrahendo firmiter impacto isto peregrino corpore sufficientem, in medio urethræ, ubi notabilior apparebat protuberantia, faceret, magno superbiæ fastu imperabat, quod etiam hic ipse, ut ignorantia, ita quoque audacia medicastro temerario minime secundus, unico illo sibi noto & usitato instrumento, novacula nempe, in dextro partis hujus latere intrepide peragebat, sicque dissecto fere toto urethræ corpore, ab ejus radice ad glandem usque, satisque ruditer dilatato vulnere, tandem sub immanibus ægri cruciatibus, & impetuosa, ab improvide dissectis ibidem transeuntibus vasculis sanguiferis, proveniente hæmorrhagia, miram calculorum & arenularum curiose inter se cohærentium, protrahit congeriem, ægro interim die tertio ab infelici hac operatione, postquam partim dolorum perpessorum vehementia, partim effrenis hæmorrhagiæ impetu, (cui indesinenrer continuanti neuter stolidorum medentium obicem ponere novit aut potuit,) viribus omnibus exhaustus fuerat, placide obdormiscente.

Cum ergo ab amico unacum modo enarratis mihi nuntiaretur, viduam agnatosque originem mirabilis istius calculosi concreti & inde acceleratam mortem unice supranaturalibus & magicis causis adscribere, quoniam qua ratione varii ejusmodi friabiles lapilli inter se connexi essent, & cur nullos antea, calculosis alias consuetos dolores defuncto excitaverint, nullo modo indagere valerent; curatius

 hinc

hinc & attentius idipsum lustrandum esse existimavi, sicque deprehendi, totam istam congeriem calculoso-sabulosam ope minoris particulæ cujusdam funiculi cannabini, ex aliis sex filis contorti, inter se cohærere, ita quidem, ut alteram ejus extremitatem, nondum explicatam, calculus satis adhuc durus, minoris ovi columbini magnitudinem & figuram referens, contineret, infra quem alius paulo minor & friabilior apparebat, per cujus medium dictus funiculus transibat, & abinde ad trium circiter pollicum latitudinem in modo dicta sex fila prorsus explicatus erat, quorum filamenta undique innumeris minoribus calculis, pisorum minorum & granorum cannabinorum magnitudinem æquantibus, obsita, & notabili copia ruffescentis sabuli quasi incrustata deprehendebantur, prout hoc clarius demonstrat figura 3. Tab. II. ubi insuper ratione modo descriptorum filorum adhuc addendum est, quod hi ipsi mire inter se implicati anterius versus glandem propulsi apparuerint, major autem ille calculus circa radicem penis versus collum vesicæ delituerit, spontanea hujus concrementi exclusio difficilior, imo plane impossibilis reddita fuerit. De reliquo equidem nunc omnino dispiciendum & inquirendum esset, qua ratione, & per quas vias portio ista funiculi ad renes & vesicam devenerit? an per ordinarias alimentorum, chyli & sanguinis, quod nemini probabile videbitur? an per extraordinarias, insolitas & adhuc forsitan occultas transierit? cum vero ob acceleratam defuncti mortem, de occasionalibus causis forsitan prægressis nihil plane experiri licuerit, nec etiam cognatis relictis quicquam constiterit, (utpote qui propterea totum hoc negotium absolute potentiæ cuidam supernaturali malignæ adscribere volebant,) merito utique in eo acquiescendum foret, nisi adhuc suspicioni non prorsus vanæ, sed satis probabili superesset locus, quod nempe eâdem forsitan ratione, qua

ne, qua juxta observationem præcedentem portio funiculi in vesicam delata fuit, etiam in nostro hoc casu eadem ad hanc partem devenerit, ibique ita incrustata fuerit: Licet enim cognati ipsius defuncti, de exquisitis calculosis doloribus eundem nunquam conquestum fuisse, aut inde decubuisse, uno ore adfirmaverint, non raro tamen stranguriâ admodum pertinaci, aut rectius dysuria, haud obscuram latitantis jamjam calculosæ dispositionis conjecturam præbente, illum afflictum fuisse bene recordabantur, ad quam tollendam aut mitigandam, utpote chirurgiæ quadantenus gnarus, forsitan quandoque ceream candelam, catheteris loco, adhibuit, sibique ipsi, cum summe semper verecundus fuerit, inscia uxore & liberis applicavit, cujus particula dein sub somno forsitan, vel quacunque aliâ occasione in vesicam intravit, ibique calculosam talem faciem temporis successu induit. Quodsi vero aliunde eo delata fuisset, vix tamen aliâ ratione eandem intra hanc cavitatem devenisse existimo, quam quæ ab Illustri b. m. SCHROECKIO nostro *in Scholio ad Observ. 142. Dec. II. Ann. I. Ephemerid. Acad. nostræ, p. 354.* doctissime demonstrata est, quemadmodum etiam non sine omni ratione suspicari licet, potuisse defunctum absque vitæ periculo ab ista insolita calculorum congerie liberari, si modo providum magis, peritum ac rationalem nactus fuisset chirurgum, qui istam urethræ lithotomiam secundum regulas & cautelas à TULPIO *Lib. III. Observ. cap. 8.* & Magnif. b. m. WEDELIO *in Dissert. de Lithotomia cap. 3.* ingenue communicatas instituisset.



OBSERVATIO XXV.

DN. D. JOH. GEORGII BREBISII.

De

Hernia ſcrotali eximiæ magnitudinis, in viro quinquagenario, poſt nimium laborem & celeriter exhauſtum integrum cantharum vini junioris ſulphurati, oborta.

CONduxerat vir honeſtus hujus loci mercenarium ad findendum magnum acervum ligni, hac quidem conditione, ut pro ſua commoditate id faceret; hic vero pecuniæ indigens, non cunctabatur, ſed ſtatim prima die, duas integras menſuras (2. Maaß Holtz, welches faſt $2\frac{1}{2}$. Klafftern,) ligni findebat & in deſtinatum locum reponebat. Ab hoc labore delaſſatus & ſiticuloſus factus abit ad oenopolam & ſpatio quadrantis horæ, integrum cantharum vini novelli ſulphurati exhaurit. Exinde ſtatim tormina ventris ſentit, domum ſe confert, â muliere ſua juſculum ſemine carvi alteratum petit, impetratum avide deglutit, ſperans exinde remiſſionem cruciatuum, dolor ventris in conſenſum trahebat ventriculum, hinc brevi poſt vomitu & juſculum & vinum rejiciebat, per hunc conatum vomendi ſimul hernia ſcrotalis, vix pugni magnitudinem hactenus æquans, ulterius protrudebatur & ſucceſſive ad ſtupendam augebatur magnitudinem; nam inſtar ſacci ad ſuras usque propendebat, ut viderentur omnia inteſtina extra ventrem in ſcrotum delapſa eſſe. Ceſſaverant quidem poſtea tormina, quoniam vero in hoc ſtatu corporis, nec foras prodire, nec ullum gravem laborem

rem suscipere poterat, hinc me cum chirurgo in consilium requirebat nostrumque auxilium anxie petebat. Veniebam & inveniebam patientem in hypocausto deambulantem, non tamen caligis, sed vestimento inferiore mulieris indutum; ocularis inspectio necessaria esset, hinc in lectum se conferebat, ventrem denudabat, nobisque conspiciendam præbebat herniam scrotalem extremæ magnitudinis, qualem unquam nec vidi, nec occurrisse audivi, neç uspiam legi: Repræsentabat enim quasi novum ventrem, de membro autem virili atque testiculis plane nihil comparebat, utpote quæ omnia abscondita erant, foramen saltem ex præputio restabat, per quod urinam emittebat, insimulque notatu hoc erat dignum, quod scrotum per immensam hanc extensionem, non minorem, sed longe majorem impetraverit crassitudinem, & æger alvum quoque sine difficultate deponere potuerit. Chirurgus quidem ex meo consilio per aliquot clysmata intestina evacuabat, postmodum per fotum cum lacte, & manualem operationem, herniam reponere conabatur; ast saccus propter magnitudinem & duritiem manebat intractabilis. Imponebat quidem emplastrum emolliens, firmabat fasciam latam ad patientis collum, & huic includebat herniam, sperans fore, ut accedente motu peristaltico delapsa intestina in abdomen iterum retraherentur, ast & hæc spes vana omnisque labor frustraneus erat. De cætero patiens nihil conquerebatur, edebat, bibebat, dormiebat, digerebat, egerebat, sanorum ad instar. In hoc misero statu vixit per novem menses, tandem vitæ suæ pertæsus, cum pauper mercenarius esset, & ad omnem laborem ineptus, alimenta respuere incœpit; unde torpidus factus, diem noctemque dormiendo consumsit, ac tandem vitam cum morte celeriter commutavit. Animus equidem erat cadaver defuncti cultro anatomico subjicere, herniamque exactius lustrare,

verum

uxor superstes, vano quodam præjudicio ducta, id ipsum non permisit.

OBSERVATIO XXVI.


DN. D. JOH. GEORGII BREBISII.

De

Hernia scrotali, magnitudine pugni, post perpessam conquassationem ad vesicæ bovinæ magnitudinem accrescente, dein prægressa levi inflammatione, suppuratâ & plenarie restituta.

LAborat vir quidam septuagenarius per aliquot jam annos hernia scrotali, absque eximio incommodo; cum vero aliquando equum ascendere & actui cuidam forensi assistere cogeretur, inter ascendendum herniam negligens ephippio inepte insidet, illamque incaute vehementer comprimit, unde dolorem primo levem sentiebat, qui vero brevi post magis magisque increbescebat. Elapso hinc trium horarum spatio ab equo iterum descendens observat, herniam antea magnitudine pugni, triplo majorem factam esse; accedunt horror & calor alternatim affligentes, unde me cum chirurgo vocare jubet. Invenio scrotum extensum magnitudine vesicæ bovinæ maximæ, & simul quodammodo inflammatum ac durum, eaque propter præscribo mixturam ex temperantibus & resolventibus, à cujus usu & calor & durities remiserant. Chirurgus postmodum repositionem herniæ tentaturus, injiciebat clysma, fovebat tumorem cum fasciculo crudorum filorum (ein Strehn roh Garn) immisso prius in lac calidum, patiensque servabat decubitum convenientem, declivem capite, clunibus

nibus elevatis; verum id omne sine salutari effectu, siquidem per operationem manualem intolerabiles ipsi excitabantur dolores. Quoniam igitur patiens internam magis desiderabat curam, prior hinc repetebatur mixtura & ex meo consilio externe emplastrum miraculosum applicabatur, unde indies se melius habere incipiebat, absque ullo tamen herniæ decremento. Die decimo quarto patiens mihi referebat, se metuere abscessum in scroto, detractoque emplastro, in fundo scroti revera duo tubercula rubra admodum mollia magnitudine majorum pisorum apparebant. Imponebatur ergo his emplastrum ex farina cum melle subactum & desuper miraculosum cum anatica portione emplastri de meliloto remixtum, sub quorum usu majus tuberculum disparebat, minus vero incrementum capiebat, cuticula ubique decedebat & sub finem tertiæ septimanæ aperiebatur scrotum cum maximo patientis levamine. Effluebat quotidie seri sanguinolenta notabilis quantitas ad aliquot uncias, mixta quandoque cum grumulis sanguinis & corrupta pinguedine, succedebant fibrillulæ & tandem materia probe cocta in magna copia; scrotum durum flaccescere & corrugari incipiebat, sextaque tandem septimana elapsa, patiens propria manu prolapsum intestinum sibi reponebat, subligaculum applicabat, ita, ut deinceps nil præter duos testiculos in scroto reperiri potuerit.



OBSERVATIO XXVII.

DN. D. JOH. GEORGII BREBISII.

De

Hernia ſcrotali per aquæ frigidæ potum curata.

FAber quidam ferrarius ſeptuagenarius hernioſus, depoſito ſubligaculo iuvat in rota attollenda aurigam, & exinde ſtatim ſentit inteſtinum in ſcrotum deſcendiſſe; auriga interim jubet ex proximo hoſpitio cereviſiam apportare, fabroque cantharum propinat, qui bonum hauſtum de frigido hoc potu aſſumit & domum redit. Noctu ſentit dolores, murmura, flatus & rugitus ventris, & ſummo mane ſequuntur vomitus. Intendebat quidem herniam reponere, quæ vero utpote jam incarcerata, renuebat. Vomitus interim continuant, dejectiones vero plane ceſſant, ſomnus deficit, vires debilitantur, & ut paucis multa dicam, ſequitur iliaca paſſio, ſive rejectio excrementorum per os, cum magno fœtore. Vocor in conſilium, patiens refert, ſe per totam ſuam vitam raro ægrotaſſe, nec unquam medicamenta adhibuiſſe, externe libenter ſe velle pati omnem torturam, dummodo liber manere poſſit ab internis medicaminibus. Hinc applicare jubeo clyſmata, poſt hæc, uſitato more, faſciculum filorum immiſſum in lac calidum, & tandem propino mixturam ex ſtomachicis, temperantibus & carminativis, quam ægre quidem aſſumſit, nihilominus brevi poſt dormire incepit, reſtante hernia in priori ſtatu. Expergefactus admodum ſitiebat, & aquam frigidam deſiderabat, ego vero prohibebam omnem potum frigidum, pro quo impetrando

mihi

mihi opponebat consuetudinem suam, & quod nullo alio potu magis delectaretur, quam aquæ frigidæ; imo liberis suis jamjam se imperasse adjunxit, ut sibi nullum alium etiam in ultimo mortis articulo porrigerent potum, quam simplicem aquam. Tandem consentio & unicum permitto scyphum, quo contentus, me domum redire jubet, nam nox media jam aderat. Quamprimum vero hypocaustum reliqueram, statim ad filiam dicebat: Ecce Dominus Doctor non adest, fave meæ ultimæ voluntati, & porrige mihi sufficientem aquæ copiam; filia hinc morem ipsi gerit, replet aliquot scyphos, quos omnes summa cum delectatione exhaurit & brevi post in profundum somnum incidit, qui per integras sex horas continuat. Expergefactus tandem herniam explorat invenitque intestinum prolapsum per se rursus in ventrem recessisse, hinc subligaculum denuo applicabat, lectum relinquebat ac liber postmodum ab omnibus pravis symptomatibus manebat.

OBSERVATIO XXVIII.

DN. D. JOH. GEORGII BREBISII.

De

Vomitionibus & dejectionibus cruentis in puerulo recens nato salutaribus, & per exhibitionem spermatis ceti, oleo amygdalino resoluti, curatis.

UXor Pharmacopoei hujus loci, plurium liberorum jam mater, temperamenti sanguinei, ætatis 26 annorum, justo quidem partus tempore, sed majoribus, quam antea, partus doloribus & longe tardius tandem puerulum bene formatum excludit, apparenter sanum, excep-

ra respiratione, quæ aliquo modo difficilis erat: Dabatur ipsi brevi post partum usitato more oleum amygdalinum dulce, mixtum cum saccharo penidio pro evacuatione mœconii, & secedebat ἄνω καὶ κάτω mucus nigricans in magna copia, cum plenaria liberatione respirationis; ipsa quoque mater, peractis baptismatis sacris, mammas eidem præbebat pro hauriendo lacte, dabantur insuper pultes, optimo cum successu. Vixerat hoc modo puerulus per 36. horas sanus, nihilque mali ulterius metuebant parentes. Ex improviso autem incipiebat sanguinem sincerum evomere, idque pluribus repetebat vicibus. Ego tunc temporis in pharmacopolio præsens, ejusdem visitatione occupatus, vocor à parente in consilium, & attonitus videbam pullulantem ex ore sanguinem optimum, qui linteolis exceptus, ad minimum quantitatem 4. unciarum æquabat; ejiciebat quoque per alvum sanguinem congrumatum magis nigricantem cum excrementis. Hæsitabam primo circa denominationem morbi, hypercatharsis quidem in mentem veniebat, verum & ætas tenera, & causa morbi mihi obstabat, nam plerumque post usum medicamentorum drasticorum accidere solet, cujus generis oleum amygdalarum dulce non est. Potuissem illum hæmoptysin appellare, nisi sanguis simul per alvum secessisset. Placuit ergo vomitum & secessum cruentum appellare, credens, per conatum parturientis matris, infantis hepati vim illatam, sanguinemque culpâ venæ portæ ad stomachum delatum, & per vomitus, ab oleo amygdalino excitatos, salutariter excretum fuisse, quod vero superne non potuit, inferne secessisse. Igitur ne sanguis in ventriculo puerul coagularetur, sed ulterius promoveretur, exhiberi jussi oleum amygdalinum cum spermate ceti remixtum, singulis binis horis, à cujus usu vomitus & secessus cruenti plenarie cessarunt, puerulusque antea ruber eleganti colore naturali non

solum

solum indutus fuit, sed & ab icteroide illa flavedine infantibus recenter natis alias solemni, plane liber mansit.

(Rotemburgo ad Tubarim Altorfium missa, d. 16. Jun. 1733.)

OBSERVATIO XXIX.

DN. D. GEORG. HENR. BEHR.

De

Otalgia insigni ex Verme.

VErmes non tantum in omnibus fere corporis nostri humani partibus ac locis reperiri, sed & atrocissima mala exinde procreari, longâ observatione atque experientia jam comprobatum est, quare opus esse non duco plura, de perniciosis & summe noxiis hujus generis animalculis, verba facere: Liceat ergo solum ad meliorem hujus rei comprobationem sequentem huc adjicere observationem. Anno 1731. Mense Septembri vocabar ad cæmentarium quendam, Lorentz Schäffer dictum, qui per aliquot jam dies insigni tentabatur otalgia. Accedens, dextram capitis partem maxima inflammatione occupatam inveni, patiensque conquerebatur de dolore summe pungente, acuto & terebrante, susurro inexplicabili stipato; nec non vertigine admodum vehementi, ad syncopen sæpius vergente. Præscripsi itaque revellendi gratia, venæsectionem in pede, hinc pilulas laxantes, dein externe sacculos applicui discutientes, ex rad. aristol. rot. irid. flor. &c. herbis origan. rorismarin. menth. floribus chamomill. sambuc. &c. paratos, & spiritu vini camphorato aliquatenus irroratos; sed omnia incassum adhibebantur, imo dolores adaugebantur; ideo interne lenia diapnoica, temperantia

 & di-

& dispellentia in usum traxi; externe vero guttatim sequentem essentiam auri instillare curavi: ℞. ess. myrrh. drachm. j. ess. castor. succin. ana drachm. sem. M. d. ad vitr. 5. zum äusserlichen Gebrauch. Quo facto, die sexto vermiculus flavescens, cum punctulis hinc inde nigricantibus, ex meatu auditorio dextri lateris prodiit, quo excreto, dolores hi atroces cuncti, cum inflammatione, in momento quasi cessavêre.

SCHOLION.

NOn constat equidem, nec forsitan curatius investigare placuit Celeberr. Dn. Observatori, qua ratione in aurem devenerit peregrinus molestissimusque iste hospes, an extrinsecus meatum ejusdem ingressus, an vero intra eundem ex prægresso forsitan prius ibidem ulcere aliquo, genitus fuerit: Sufficit, quod eventus demonstraverit, illum ipsum unicam ac primariam causam inflammationis dolorumque intensissimorum, ægrum tam diu excruciantium, exstitisse, huncque in eo aliis feliciorem fuisse, quod tempestive abinde liberatus, sicque insecto huic occasio sublata fuerit in abdita capitis intimius progrediendi, fixiorem ibi sedem obtinendi, graviorumque & magis adhuc sonticorum symptomatum mole miserum illum obruendi, qualia aliis, ubi paulatim rodendo non solum in frontem, sed & intra cranium, ad cerebri usque substantiam, progressi fuerunt ejusmodi vermiculi, evenisse constat ex historiis *Dec. I. Ann. III. Obs. 266.* it. *Ann. IX. & X. Observ. 50.* consignatis, qui denique tamen providis injectionibus balsamicorum acrium, v. g. olei juniperini, balsami sulph. therebinth. aut applicatione panis calentis feliciter expulsi & educti fuerunt.

(A. E. Büchnerus.)

OBSER-

OBSERVATIO XXX.

DN. D. GEORG. HENR. BEHR.

De

Verme ex orificio narium sinistro emuncto.

MUlta multi auctores de vermibus è naribus egressis seræ posteritati reliquerunt exempla, quæ recensent *Petr.* FORESTUS *Lib. XXI. Observ. XXVIII. Guilielmus Fabricius* HILDANUS *Obs. Chirurg. Cent. I. obs. VIII. Nicolaus* TULPIUS *Lib. IV. obs. XII.* & *Celeberrimus Athenæi nostri Argentoratensis Anatomicus Dn. D.* SALZMANNUS, *in Diss. de verme naribus excusso, Anno 1721. d. 30. Octobr. Respondente D. Honoldo habita, qui tres quoque casus de talibus vermibus, qui hic Argentorato evenerunt commemorat;* quibus (cum venia tamen tanti viri) & nostrum annectere lubet. Est autem sequens: Maria Salome Reschin, vidua coriarii per plures menses dira vexata fuit cephalalgia atque vertigine, stipata cum prurigine mordaci ac molesta, tam orificii narium sinistri, quam canthi oculi interni ejusdem lateris, quem pruritum non raro comitabatur lacrymarum ipsius oculi copiosissimarum profusio. Hæc multa incassum adhibebat medicamenta, tam in- quam externa, ut nimirum retulit, sie habe das Haupt öffters mit den Franckfurther Haupt-Pillen gereiniget, und sonsten äuserliche Sachen gebrauchet, doch alles vergeblich und ohne Linderung. Vocatus tandem & ego, existimans, materiam aliquam acrem purulentam, membranulis inclusam ac incarceratam, illic delitescere posse, quæ acrimoniâ sua tales excruciatus crearet, ptarmicum quoddam fortius atque stimulans adhibere jussi, quod sequens erat: ℞. sacchar. canar.

canar. folior. tabac. ana unc. dimid. flor. benzoës, ligni aloës pulverif. ana ſcrup. dimid. ſal. ammon. volatil. gr. vij. M. f. pulv. d. ad ſcatulam, S. Nieß-Pulver, von welchen zu Zeiten etwas in die Naſe zu ſchnupffen. Hoc vix vicies naribus attracto ac uſurpato, fortioribusque hinc evenientibus ſternutationibus, cum earundem unâ, loco humoris purulenti ſanioſi, vermis longitudinis mediocris digiti, coloris ſubflavi, pedibusque carens, ſimul excuſſus fuerit; inſtructus erat magno, ſed depreſſo ac informi corpore, alias lumbricum terreſtrem figurâ ac forma valde retulit.

SCHOLION.

CONferri huc meretur Scholium Illuſtris b. m. SCHROECKII, ad *Obſerv. 109. Decad. II. Ann. I. Ephemerid. Academiæ noſtræ*, ubi plura vermium, poſt vigilias perpeſſas, cephalalgias & mentis aberrationes, ê naribus excretorum, allegata proſtant exempla, inſimulque de ſede & generationis modo quædam monentur, quæ dein fuſius deduxit clariusque expoſuit Celeberr. MENTZELIUS, *Dec. II. Ann. II. Obſerv. 57.* Confer. etiam *Obſerv. 147. Dec. I. Ann. II.* & egregius ille diſcurſus, *de verme admirando per nares egreſſo*, quem *Fulvius* ANGELINUS Cæſenatenſis Ravennæ edidit, & *Vincent. Alſarius â Cruce* Commentariolo illuſtravit.

(A. E. Büchnerus.)

OBSER-

OBSERVATIO XXXI.

DN. D. GEORG. HENR. BEHR.

De

Urina nigra, singulis ferme quatuordecim diebus revertente.

PRincipes Medicorum HIPPOCRATES & GALENUS urinæ nigræ emissionem pro lethifero semper venditabant signo: *Sic enim magnus ille Cous in suis coacis prænotionibus §. 580.* Ὀλέθριον δ' ἐστὶν τῶν οὔρων, τό τε μέλαιναν τὴν ὑπόστασιν ἔχον, καὶ τὸ μέλαν. i. e. *Perniciosa autem est urina, quæ nigram habet hypostasin, seu sedimentum, & quæ ipsa nigra.* Vel juxta translationem Fœsianam: *Perniciem vero indicat urina, in qua nigrum est quod subsidet, & quæ nigra est.* Cui prænotioni etiam suffragantur § *49.* & §. *176.* GALENUS *Lib. I. de Crisibus. cap. 12.* Lotium nigrum omni tempore pessimum judicat, affirmatque se nec ullum vidisse salvatum, qui tale minxerit. Ex recentioribus vero Medicis, aliqui distinctionem faciunt inter urinæ nigredinem, dum dicunt, istam quandoque criticam esse, quandoque autem symptomaticam. Ad criticam quod attinet, illa semper bona habetur, in febribus continuis æque ac intermittentibus, &c. Symptomaticam vero, quæ ex vi morbi & suppressione naturæ originem trahit, non alius, quam mortiferi exitus esse indicium. Ast nostra observatio, ut existimo, neque ad criticam, neque ad symptomaticam, jure pertinet distinctionem, quod ex sequentibus clarius patebit:

Mater mea dilecta, ætatis annorum LIV. gracilioris staturæ, ac macilentioris habitus, temperamenti cholerico-melancholici, sub finem mensis Octobris 1731. ob varias

 haud

haud parvi momenti rationes maximo irarum fluctuabat æstu; revocato tandem ab acerbâ hacce ira animo, suppressisque frænis bilis suæ, de nullo conquesta est dolore, nisi quod postero die admodum defatigata, urinam emiserit atramento atro ac denso vix absimilem. Hac de re summo terrore perculsa, me accersere jussit, totumque actum ordine recensuit atque exposuit. Ego prima die nil nisi mixturam simplicem cum quieto in lecto decubitu, diebus vero insequentibus infusum laxans, cum pulveribus aliquibus temperantibus ordinavi, eorumque usum per octiduum continuavi. Cum vero exinde nulla subsequeretur mutatio, mater medicamentorum pertæsa, soli naturæ opus reliquit, præprimis quoniam nigram hanc urinam sine ullo doloris sensu prodire observabat. Duodecimo tandem ab iracundia die, urinæ color naturali rursus similis fuit, inque eodem statu usque ad vigesimum tertium mensis Novembris, anni supra dicti, permansit, quo colorem pristinum, atrum videlicet, iterum retulit, quique per duos tresve dies ita perstitit. Abhinc, decursu quinque mensium, hic urinæ color novies ratione coloris alternavit; ita, ut fere singulis quatuordecim diebus pristina sua vestigia sequutus sit: Et sane (quod notatu dignissimum) absque virium prostratione; siquidem charissima genitrix mea, non solum rem suam familiarem, verum etiam aliena negotia, eadem alacritate, ut antea administrare atque curate potest.

SCHOLION.

NOstra hæc historia confirmat observationem adhuc aliam rarissimam, quam Celeberrimus ille Iudæus, ZACUTUS LUSITANUS, Medicus Practicus Amstelædamensis *Lib. III. Prax. Admirand. Obs. CXXXIV.* consignatam reliquit,

quit, de homine, qui â primis ſtatim cunabulis, usque ad ſeram & canam ſenectutem, lotium tale nigrum ſine ullo damno eminxit, ſoſpes & integer nihilominus (teſte illo) fuit, firmisque viribus, adeo, ut quoque thalami ſociam ducere, plurimorumque liberorum parens fieri potuerit.

(*Argentorato Altorfium miſſæ d. 14. Aug. 1733.*)

OBSERVATIO XXXII.

DN. D. JOH. GEORG. HOYERI.

De

Hydrope ſaccato defunctæ anatome.

TRes hydropis generalis ſpecies, nimirum anaſacra, aſcites, tympanites, hactenus in ſcholis medicis â Practicis & Lexicographis traditæ ſunt. His quarta ſpecies, *hydrops ſaccatus*, merito addendus. Cum enim in aſcite aqua intra peritonæum abdomen infarciat ita ut inteſtina & viſcera infimi ventris alluat, contrarium accidit in ſaccato, in quo abdominis cavitas ab aqua libera manet, neque inteſtina, neque viſcera, aquæ quaſi immerſa jacent, ſed in peculiaria tunica, velut in utre vel ſacco, continetur ſeparatim, non aqua limpida, ſed viſcidior & inchoroſa quaſi lympha, inſtar loturæ carnis viſenda. Ex quibus patet, eſſe diſtinctam ab aſcite ſpeciem, hydropem ſaccatum; qualem etiam Celeberrimus Doctor GAHRLIEB *in Ephemeridum Germanorum Dec. III. Ann. II. Obſerv. 61.* prolixius deſcripſit, & graphice depinxit. Neque dubito, quin, ſi plures incurabili hydrope defuncti cultro ſubjicerentur anatomico, ſæpiuſcule ſaccati hydropis ſpecies manifeſtetur. Aſcites etiam facilius quandoque curabilis, ſaccatus plerum-

quę difficillime, vel incurabilis prorsus est, nisi per paracentesin forte fortuna tollatur. Ille brevioris temporis spatio vel ad salutem, vel ad mortem terminatur; hic diutius affligit, vere chronicus plures per annos durans. Hydropis ejusmodi saccati exemplum in paupercula quidem, sed honesta virgine, annos triginta nata, nuper observavimus, quæ post prægressam aliquamdiu mensium obstructionem, subsequente tandem tumore abdominis, in suspicionem graviditatis incurrebat, adeo, ut medicus ipse, quem in consilium vocaverat, fortiora purgantia præscribere dubitaverit. Interim tumor abdominis indies magis magisque increscebat, tandemque post aliquot annos in immensam crassitiem ac molem intumescebat, manifesto hydropis indicio. Molestissimis itaque phænomenis, in hydrope evenientibus, (quales hic & nunc recensere brevitatis studio supersedeo) per quinque annorum spatium exantlatis, in nosocomio diem supremum tandem obibat. Non desinebant nonnulli, qui graviditatis ipsam arguerant, suspicari, an fœtum mortuum in utero forsan hucusque gestaret. Pro veritate itaque manifestanda cadaver in præsentia mea â chirurgis ordinariis dissecabatur, ubi abdomine prope umbilicum provide inciso, situlaque lymphæ ichorosæ exhausta, intestina & viscera studiose ac curiose quærebantur, sed frustra. Hinc risum pene movebat senioris chirurgi præmatura erronea suspicio, viscera omnia & intestina hic prorsus deficere, & putredine forsan consumta esse. Quin potius duabus adhuc situlis exhaustis alia membrana, peritonæum scilicet, in conspectum veniebat. Quo pariter inciso, viscera denique conspicienda se præbebant. Omentum nempe parvum ac putredine ferme consumtum, reliqua vero viscera sanorum similia, ut hinc vix dubitem, vitiosam lympham per paracenteseos operationem derivari, ac virginem hanc curari potuisse.

OBSER-


OBSERVATIO XXXIII.

DN. D. JOH. GEORG. HOYERI.

De

Singultu contumaciſſimo ac deſperato lacte muliebri tandem curato.

VIr primarius annos ſeptuaginta ſex natus, â cauſa neſcio qua, niſi fortaſſe â procelloſo aëris ſtatu, cui menſe Martio corpus ſenile in hortis ſuburbanis diutius expoſuerat, ſingultu diuturno moleſtiſſimo vexabatur. Huic â Phyſico extraordinario hujus civitatis, me denique in conſilium ſimul adhibito, varia confortantia, ſtomachica, aromatica, carminativa, nervina, caſtorina, cinnabarina, antiſpaſmodica, balſamica interna & externa alias probatiſſima adhibita fuerunt, ſed fruſtraneo cum effectu. Viribus indies magis magisque attritis, adeo ut omnes de ſanitate & vita pene deſperarent; tandem amicus ægroti remedium domeſticum, lactis nempe muliebris uſum ſuadebat. Conſultus eo nomine facilis annuebam dictis, in ſtatu adeo deſperato. Senex ita noſter ex ſaniſſimæ junioris fœminæ & quidem filiæ ſuæ mammillis lac exſugebat, â cujus uſu aliquamdiu continuato contumax ſingultus ceſſabat, & ſenex priſtinæ ſanitati reſtituebatur, qui poſtmodum plures per annos vitam prolongabat, annum climactericum maximum exſuperans.

 (o) 

OBSERVATIO XXXIV.

DN. D. JOH. GEORG. HOYERI.


De

Allio, ſalutari medicamento, ſed nauſeoſo & pernicioſo alimento.

ALlium tam in medicamentorum quam alimentorum claſſe haud ultimum tenere locum, ex veterum & recentiorum ſcriptis & quotidiana experientia manifeſtum eſt. Ipſe GALENUS *XII. Therapevtices*, allii virtutes prædicans in hæc verba erumpit: Ἐγώγε τῶν ἀγροίκων θηριακὴν ὀνομάζω; *ego* (allium) *ruſticorum theriacam nuncupo.* Hinc etiam proverbialis locutio: *Allium olet*, in ruſticum dicitur, cui theriaca allium eſt. Hoc fine plures apprime ex infima plebe nati & Judæi adhuc hodie tanti æſtimant, ut ſingulis diebus, jejuno ſtomacho, tantillum allii aſſumant, & hoc pacto â quovis contagio & omnibus morbis ſe præſervare & ad vegetam ſenectutem pervenire velle ac poſſe, perſuaſum ſibi habeant. Id quod etiam PLINIUS confirmare videtur, quando ſcribit: *Allium ad multos morbos prodeſſe creditur.* Unicus abominabilis & in converſatione moleſtiſſimus fœtor obſtare videtur uſui huic polychreſto. Hinc pluribus etiam adeo exoſus, ut ſanguine pejus viperino, tum allium ipſum, tum eos qui veſcuntur allio, vitent. Ob quem graveolentem forſan odorem quondam lege cautum, ut qui allio veſceretur, ſacrarium matris Deum ne ingrederetur, de quo pluribus COELIUS RHODIGINUS *in Lect. antiquis Lib. 4. cap. 14.* legi meretur. Aſt non obſtante fœtore Saxones & Thuringi menſe Junio certis ſtatisque diebus allio cum carne ovilla cocto ad

ad ſatietatem usque veſcuntur. Elegans hac de re obſervatio & lectu digna habetur *in Oſervat. ſelectarum ad rem litterariam ſpectantium Tom. IV. Obſervat. XVIII. p. 370.* de feſto ſolenni crapulario Halenſi, vulgo **Knoblauchs-Mittewochen**, ſequentis tenoris: Mos ſolennis Halæ ac inveteratus obtinet, quo die Mercurii poſt feſtum Pentecoſtale omnia â curis vacant, opifices ſimilisque conditionis homines allio veſcuntur, ſibique perſuadent, eum qui hoc die ejusmodi herbis fruatur, bona valetudine per integrum annum uſurum. Omnes plateæ itaque illo die odore ſordido & alliari implentur; dignitate vero qui præcellunt, ſeu qui hac ſuperſtitione non capiuntur, communiter ſecedunt in hortos & villas, & mutua hilaritate ſe excipiunt. In ſequentibus, Autor obſervationis (quem Excellentiſſimum Dn. D. THOMASIUM p. m. eſſe opinior) curioſe inquirit in originem conſuetudinis, an ab Hermunduris, an â Pontificiis fortaſſe derivari poſſit? ſed, quod ſalva Celeberrimi Viri auctoritate dixerim, neutrum veriſimile videtur. Quoniam, ſicut ipſe Autor fatetur, Halam Hermunduri nunquam inhabitarunt; â Pontificiis autem ſtatuti dies feſti omnes ubique locorum uno eodemque die feriari ſolent. Sed allii hoc feſtum in diverſis locis, diebus diverſis feriari ſolet, prout inferius probabitur. Magis igitur vero conſentaneum mihi videtur hanc allio veſcendi conſuetudinem eam ob cauſam inoleviſſe, quoniam hoc inprimis tempore menſe Junio puta, allium ad perfectam maturitatem ſuam pervenire ſolet. Elapſo enim hoc menſe flores protrudens nauſeoſum magis & noxium evadere ſolet, utpote quod deſiccat & calefacit quarto gradu. Vid. *Simon* PAULI *in quadripartit. Botan. Claſſe III. p. 20.* Conterranei mei, cives & ruricolæ territorii Molhuſini, ipſo S. Johannis Baptiſtæ feſto, omnes ferme, paucis forſan exceptis, qui ob *ἰδιοσυγκρασίαν* id averſantur, eodem allio,

cum carne ovilla cocto, vescuntur & plures tanto quidem cum appetitu & in tanta copia id devorare solent, ut sæpius inde male habeant. Quamvis enim coctione correctum putetur, nihilo tamen minus virulentiam ejus maxime deprehendimus in illis, qui viscerum debilitate, vel passionibus hystericis, vel abscessu interno adflicti sunt, utpote quibus morbos & quandoque mortem ipsam accelerasse observavimus. Hinc cum quotannis circa & post festum S. Johannis Baptistæ inopinatis affectibus, cholera præprimis & cardialgia, nonnullos vexari animadverterem, sollicite magis in causam morbificam inquirendo, vix aliam, quam allii largiorem esum comperire potui. Inter plures fœmina junior toties atrocissimâ cardialgia affligebatur, quoties allio vescebatur; cui antispasmodica, nervina, stomachica & absorbentia levamen afferebant. Nonnulli, tam juniores quam adulti, cholera correpti, essentia theriacali balsamica, castorei, zedoariæ, succini & anodyna curati fuerunt. Atque his omnibus, ut â cibo ejusmodi noxia posthac prorsus abstinerent, suasi, præsertim cum, juxta AMBROSII effatum, mirum sit allio delectari homines, quod fugit leopardum. Nam sicubi parietes litu infeceris, exilit protinus, nec resistit. Cujus autem venenata fera odorem non patitur, in mensam tamen admittunt plerique ac internis infundere visceribus non desinunt. Manet itaque allio sua laus ut medicamento, non ut alimento; sit & maneat bonum medicamentum, sed perniciosus cibus & nauseosum alimentum.



OBSER-

OBSERVATIO XXXV.

DN. D. JOH. GEORG. HOYERI.

De

Febre quartana plurium annorum prorsusque incurabili.

QUartana neminem jugulat, CELSI effatum est. Interim tamen adeo difficilis curatio ejusdem quandoque est, ut in proverbium abierit: *Hydrops & quartana, Medicorum & scandala plana.* Utrumque & CELSI effatum & veriverbium sequens observatio confirmare videtur. Cum Hafniæ litarem Machaoniæ, celeberrimum mercatorem novi, per plurimorum annorum spatium febre quartana afflictum. Huic cum sponte consilium & auxilium offerre sustinerem, mox respondebat & sancte mihi referebat: Se interea temporis, quo febre hac fuerit correptus, plures celeberrimos & doctissimos Medicos Germanos, Batavos, Danos, aliosque, & inter hos Sylvium ipsum, Medicorum suæ ætatis principem ac Coryphæum, cujus causa Lugdunum Batavorum profectus fuisset, absque sperato successu in consilium adhibuisse, adeo, ut de curatione febris prorsus desperans paroxysmos consuetos usque ad finem vitæ patienter perferre consultius putaret, quam plura febrifuga, â quibus natura jam prorsus abhorrebat, tentare. Febrem adeo rebellem & intricatam toto vitæ & praxeos meæ tempore vix notavi; siquidem post paroxysmum velut ὀρθοστάδιως optime videbatur habere, & tanquam Plethoricus & obesioris corporis constitutionis, facie rosea præditus, cum aliis pro lubitu conversabatur, negotiabatur, appetebat, edebat, bibebat, ludebat, ut vix ac ne

vix quidem unquam febre affectum putasses. Vires autem paroxysmis imminutas, largiori vini rhenani optimi potu tempore apyrexiæ restaurare solebat.

OBSERVATIO XXXVI.

DN. D. JOH. GEORG. HOYERI.

De

Melancholico desperato αὐτοχειρίαν affectante & pactum cum cacodæmone se fecisse asseverante.

JOhann Cyriacus Lauterbach, incola pagi Rudigershagen, in districtu Eisfeldensi, Molhusæ vicino, siti, melancholicæ corporis constitutionis, vultus torvi, coloris luridi, timidi, tristis, inconstantis ac suspicacis animi & præposito Toparchæ, & Confessionario, propriæque conjugi diffidens, atque cum omnibus rixas & altercationes movens, tandem in vincula carceris conjectus, sese ab omnibus hominibus jamjam derelictum esse clamabat, omniumque rerum pertæsus, vincula collo intendens, nefando suspendio miseræ vitæ finem facere affectabat. Sed præpeditus per custodes ab autochiria, aliquamdiu post, se cum cacodæmone fecisse pactum, eique postquam desideratissimum aquæ frigidæ potum propinasset, inciso digito sanguine subscriptam apocham dedisse, quod liberatus ê squalido carcere, post sex annorum spatium ejus mancipium esse velit, sponte fatebatur. Hinc â plerisque pro mago, utpote qui cum cacodæmone pactum iniisset, habebatur. Judici in præsentia mea examinanti omnia, prout gesta erant, referebat & repetebat. Scisciantibus, unde & quomodo sanguinem pro subscriptione acceperit, dictum

ctum factum indicem digitum acu vulnerabat, calamoque apprehenso exstillante sanguine nomen in charta inscribebat. Cum vero recensita phænomena in melancholicis etiam frequenter observentur, neque reliqua pacti diabolici requisita (videlicet abjuratio S. Sanctæ Trinitatis, lucrum promissum, & damnum proximo illatum) simul adimpleta fuerint, ex mandato Toparchæ in consilium adhibitus, pactum cum cacodæmone merito in dubium vocabam, & â delirio melancholico dicta phænomena deducebam. Rebus enim sic stantibus, vel insomnium, vel phantasma, vel fortasse nudam Satanæ tentationem, minime autem pactum consummatum fuisse, probabile mihi videbatur. Adhibitis itaque medicamentis aperientibus, martialibus, emeticis, nervinis, cephalicis, confortantibus, delirio melancholico prorsus cessante, e vinculis & custodia dimissus, penitus iterum convalescebat, atque in exoptato valetudinis statu, præsentis ac hilaris animi, subsequentibus annis vivebat, memet ipsum visitabat & cum gratiarum actione sostrum offerebat. Sed quod altioris indaginis, elapso sexennio, circa idem temporis momentum, quo pactum cum cacodæmone finitum iri quondam confessus fuerat, desubito, sine prævio morbo, celerius opinione, vitam cum morte commutavit; id quod an forte ab insultu apoplectico, vel syncope, vel â fortiori imaginatione pristinæ rei gestæ, vel alia quadam abstrusa causa factum sit, dijudicare vix sustineo, sed cujusvis prudentioris judicio relinquo.

OBSERVATIO XXXVII.

DN. D. JOH. GEORG. HOYERI.

De

Hæmorrhagiis Oculorum.

HÆmorrhagiæ oculorum rarius quidem in adultis observantur; haud ita pridem tamen in plethorico quinquagenario, cui ex oculi cantho ſanguinis unciæ aliquot effluxerant, talem ſola venæſectione curatam fuiſſe notavi. In infantibus rariſſimum prorſus phænomenon eſt, adeo, ut toto vitæ meæ tempore & in quadragenaria praxi vix unica vice illam obſervaverim. Infans enim tertio poſt nativitatem die continua alterutrius oculi hæmorrhagia vexabatur, florido ſanguine dies noctesque guttatim ex oculi cantho ſtillante. Aliis remediis fruſtra adhibitis, viribus autem â fluxu ſanguinis valde proſtratis, poſt diem decimum quartum denique in conſilium vocatus, ſola aqua plantaginis deſtillata, interne propinatâ & externe ſimiliter frigidiuſcule oculo applicata atque aliquamdiu continuata, fluxum huncce ſanguineum ex voto iterum compeſcui.

OBSERVATIO XXXVIII.

DN. D. JOH. GEORG. HOYERI.

Hydrope Tympanite defuncti anatome.

POſt bellum civile, turbas ac tumultus, queis ſuaviſſima patria mea anno 1733 mire ac miſere, proh dolor! divexata fuit, plures cives conrei putati, in ſqualidos

lidos carceres conjiciebantur. Inter hos *Christianus* VOCKERODT, postquam in frigidiore loco, in vilissimo stramento absque lodice, cum pluribus aliquamdiu decubuerat, mense Junio debilitate ventriculi cum alvi fluxu correptus, appetitu solidorum ciborum prorsus abolito, nihil ferme præter haustum vini sublimati assumebat. Hinc brevi post alvus adstrictior, cum borborygmis, torminibus & abdominis nimia induratione, notabatur, ut tympanitem imminere judicarem, & id Perillustri Domino Judici Cæsareo subdelegato denunciarem. Hujus permissione ægrotus è squalido frigido carcere, in hypocausto lictoris cujusdam, mollibus in stratis, custoditus, post adhibita laxantia, stomachica, carminativa & roborantia convalescere visus. Ast subsequente mense Julio denuo in carcerem detrusus, aliquamdiu post de symptomatibus supra memoratis, abdomine præsertim magis indurato & inflato, alvo diebus aliquot adstricta, torminibus ventris, viribusque nimium prostratis, voce vix perceptibili conquerebatur. Hinc tandem præstito jurejurando, de judicio sisti, si convaluisset, è vinculis & custodia plane emissus & domesticis suis restitutus fuit. Propinabantur ergo ipsi denuo superius memorata medicamenta, cum pluribus aliis internis & externis, conjuncto meliore regimine, sed absque sperato successu. Abdomine enim magis magisque intumescente & indurato, supervenientibus anxietatibus præcordialibus, & urinæ diebus nonnullis ante obitum plenaria suppressione, mense Augusto tandem vivere desinebat. Pro rimanda mortis causa, abdomine mirum in modum tumefacto provide inciso, primum copiosi flatus cum sonoro stridore & graveolente odore emittebantur; quibus emissis & cessantibus, aqua limpida, scaturiginis seu salientis fontis instar, in magna copia prosiliebat. Remotis integumentis communibus & musculis abdominis,

nis, inteſtina omnia præter morem valde inflata notabantur. Omenti ne veſtigium quidem ſupererat: Ventriculus circa pylorum gangrænoſus & bis perforatus adparebat. Lien juſto minor & flaccidior: Pancreas parvum admodum & induratum: Hepar in parte exteriori gibboſa, ubi diaphragmati vicinum, putridum, corruptum: Meſenterium totum ſcirrhoſum: Veſica urinaria minor flaccida & vacua prorſus deprehendebatur. In medio ventre cor flaccidum ejusque ventriculi ſine cruore vacui erant, liquor vero præcordialis prorſus deficiebat. Corruptiſſimum hunc viſcerum ſtatum dubio procul â copioſo & nimio vini ſublimati potu originem traxiſſe, probabile videtur, utpote quo non ſolum in carcere, ſed prius etiam quam in carcerem conjectus fuerat, valde delectabatur. Inolevit enim tam in Thuringia noſtra, quam in vicina Haſſia, conſuetudo peſſima, ut plures nobiles, cives & ruricolæ vinum ſublimatum & aquas vitæ non ſolum in prandiis & cœnis, ſed jejuno etiam ſtomacho copioſiſſime abſorbeant, quorum alii in juvenili ætate phthiſi, hæmoptyſi, hectica, &c. alii creſcentibus annis hydrope, nimio hæmorrhoidum fluxu, cachecticis, arthriticis, vel aliis morbis affligi, vel perire, pauci ferme ad ſenectutem vegetam pervenire ſolent.

OBSERVATIO XXXIX.

DN. D. JOH. GEORG. HOYERI,

Maniaci Lethargo defuncti anatome.

FLorian Böhme*, textor & civis Molhuſinus in ſuburbio Divæ Margarethæ degens, annos quadraginta natus, melancholicæ conſtitutionis, qui ante viginti annos mania-

maniaco delirio per octo septimanarum spatium graviter laboraverat, postquam sequenti tempore, factâ quotannis venæsectione, feliciter se abinde præservaverat, eâdem hactenus neglectâ, inter curas domesticas & improbos labores mechanicos, ardore emergendi intempestivo vexatus, prætereaque vini sublimati haustu nimium delectatus, postquam aliquamdiu totos dies & noctes traduxerat prorsus insomnes, die quodam, dum sacris intererat, anxietate præcordiorum correptus & hinc porro sana mente captus, concionatori voce sonora obloquens, deliros sermones proferebat. Hinc domum reversus diebus sequentibus indesinenter vigilabat, alta voce clamabat, cum adstantibus rixabatur, ac tanto sæpius cum furore delirabat, ut sex virorum robur ipsi vix resistere posset, quin potius hos omni modo lædere conaretur, hincque necessum putarent, vinculis, fasciis & ligamentis illum ligare. Quandoque quidem resipiscere ac melius habere videbatur, mox tamen denuo insanire incipiebat, neque iterata venæ sectione, neque medicamentis internis & externis adhibitis mens constans & sana ratio restitui poterat. Diebus nonnullis elapsis, post ineffabilem furorem ac motus corporis præcipue capitis, violentissimos, accedente præter opinionem Lethargo, vivere tandem desinebat. Pro rimanda ergo morbi & mortis subitaneæ causa, sectio anatomica instituebatur, sub qua, facta integumentorum capitis dissectione & cranii remotione, vasa sanguifera mirum in modum turgida, ipsique ventriculi cerebri (præsertim sinister) sero copioso extravasato referti apparebant. Aperto abdomine vesicula fellea bile copiosa scatebat, adeo, ut transsudans bilis in abdomine conspicienda fuerit, ac vicina viscera bile tincta quasi notarentur. Lien prægrandis erat, ut magnitudine bovinum lienem superaret. In thorace pulmones sanguine turgidi lateri dextro arcte adhærebant. Ex quibus phæno-

phænomenis non ſolum maniæ cauſa, nimirum vaſorum ſanguiferorum nimia inturgeſcentia, prægrandis lien & abundantia bilis, ſed etiam ſubitaneæ mortis eluceſcit, (quamvis alias mania rarius lethalis ſit, ſed plerumque plures per menſes, quin imo annos duret,) dum nempe nimio ac violentiſſimo furore, & capitis præſertim motu & agitatione, ſerum in ventriculis cerebri extravaſatum lethargum & apoplexium produxit.

OBSERVATIO XL.

DN. D. JOH. GEORG. HOYERI.

De

Virgine ecſtatica per viginti quatuor horarum ſpatium pro mortua reputata.

EX generoſa familia de G. prognata virgo, melancholici temperamenti, vitæque ſolitariæ ac ſedentariæ dedita, dum poſt cœnam (cum aliis ludere more conſueto renuens immo ab ejusmodi ludis & alea prorſus abhorrens) in cubiculum ſuum properabat, en! præter opinionem viſu mirabile ſpectrum quoddam habebat obvium, quod ipſam manu apprehendens & ſimul in cubiculum tendens, ſubito iterum diſparebat. Inde terrore ac ſtupore miro perculſa, febrili ſtatim inſultu corripiebatur. Accedebant anxietates, deliria, lipothymiæ, variaque phænomena, donec abſente Medico ordinario, qui peregre abierat, reſpiratione, motu, ſenſu prorſus ceſſante, ab adſtantibus vivere jam deſiiſſe judicaretur. Jacebat enim, prout ex *Aurelio Auguſtino* de ſacerdote Calamenſi refert CORNELIUS AGRIPPA *Lib. 3. de occulta Philoſophia cap. 1. p. m.*

p. m. 369. simillima mortuo sine anhelitu, & cum ureretur & secaretur, non sentiebat. Postquam ultra viginti quatuor horas mortua judicata fuit, domesticis & amicis interea temporis de sepultura cogitantibus, en! qui peregre abierat medicus, domum rediens & accurrens vitæque adhuc superstitis quædam, obscura licet, vestigia in ea deprehendens, spirituosa volatilia placide instillando & externe applicando, præter omnium spem & opinionem resuscitabat quasi defunctam, vel potius in ecstasi constitutam, ob insignem virium prostrationem admodum simul debilitatam. Sciscitantibus curiose domesticis, amicis, immo & iam nonnullis ex theologorum choro, quomodo durante ecstasi se habuerit ægrota, ipsa respondebat: Se montes plurimos excelsos transcendendos habuisse, laboriose sensim superasse, tandem orcum flammis horribilem conspexisse, in quem animarum turmæ, ad instar floccorum nivis defluentis, ex universo terrarum orbe quasi confluxerint. In ipso orco plures dudum defunctos atque inter hos tales, qui in vivis pii & sancti putati fuerint, se vidisse. In tali statu tamdiu se decubuisse, usque dum per applicationem medicamentorum spirituosorum ê profundo quasi somno resuscitata fuerit. Virginem hanc aliquamdiu post medicus citatus, Medicinæ Licentiatus, uxorem duxit, cum quo in hunc usque diem statu suo contenta bene vivit. Ex his autem liquet, quam male sæpius agant, qui sepulturas defunctorum nimis accelerant, quodque consultius ad duos vel tres dies differri debeant sepulturæ, ne fato ante fatum nonnemo forsan fungi cogatur, quemadmodum de iis, qui in ecstasi constituti, vivi sepulti fuerunt, *J. M. M. â* GRONLANDT *in Philosophia veteri restituta Part. IV. Sect. I. p. 393. 394.* pluribus videri meretur.

(*Molhuso Erfordiam transmissa d. 13. Aug. 1733.*

OBSERVATIO XLI.

DN. D. JOH. HERMANN. FüRSTENAU.

Mictus cruentus & purulentus ſingularis.

VIr generoſus 49. annorum temperamenti melancholico-cholerici ad fluxum hæmorrhoidalem & nephriticas affectiones ex hæreditaria diſpoſitione pronus, prioris quidem molimina, ipſasque hæmorrhoides cœcas, albasque ſæpius, veras vero & apertas, rarius expertus, laborat per integrum nunc triennium ſingulari mictus cruenti & purulenti ſpecie, cum dyſuria febre perpetua, tenesmo & preſſionis inprimis verſus pubem ſenſu, in ipſo partu valde moleſto. Initium malo primum dedit vini gallici rubicundi ingurgitatio nimia, & motus corporis nimius, hinc rheda vectus; hiſce enim præviis, accedente ſubita corporis inclinatione, dolor acerbus dorſum, dyſuria veſicæ ſphincterem occupavit, & brevi poſt urina ſanguine tincta cum aliquot lapillis prodiit, quales deinceps ſemel atque iterum colicis & ſpaſmodicis ſymptomatibus ſimul præſentibus, ſunt excreti, colore flaveſcente præditi & friabiles, adeoque ex renibus procul dubio oriundi. Hi vero licet per annuum ſpatium non amplius prodierint, reliqua tamen ſymptomata non ceſſant, quin cum mictu, ſi non cruento, purulento ſaltem, dyſuria, tenesmo non raro juncta ægrum indeſinenter vexent, bene ceteroquin, imo pancreatice valentem. Malum hoc ejusdem eſſe indolis cum eo, quod in hiſtoria morborum Vratislavienſium 1701. p. 281. *hæmorrhoidum veſicæ* nomine deſcribitur, cujusque parallela paradigmata in *Fr.* HOFFMANNI *Med. Conſul-*

Consultat. Part. I. Dec. I. Cap. IX. & Part. VIII. Dec. V. Cas. V. & penes auctores utrobique citatos occurrunt, mox hariolatus sum, licet non adeo exactam servet periodum, sed incertis valde vicibus & occasione vecturæ, equitationis aut similis corporis animique commotionis vehementioris non infrequenter excitetur, quod & ipse hæmorrhoidum fluxus non adeo exquisitis periodis semper ingruat, sed vagis sæpe accessionibus obnoxios sibi mulctare consueverit. Hunc ergo scopum curæ primarium esse ratus, ut fluxum hæmorrhoidalem pro virili in ordinem redigerem, & â viis insuetis revocarem V. S. nem in pede circa utrumque æquinoctium administrandam suasi, præterea & balnea & pediluvia, semicupia, clysteres commendavi, junctis pilulis balsamicis, interpositis succinatis, cinnabarinis, absorbentibus, ipsisque nitrosis medicamentis, nec omissis specificis ex equiseto, urtica minore, pareira brava, millefolio, therebinth. sub infusorum theiformium, aliisque formulis variis propinatis. Adhibitæ quoque sunt acidulæ pyrmontanæ ante biennium, non quidem sine omni fructu, symptomata inprimis varia hypochondriaca, lassitudinem, torporem, vigilias, visus obscuritatem quod concernit: quod vero ipsum palmarium affectum attinet, is potius auctus inde atque exacerbatus est. Æstate hinc superiore aquas Selteranas, interpositis amaris Seidlicensibus, neque sine omni emolumento, sed tamen sine sperato constanti levamine hausit; idem de succo Betulæ hoc pariter & superiori vere per tres fere septimanas quotidie assumto affirmare licet. Elapso tandem autumno Medici cujusdam magni nominis, qui omnem mali originem â vasculis in collo vesicæ induratis, variciformibus, & in tumorem durum imo scirrhosum degeneratis derivavit, consilio inter alia Mass. pilular. ex Mercurii dulc. drachm. j. scrup. sem. & cinnab. antimon. drachm. sem. gr. v. constantem per plusculos ex

ordine dies ad gran. vij. quotidie adſumſit, effectu nullo ſalivatorio ad medici iſtius mentem, ſed blando laxativo cum levamine egregio inſequente, malo nondum quidem plane ſublato, ſed tolerabili tamen exiſtente. Quo quidem loco notari meretur, ægrotum per integrum triennium malis ſuis mitius ſenſim afflictum, & præterito inprimis autumno ingens jam levamen expertum eſſe; â pilulis vero mercurialibus ſæpius ante propinatis nunquam non melius habuiſſe, effectum quippe catharcticum egregium præſtantibus, quod ſi ſalivatio inde excitata eſſet, evocatis ad ſuperiora infauſto & naturæ adverſo auſu humoribus, annon effectus inde heteroclitus metuendus fuiſſet aliis dijudicandum relinquo.

OBSERVATIO XLII.

DN. D. JOH. HERMANN. FüRSTENAU.

Rarior Abdominis Intumeſcentia.

TUmores abdominis rariores aliquot *in Supplem. III. Annal. Phyſ. Med. pag. 116.* commemoravi. Hiſce addi inprimis meretur, quod ſequitur paradigma: Fœmina nobilis 20. fere annorum per aliquot jam annos maritata, in primo puerperio febrilia aliaque ſymptomata experta eſt, abortu vero hinc ſequente longe pejoribus malis afflicta fuit, & tumorem abdominis irregularem in altero nimirum latere per vices eminentem, prementem, pulſantem, ut abſceſſum inde metueret ægrota, mox iterum remittentem, inde retinuit, cum ſymptomatibus ſpasmodicis, anxiis, hyſtericis & pertinaci inprimis alvi adſtrictione, per vices exacerbatis omnibus, fluor albus quoque adfuit, ſed improvide ſubito ſuppreſſus malorum non modo

nullum

nullum decrementum, sed & incrementum attulit, nam & reversus deinceps levamen secum tulit. Venæsectio, clysteres, aquæ selteranæ & sexcenta alia modo cum, modo sine effectu sunt usurpata. Menses antea suppressi nunc iterum adsunt, sed justo parciores & circa finem cujuslibet periodi symptomata modo enumerata augentur. Ægrotam hanc per Septembrem, Octobrem, Novembrem & Decembrem Menses anni 1731. per infusa theiformia, tincturas aperitivas martiales quoque, pediluvia, venæsectionem in pede, pulveres nitrosos absorbentes & temperantes, additis quoque nonnullis externis, inprimis vero pilulis balsamicis, tractavi eo successu, ut brevi post ingens levamen appareret, ægraque loco prioris tristitiæ, notabilem mentis hilaritatem persentisceret, tandemque prævia omnium symptomatum ipsiusque tumoris in abdomine notabili remissione, gravida reddita nunc mediocriter degeret, & pilularum præ cæteris virtutem insignem prædicaret.

OBSERVATIO XLIII.

DN. D. JOH. HERMANN. FüRSTENAU.

Affectus spasmodico-paralyticus.

SPasmodici affectus universales & particulares in utroque sexu hactenus adeo fuêre frequentes, ut an veteribus plane fuerint ignoti, an alio forsan nomine insigniti, non adeo constet: Quicquid ejus rei sit, aëris per aliquot retro annos in dies & horas mutabilis, tempestatumque insolitarum vitio, varia ejusmodi vitia, extensionis & contractionis dolorificæ sensu in variis corporis partibus musculosis & nerveis molesta, denso magis agmine in dispositis excitata fuisse patet. Talismodi ægroti ut hisce

 tempo-

temporibus plures obvii fuere, ita horum plerique, si non omnes, & qui desperatissimi videbantur, & pessimæ notæ symptomatibus afflicti, anxietate præcordiali summa, vertigine, motibus convulsivis ipsis, vomitu, singultu, & si quæ sunt alia ejusdem commatis, remediis diluentibus, infusis theiformibus ex herb. veron. beton. millefol. catharcticis blandioribus & pilulis balsamicis, inprimis vero pulveribus nitroso-cinnabarinis, additis absorbentibus & cascarillæ cortice, diu, decenter, parvis & repetitis vicibus usurpatis, & potu sufficienti, motuque corporis debito simul adhibito, nonnulli & acidulis & aquis mineralibus debita ratione usurpatis, cum valetudine tandem citius, alii tardius in gratiam rediere. Conf. *Dissert. de usu & abusu acidularum in affectibus convulsivis*, nostro sub præsidio a D. A. Forstero 1731. h. l. habita. Sed multum mihi negotii facessit vir 50. fere annorum, qui per integrum semestre, affectu paralytico spasmodico, malis sibi invicem contrariis, ex stricto quippe & laxo compositis, laborabat, ita, ut dextrum brachium crusque ejusdem lateris vix ac ne quidem movere queat, oscitationibus interim frequentissimis & doloribus, spasticisque motibus & formicationis sensus in capite, in maxillis, ipsisque locis affectis paralyticis misere simul afflictus, ita, ut hisce diebus, accedente sopore, siti, singultu, aphonia, imo ipsa apoplexia, extrema imminere viderentur, quibus tamen omnibus brevi remittentibus, æger antiquum rursus obtinet. Hæmorrhagia narium quondam sat copiosa, sed per decennium non amplius laborabat. Inde procul dubio lerna malorum. Venæsectionibus itaque & scarificationibus per vices institutis & repetitis, vesicatorio non neglecto, varia pro usu interno, (nam externa, sive artubus, sive medullæ spinali applicentur, ferre plane non potest,) nervina, succinata, cinnabarina, nitrosa, aliaque propinavi, non neglectis specificis antispas-

modicis,

modicis, lumbricis terrestribus, talo leporis, ungula alcis, pulvere Marchionis, ipsisque lignorum herbarumque cephalicarum decoctis & infusis; catharcticis quoque ipsis & sudoriferis; sed quamvis non raro salutis spes affulgeat, brevi tamen pristinam omnia relegunt semitam, ut prognosis, si ullius, hujus certe affectus, sit maneatque dubia, & tempori soli relinqnenda.

OBSERVATIO XLIV.

DN. D. JOH. HERMANN. FüRSTENAU.

Affectus spasmodico-hystericus.

FOemina honesta 44. annorum temperamenti cholerico-melancholici, diætæ vinosæ ab ineunte ætate adsueta, in juventute aliquando gutta rosacea laborans, adhibito topico, nescio quo, eandem repulit, sana tamen plerumque & vegeta exstitit, nisi quod meditationibus profundis ultra modum non raro indulgeret, menses rite fluxerunt durante virginitatis statu, viro serius nupta aliquot liberorum non infelix mater extit, quartum puerpera, anxietatibus præcordialibus, & cogitationibus mœstis interdum absque causa manifesta tentata, venæsectionem semel atque iterum, sed frustra adhibuit. In puerperio justo tempore exantlato & secundinæ & lochia rite successêre, nec quicquam, quod conqueretur, habuit, Vix tribus â puerperio mensibus, infante, quem suis uberibus lactavit, fatis cedente, vehementer contristata, affectu hysterico-spasmodico primum laborare cœpit, cum variis symptomatibus, nausea, cardialgia exquisita, anxietatibus præcordialibus, vigiliis, frigore extremorum, alvo plerumque adstricta, post meridiem & circa noctem inprimis exacerbatis,

tis, quibus animi deliquium interdum accersit. Menses exinde diu siluere, ut gravida esset, nec ne, incerta maneret, demum parcius, serius pallidi & pauci, absque symptomatum levamine, apparuere. Appetitus ciborum non plane nullus, nec ingens sitis adfuit, nisi in paroxysmo. Varia per aliquot mensium spatium usurpata remedia, emetica blandiora ex rad. Ipecacuanhæ, aquæ minerales Sedlicenses, temperantia, absorbentia, salina nitrosa, cinnabarina, succinata, & ex millefolio, cascarilla, chamomilla, pimpinella, similibusque selectioribus medicamentis constantia per vices & ordine justo propinata, vix tantillum levaminis symptomatibus istis vehementioribus, & constanter impetu modo majore, modo minori repetentibus, attulere, nisi quod pulvis nitroso cinnabarinus cum absorbentibus & cascarilla maritatus parvis, sed repetitis dosibus assumtus non contemnendum interdum solatium afferret, junctis præsertim clysteribus lacteis & emulsionibus papaveraceis, placidam quietem inducentibus, mixturis quoque ex gumm. ammon. & sperm. ceti cum aqu. hyssopi, &c. paratis, malum interdum mitigantibus. Omnis autem medici intentio cum in restituendo fluxu menstruo versaretur, pediluvia, venæsectio in pede, pilulæ balsamicæ versus lunæ phases, & consuetum inprimis mensium tempus, sedulo in usum vocatæ, illud tandem b. D. effecere, ut fluxus iste & purior, & copiosior paullatim evaderet, & justo tandem tempore rediret. Id vero quoque notatu dignum videtur, excretionem purpuraceam circa æquinoctium autumnale in nonnullis corporis partibus, femoribus, lumbis & pectore apparentem, regimine diaphoretico cum levamine manifesto tractatam fuisse. Ceterum symptomata ista per totam retro æstatem infesta ingruente autumno non parum quidem de vehementia & frequentia remisere; sed tamen non prorsus evanuere, quin miseram acerbis interdum

terdum insultibus male mulctarent. Quare consulto circa autumni initia peregre profecta & per aliquot menses alibi degens, paucorum, eorumque innoxiorum medicamentorum, v. gr. Infusi theiformis & elixirii stomachalis usu, & mensium fluxum antea jam restitutum nunc plane in ordinem redactum vidit, & incolumis salvaque circa novi auspicium anni ad suos rediit, medicique adeo sui augurium toties ante repetitum luculento confirmavit documento, non nisi mensium fluxu restituto, pristinam incolumitatem expectandam esse.

OBSERVATIO XLV.

DN. D. JOH. HERMANN. FüRSTENAU.

Herpes erysipelatosus in infante.

HErpetis miliaris & exedentis, vel ἐσθιομένε ut non unum in praxi exemplum vidi, ita exacta nuper hyeme herpetis erysipelatosi volatici in nonnullis infantibus memorabilia exempla h. l. occurrerunt, in infantibus recens natis, quorum nonnulla aut nutricis aut regiminis perversi culpa fuere funesta: Quod vero meæ traditum est fidei, difficulter equidem, feliciter tamen ê periculo eluctatum est, licet & caput & organa varia fœdis exanthematibus horrida essent. In cura præter absorbentia & interposita mercurialia, nonnullaque ad tussim ferinam simul præsentem composita auxilia, pauca externa, ut sem. lycopod. & corn. cerv. sine igne, sunt usurpata, nutrici vero, quæ ab omnibus fere accusata, sed tandem insons reperta est, nonnulla hæmocatharctica, decocti, vel guttularum forma, sunt propinata, & res omnis trimestri fere spatio est confecta, adque liquidum perducta. Vid. ca-

ſum huic parallelum omnem morbi hiſtoriam fuſe & erudite delineatam in Excellent. Dn. D. BüCHNERI *Miſcellan. Phyſ. Med. Mathem. 1727. Menſ. April. p. 253. ſeqq.* Conf. Illuſtr. b. m. WEDELII *Diſſert. de Herpete.*

OBSERVATIO XLVI.

DN. D. JOH. HERMANN. FüRSTENAU.

Phthiſeos levamen ab acidulis dubium.

VIr quidam 53. annorum, temperamenti melancholci prædominantis, ſobrie vivens, fumo tamen nicotianæ ultra modum delectatus, ab ineunte fere ætate tuſſi & reſpiratione difficili, quin & hæmoptyſi interdum afflictus, hæc tamen omnia penſi vix habuit, & cantando, obambulando, equitando, venando, concionando, prout ætas & conditiones reliquæ tulerunt, corpus non raro ad ſudorem usque exercuit, absque ullo inde incommodo metuendo. Biennio abhinc acidulas pyrmontanas methodice uſurpavit, eo cum effectu, ut renatus quaſi ſibi, & ab omnibus fere ſymptomatibus immunis videretur; eundemque effectum â medicamentis quibusdam adſtringentibus martialibus ſine dubio, alio medico ſibi propinatis obſervare ſibi viſus eſt; ſed circa ſolſtitium hybernum anni 1732. ſubito & rigido gelu per univerſam Germaniam, ſi non Europam, & ſimul febre catarrhali, benigna pariter & maligna, paſſim epidemica ingruente, & ipſe correptus, initio quidem, ſpreto morbo laboribus ſacris & concionibus ex officii ratione, vix habita ratione frigoris externi ſatis ſævi, ſtrenue litavit, ſymptomatibus febrem iſtam comitari ſolitis, tuſſi, reſpiratione diffi-

cili, virium proſtratione, ciborum faſtidio, ſiti ſenſim auctis, quibus menſ. Januario & Februario exquiſita quidem auxilia oppoſuit, ſed morbo in phthiſin veram, unde omnia procul dubio profecta erant, iterum terminato, virium ſumma proſtratione, reſpiratione difficilima, & ſopore accedente, in ipſo æquinoctio verno, uti ipſe paulo ante auguratus erat, vitam cum morte placide commutavit, ſuoque docuit exemplo acidulis proprie dictis, id eſt principio quodam martiali juxta cum ſalino conſtantibus ob vim adſtringentem nusquam tutam eſſe fidem in affectibus pectoris, & phthiſi præſertim vera pulmonali, neque ſemper tutum & conſtans ab iisdem levamen in affectibus ſpasmodicis & hypochondriacis, quibus & æger iſte obnoxius fuit, expectandum eſſe. Qua de re vid. Diſſert. noſtr. *de uſu & abuſu acidularum in affect. ſpaſmod. & hypochondriacis.*

(Rintelio Erfordiam transmiſſa d. 18. Aug. 1733.)

OBSERVATIO XLVII.

DN. D. MAURITII ANTONII CAPPER.

De

Siniſtro curationis per equitationem ſucceſſu in phthiſi.

INeunte menſe Aprili anni 1727. duo phthiſici, alter in ſacris apud nos antiſtes, alter ex Magiſtratus ordine, quorum uterque quadrageſimum vivendo nondum attigerat annum, fatis cedebant, & quidem ſatis præcipitanter, nulla, ut alias ſub hoc morbo fieri ſolet, prægreſſa ſucceſſiva contabeſcentia, pedum œdematoſa intumeſcentia, diarr-

hœa colliquativa, &c. Prior, nempe Clericus, integro abhinc anno, cum pro desperato jam jam haberetur, meam imploraverat opem atque medelam, eaque ad finem usque Novembris usus fuerat, quo tempore ipsi dein ab alio quodam medico corporis exercitatio per equitationem, quam quidem & ego sub aëre sereno ac tranquillo convenientique anni tempore, sed non nisi moderatam, injunxeram, certissimæ ad instar curæ commendabatur, hoc nempe ordine, ut quotidie ad minimum per quinque horas exercitium istud continuaret, nulloque die, si possibile foret, omitteret, cui consilio etiam, quantum virium notabilis jam præsens imbecillitas permittebat, eo usque morem gerebat, donec nimium dyspnoeæ augmentum, ab omnimoda expectorationis consuetæ suppressione spontanea procul dubio inductum, id prohiberet, sicque ingravescente magis febre hectica, mors ipsa totam brevi post scenam clauderet. Pari quoque modo alter, politicus nimirum, cui jam ante biennium, cum hæmoptysi decumbens me consuleret, ob symptomatum conditionem & concurrentem dispositionem hæreditariam ad phthisin, haud adeo læta augurari licebat fata, circa elapsi anni autumnum curam istam per equitationem suscipiebat, in eaque ita strenue continuabat, ut quinto ante obitum suum die adhuc equo vectus exspatiaretur, nec ullum adeo eximium dyspnoeæ augmentum & expectorationis decrementum, nisi vitæ suæ ultimo die persentisceret, ubi paucissimam & admodum tenacem ejiciebat materiam, insimulque hoc inprimis notatu maxime dignum observabatur, quod per quinque horas, antequam fato fungebatur, cum pallentia ejus ora mortis imago occupare inciperet, in dorso iterum recumbere potuerit, cum antea adeo inflexo corpore in lecto saltem sedere coactus fuerit, ut caput intra genua quasi recondere videretur. Nihil equidem inten-

tatum

tatum relictum fuit, quod ulla ratione proficere posse autumavimus, ast omnia incassum; licet enim ab usu *mixturæ meæ oleosæ*, quam in statu hoc ancipiti sæpius ipsi propinabam, summa illa dyspnoea aliquantulum remittere & expectoratio quandantenus redire videretur, ex mortis tamen faucibus minime eripi & ab instante fatali hora liberari poterat. Quod interim modo allegatæ *mixturæ oleosæ* compositionem attinet, eam quoque hac occasione lubentissime communicabo, præcipue cum magni & frequentissimi apud nos sit usus in omnibus pectoris affectibus, ubi expectoratione opus est, nec non in nephriticis, colicis, aliisque dolorosis morbis, ubi eximium pariter levamen crebrius ipsam attulisse observavimus. Constat autem ex sequentibus: Rec. aquarum appropriatarum, v. g. flor. acac. chærefol. hyssop. heder. terrestr. malvæ, &c. ana ex. gr. drachm. vj. sacch. cand. alb. drachm. vj aut syr. de alth. vel capill. vener. unc. j. M. adde ol. amygd. d. recent. s. igne unc. iij. spir. sal ammon. gutt. xxx. vel L. M. D. ad vitr. S. **lösende Mixtur, davon öffters ein paar Löffel voll zu nehmen.**

De reliquo hi ipsi phthisici nostri equites, citato quasi equorum gressu morti suæ occursitantes, sufficiens nunc manifestumque præbent testimonium, quod tantopere in omni phthiseos specie deprædicata & ejusdem efficaciæ cum mercurio in lue venerea, aut cortice peruviano in intermittentibus, à SYDENHAMIO reputata cura per equitationem, minimum nostratibus & in phthisi ulcerosa haud adeo conveniat, quin potius admodum noceat, eaque propter ita indiscretim & temere minime commendari debeat. Sectio interim anatomica, in ultimi horum, nempe politici, corpore instituta, pulmones admodum flaccidos & copiosis albis ac fuscis, seu puniceis maculis, ad instar marmoris egregie variegati, obsitos, horumque sini-

ſtrum lobum totum fere putridum & in tabum diffluentem, dextrum vero minus quidem adhuc corruptum, ſed materia purulenta paululum magis præ illo refertum, monſtrabat, quippe cujus vix veſtigium quoddam ſub inciſione ibidem occurrebat, ſicquè HIPPOCRATIS obſervationem *Aphor. 16. Sect. VII.* communicatam, inſtare nempe mortem, *quando purulentum ſputum retinetur, nec amplius excernitur*, confirmabat, cujus rationem pluribus reddidit SYLVIUS, *Append. Prax. Med. Tract. IV. p. 533.* ſimulque exinde, quod communiter in phthiſicorum cadaveribus ſub ſectione anatomica non ita multum puris reperiatur, GALENI aliorumque opinionem, tales nempe plerumque â ſputo iſto in pulmonibus accumulato, viasque reſpirationis obturante, ſuffocari adſtruentium, ſolide refutavit. Cor ipſum dein admodum parvum, flaccidum & corrugatum apparebat, quodque illud ordinarie ambit pericardium, adeo extenuatum erat, ut vix diſtingui â corde potuerit. Venam pulmonalem concretio polypoſa, duorum circiter pollicum longitudinem referens, occupabat, quæ exemta, fortiori digitorum compreſſione & attritu, inſtar tenacioris & viſcoſi muci, extendi & diſſolvi potuit, manifeſto indicio, quod â pure ſpiſſiore cum ſanguine ad cor refluente in hunc canalem delato ſucceſſive coaluerit. Hepar quoad maximam ſui partem ſanum apparebat, & ſolummodo in extremitate anterioris lobi nigricante colore obductum erat, quemadmodum etiam in ambitu ſeu peripheria omenti incipiens jam jam corruptio notabatur, quod ultimis ſaltem morbi temporibus & brevi ante mortem eveniſſe exiſtimo ſæpiusque in aliis etiam cadaveribus, ex internis ulceribus demortuis me obſervaſſe probe recordor.

(*Lucernâ Wratislaviam*
miſſa.)

SCHO-

SCHOLION.

PHthisin omnem, præcipue autem veram, ulcerosam & consummatam, ordinarie illorum morborum classi annumerari, qui difficilioris sunt curationis, imo interdum nulla prorsus arte tolli possunt, prudentiorum medicorum nullus certe negabit, adeoque mirum haud est, quod ab omni fere ævo in inveniendis & excogitandis varii generis remediis, maxime autem specificis, auferendo graviori huic malo aptis, multum undique desudaverint, vix tamen ullum hocce titulo dignum produxerint. Gloriatus equidem est, celeberrimus ille anglorum Medicus, *Thomas* SYDENHAM, se in corporis exercitio convenienti per *equitationem* adeo eximium pro curandis variis chronicis affectibus, & in specie ipsa phthisi, deprehendisse specificum, ut etiam, si cui innotesceret medicamentum, quod & celare vellet, æque efficax in ejusmodi morbis, ac est *equitatio constans & assidua*, opes illum exinde amplissimas facile accumulaturum esse autumaverit; ast, licet præclara viri hujus eruditio, & in judiciose indagandis ac perite observandis variorum affectuum, maxime autem febrium & podagræ phænomenis demonstrata insignis industria, magnam utique fidei suæ existimationem apud alios ipsi procuraverit, adeo, ut de hujus quoque exercitii tot tantisque laudibus deprædicato effectu ad suam, & quidem numerosam, experientiam provocanti omnem simpliciter derogare fidem, religioni sibi duxerint, nondum tamen hactenus impetrare â me potui, ut quibuslibet indiscretim phthisicis, verâ inprimis pulmonum labe ulcerosa affiictis, illud ita absolute proficuum æstimaverim, aut unquam commendaverim, etiamsi me non fugiat, quod â compluribus antiquiorum medicorum, speciatim vero Cicerone nostro,

Corne-

Cornelio CELSO, jam olim similis fere exercitationis species, *navigatio* scilicet *longa*, pro omni phthisi curanda tanquam certissimum per experientiam comprobatum remedium, eximie laudata fuerit, dum *Lib. III. cap. 22. p. 158.* ita scribit: *Si mali plus est & vera phthisis est, inter initia protinus occurrere necessarium est, neque enim facilius morbus, cum inveteraverit, evincitur. Opus est, si vires patiuntur, longa navigatione, cœli mutatione sic, ut densius quam id est, ex quo discesserit æger, petatur. Ideoque aptissime Alexandriam ex Italia itur. - - - Si id imbecillitas non sinit, nave tamen non longe gestari commodissimum est. Si navigationem aliqua res prohibet, lectica, vel alio modo corpus dimovendum est.* Sic quoque in eo itidem consentientem habet PLINIUM, *Lib. XXXI. Histor. nat. cap. 6.* ita loquentem: *Praeterea est alius usus* (aquarum marinarum) *multiplex, principalis vero navigandi, phthisi affectis, ut diximus, aut sanguinem egerentibus, sicuti proxime Anneum Gallionem fecisse post consulatum meminimus. Neque enim Ægyptus propter se petitur, sed propter longinquitatem navigandi.*

Merito autem nunc dispiciendum erit, utrum â veteribus navigatio saltem commendata fuerit propter motum & agitationem corporis, sub navium jactatione omnino evenientem, aut propter medicorum illis temporibus Alexandriæ degentium summam existimationem, quippe quorum intuitu non tam navigationem, nec Ægyptum simpliciter, sed Alexandriam in specie petitam esse ab ejusmodi ægrotantibus, non sine omni ratione autumat CELLARIUS *Antiquit. medic. p. 38.* aut annon potius ob connexam insimul aëris mutationem, & quidem levioris in paulo densiorem & crassiorem, quam expressis verbis modo citatus CELSUS adduxit, omnesque phthisici præservative pariter ac curative saluberrimam semper & utilissimam experiuntur. Hinc etiam clarissimus Anglus MORTONUS,

in Tr.

in Tr. de Phthisi, Lib. I. cap 3. omnes tabi propinquos ægros ab amicis recreari & in aërem apricum & salubrem quam primum dimitti jubet, quoniam hunc plus quam medicamina cetera nervorum & spirituum confortationi, appetitus & hilaris animi recuperationi, & consequenter tabis ingruentis præcautioni, experientiâ multa edoctus conducere observasset. Sic quoque supra citatus SYDENHAMIUS Opuscul. p. 591. decantatam illam exercitationem per equitationem in aëre salubri longe eâ præstantiorem esse adserit, quæ in minus salubri peragitur, ruri scilicet potius, quam in urbe, ubi aër vaporibus â variorum artificum officinis est repletus & ædificiorum densitate constipatus. Licet enim admodum serenus, tenuis, calidus & siccus aër phthisicis ut plurimum magis infensus deprehendatur, quam humidus & paulo crassior, vix tamen unquam expedit, ut in tali, utpote ad recipiendas & diutius sustinendas copiosas heterogeneas, salino-sulphureas, acres & fermentativas particulas aptissimo, diutius degant atque subsistant, præcipue si in ejusmodi climate prima phthiseos posuerint fundamenta, quin potius & tunc necessitas exigit, ut puriorem ante omnia, etiamsi quoque serenior fuerit, cœli aërisque conditionem quærant. Et hoc respectu ii, qui, referente CLARAMONTIO, *de aëre, aquis & locis terræ Angl. p. 18.* ex anglia phthisi & scorbuto laborantes in Galliam proficiscuntur, hausto illinc aëre puriore, sæpissime convalescunt, licet etiam alias Anglicanum clima, ubi rara est serenitas & semper fere similis autumno tempestas, cum aëre densiori & cœlo nubibus obsito, quodammodo magis ipsis favere videatur: Plerumque enim, ut pulchre scribit CELSUS *Lib. I, cap. 1. pessimum cælum est, quod ægrum fecit, adeo, ut in id quoque genus, quod natura pejus est, in hoc statu salubris mutatio fit.* Adeo satis nunc liquet, exercitia illa corporis, sive per equitationem, sive

per navigationem, solitarie ad curationem cujuslibet phthiseos vix unquam tantum adferre emolumenti, quantum à conjuncta simul aëris & cœli mutatione expectare licet, imo si vera jam jam præsens fuerit phthisis, pulmonumque labes ulcerosa notabile augmentum ceperit, admodum caute & moderate equitationem commendandam, aut forsitan securius omittendam plane esse; quoniam si non mundificationi & abstersioni, tamen consolidationi illius, si qua etiam possibilis adhuc foret, talis succussatorius motus quam maxime obest, novamque fibrarum coalitionem, quiete potius impetrandam, prorsus impedit; unde etiam eandem, licet digestiones promovendo & secretiones necessarias conservando, magis quam omnes aliæ exercitationes corpus, & præsertim stomachum, firmare, sensuum instrumenta purgare eaque acutiora reddere valeat; tamen simul *thoraci infensissimam* esse jam dudum ex ANTYLLO notavit ORIBASIUS *Lib. VI. Coll. Med. cap. 24.* suoque nunc exemplo phthisici in prægressa hac obseruatione abunde confirmarunt, utpote qui intempestivo & immoderato hujus exercitii usu corpora & præcipue viscera sua, alioquin satis jam languentia ac læsa, magis adhuc debilitarunt, humoresque plus justo in dies exagitando vehementiam orgasmi illius febrilis, plenariam corporis contabescentiam immediate post se trahentis, usque adeo exaltarunt, ut necessario tandem totius oeconomiæ vitalis desttuctio, alias forsitan diutius adhuc avertenda, insecuta fuerit.

Interim tamen propterea minime equitationi omnem simpliciter denegaturus sum utilitatem ad facilitandam phthiseos curationem, inprimis ubi saltem in initio vel augmento eadem constituta, ad ultimum vero noxiæ indolis gradum nondum deducta fuerit: Notum enim omnino est, quantum communiter hypochondriaci insultus cum hæmoptyicis moliminibus, imo actuali hæmoptysi & ipsa

pectorali

pectorali chronica tussi conspirent, quam facile hæmorrhoidum mensiumque graviores anomaliæ cum asthmate convulsivo, respirandi difficultate â qualicunque corporis motu, tussi sicca, hæmoptysi ac ipsa phthisi complicentur, aut singula hæc mala post se trahant, & quantum emolumenti convenientes commotiones tempestive institutæ his omnibus adferant; adeoque facile liquet, quod non solum in hypochondriaca & atrophico-hectica, sed & in vere phthisica consumtione, si nimirum dispositio ad ulcerosam pulmonum labem prægressa graviora hypochondriaca pathemata pro fundamento agnoscat, tempestive ac prudenter institutus ejusmodi motus, qui præter universi reliqui corporis solito majorem agitationem, speciatim hypochondria magis afficit, atque potissimum sub equitatione, ab equo plus minusve succutiente, aut sub navigatione in mare paululum inquieto obtingit, utique apprime conveniat, & ad felicem staseos ulcerascentis resolutionem, vel factæ jamjam, nondum tamen per pulmonum substantiam admodum diffusæ actualis ulcerationis abstersionem & consolidationem, tollendo primum ejusdem fomitem, graviora subinde incrementa illi largientem; multum revera conferat; quapropter etiam, si eadem & SYDENHAMII & CELSI fuerit sententia, illeque per *Tabem deploratam*, nocturnis sudoribus & diarrhoea colliquativa stipatam, hic autem per *veram phthisin*, non nisi hypochondriacam, seu atrophico-hecticam talem consumtionem, quandoque etiam in pectore tandem radices suas figentem, pulmonumque læsionem secundario saltem introducentem intellexerit, cordatum quemlibet medicum suo illam consensu roboraturum, ê contra vero ubi simpliciter de phthisi pectorali, â pulmonum vitio unice & primario dependente omnia ista intellecta voluerint, ulteriorem ac feliciorem laudatæ mul-

tiplicis experientiæ confirmationem merito exoptaturum esse, certissime confido.

(A. E. Büchnerus.)

OBSERVATIO XLVIII.

DN. D. GEORG. LEOPOLD. HOYERI,

De

Somniis futura præsagientibus.

VIr septimum & vigesimum ætatis agens annum gravissimo adfligebatur morbo, ita ut non solum medicæ artis periti de recuperanda dubitarent sanitate, sed & verbis factisque adfinitate & consanguinitate junctis innuerent, in lethi faucibus versari ægrotum. Hujus namque facies (ut ex veterum medicorum descriptionibus, ab HIPPOCRATE exacte atque summatim traditis, notandum,) moribundi præ se ferebat speciem, insimulque alia mortis signa obtutui sese offerebant; ejusdem igitur domus tota gemitibus & planctu personabat, solus autem ægrotus, spe convalescendi fretus, firmo, constanti atque tranquillo erat animo, adstantiumque mentes insomnii mulcebat & consolabatur enarratione, inquiens: Nondum ratum statutumque est, me à complexu meorum morte iri distractum, cum dilectissima paucos ante annos defuncta mater nudius tertius de recuperanda prosperrima valetudine per insomnium, expanso focali, litteris germanicis acu pictis notato, me reddiderit certiorem, referens, non prius moriturum me esse, quam superato primo post trigesimum ætatis meæ anno. Respondit etiam, quod miratu omnino dignum est, enarratis hisce effectus, ægro isto, unanimi omnium judicio jam morti proximo, tamen inopinato convalescen-

te,

te, elapso autem modo dicto anno brevem vitæ suæ cursum placidâ morte finiente. Idem vir nunc beate defunctus, paulo ante, quam ex hoc mundo migrabat, mihi retulit, quod nunquam per somnia obscura & implicata, communiter mediantibus somniis allegoricis, â somniatorum interpretibus, v. g. Arabibus, Ægyptiis, Judæis, præsertim Autoribus libri Abrahami, Salomonis, Danielis, ut & ab Artemidoro Daldiano, exponi solita, sed clarissimis verbis & indubitatis indiciis statim primo, vel secundo, vel sequentibus diebus sibi obventura prævideret, quæ omnia sibi forsitan ingrata, nociva & contumeliosa existentia, etiamsi declinare ac subterfugere voluisset, imbecillitate tamen humanæ naturæ & levitate juvenili adductus & quasi necessitate coactus, minime potuisset, ita ut præter spem & opinionem ejusmodi prænunciata accurate sibi contigissent.

Brevi post alia notatu pariter digna mihi occurrebat observatio, quam huic modo enarratæ adjungere licebit: Soror mea charissima, virgo 24. annorum, cum viveret, pietatis & castitatis laudem promerita, aliquot jam abhinc annos defuncta, ab initio morbi, quo ad vitæ usque finem detinebatur, multos ante dies ex somnio mortem certissime secuturam prædixerat. Quamvis igitur Medici se invicem adspicientes, de somniorum convicti futilitate, ex satis probabilibus artis medicæ principiis, bona firmaque corporis constitutione, præsentisque morbi conditione conjicerent, id minime eventurum, quin potius omnino possibile esse, ut etiam ingravescens forsitan morbus feliciter adhuc tollatur; ægrota tamen in sua perseverabat sententia ac flagrantissimo desiderio nullâ interjectâ mora, sacro impertiri viatico cupiebat, simulque hilari & constanti animo omnibus ac singulis consanguinitate & affinitate conjunctis ultimum vale dicebat. His peractis tranquillo ani-

mo realem expectabat analysin, & adstantes majorem in modum implorabat, ut non nisi de rebus loquerentur divinis & exequialia canerent carmina. Die sequenti ægrota, vi morbi oppressa, interdum delirabat, & appetitus magis magisque prosternebatur; quibus tamen non obstantibus, eandem cum sanitate in gratiam redire posse, Medici nullatenus adhuc dubitabant. Tandem decimo tertio morbi die, signa eventum ejus funestum indicantia in conspectum prodibant, horaque decretoria appropinquabat, qua ex hac miseriarum valle in æternas sedes placide transmigrabat.

Non equidem somniorum fautorem patronumque me profiteor, nec, eorum vanitate permotus, secundum sententiam THEMISTII & SYNESII Platonici, omnia somnia pro futilibus & fallacibus habeo oraculis. Sæpe namque negotia per diem tractata, sæpe corporis dispositio, temperamenta hominum, sæpe imaginatio, ventris repletio, cibus atque potus assumti, situs denique positusque in lectis cubantium aliæque causæ, â somnolentis ac stultis hominibus non consideratæ, somniandi præbent occasionem; attamen

Somnia non semper fallunt, si sæpe putentur


Somnia sunt varios hominum narrantia casus;

multo minus divinandi vis animæ humanæ deneganda est: Quemadmodum enim, ut cum *Andrea* RüDIGERO loquar, (vid. ejusd. *Physic. divin. Lib. V. cap. 6. sect. 5. §. 89.*) *somniando vera pronunciamus, ita nimis austere & fastuose philosophari mihi videntur, qui somniis omnem præsagiendi gloriam abjudicant: Id non perpendentes forte, quod, sicut, quantum ad mentem, in uno homine plus valet judicium, quam in alio, ita hæc facultas divinatoria in hoc sese excellentius exserat, quam in illo, & in illis, qui judicio valent, raro tam vivida sit, quam in aliis.* Conf. *Petrus* PETITUS in tractatu lectu dignissimo *de Sybillis.* Huc pertinent etiam verba *Hieronymi*

WOLF-

WOLFFII Oettingensis, quondam Molhusini Gymnasii Rectoris, in annotationibus ad librum Ciceronis qui inscribitur, somnium scipionis, prolata: (vid. *princ. annot. p. m. 4. edit. Basil.*) *Divinitas animi*, inquit, *tum maxime apparet & quasi eminet, cum à contagio corporis maxime recessit: Id quod fit in somniis, si corpora neque corruptis humoribus redundent, neque crapula oppressa jaceant, neque actorum diurnorum cogitatio quietem mentis interpellet. Inprimis tamen* φύσις εὐθύνερος, *ut* ARISTOTELES *ait, requiritur. Ut enim non omnes celeritate ad cursum, aut viribus ad luctandum, sic non multi sagacitate ad somniandum & divinandum valent. Solent & morituri sæpe res futuras denunciare, cum animus se paulatim à concretione mortali corporis segregat atque absolvit.* Non excutiam autem atque funditus evellam multorum opinionem præcipue BUDDEI in dissertatione cui titulus: *An naturalis homini insit vaticinandi facultas*, atque HUETII in *demonstratione Evangelica*, quod videlicet hæc divinatio ex afflatu cujusdam spiritus sive boni, sive mali, proveniat. Missam quoque faciam distinctionem inter somnia ab ipso Deo T. O. M. à Cacodæmone, ab influxu cœlesti, corporum nempe superiorum, ab intelligentiis, ut Arabes existimarunt, vel ab alio principio & somniorum Deo, nescio quo, concitata; sed saltem quæram: Quid impedit, quo minus hanc divinationis speciem immediate ab ipsa anima derivemus? quemadmodum enim naturæ humanæ essentia nondum satis est explorata; ita etiam facultates & operationes ejusdem sæpe admodum sunt abstrusæ: ideo, licet hoc vel illud naturam humanam superare, vel ejus facultates excedere videatur, exinde tamen minime concludendum, quod ejusmodi effectus à causis producantur supra naturalibus. Anima igitur, corpore sopore sepulto, matutino cumprimis tempore, peracta ingestorum coctione, variis & multiplicibus rerum imaginibus, à curis aliisque vehementibus adfecti-

adfectibus, sensuum externorum ope productis, libera minusque turbata, magis claras atque distinctas sibi format ideas non solum, sed &, ob nexum ejusdem cum corpore arctissimum, ardentissimo flagrat desiderio corporis, cui insita est, felicitatem promovendi, illudque ad varios casus tam secundos, quam adversos sustinendos, aptum reddendi, exinde insomnia & divinatio. Quemadmodum enim mens futurum præsagit malum, homine tristitiâ absque causâ manifesta, sed ex alia, animæ solum conscia, adfecto; ita nec de divinatione animæ per somnium dubitandum. Quam de Atlantis, somniis carentibus Antiqui narrabant fabulam simulac quæstionem, an ars interpretandi somnia inter deperditas sit referenda, non excutiam. De somniis autem fusius tractant, ARISTOTELES *Lib. de somno & vigilia*, HIPPOCRATES περὶ ἐνυπνίων *T. 1. pag. 633-644. Edit. Joh. Antonid. van der Linden*, PLINIUS *Histor. nat. Lib. VII. cap. 50.* GALENUS *Lib. de præsagiis, quæ ex somniis erui possunt*, *Franciscus* SANCHEZ, Lusit. Med. in Tr. *de divinatione per insomnia*, PEUCERUS, *de præcipuis divinationum generibus p. m. 421. seqq.* SCHOTTUS in *Physic. curios.* Lib. III. *cap. 25. Joh.* NIDERUS in tract. *de visionibus ac revelationibus*, edit. Herm. von der Hardt, *cap. 4. de somniorum differentiis, de causis eorum & de deceptis per somnia & visiones.* Auserlesene Hällische Anmerckungen über allerhand Materien und Schrifften, *Tom. III. Obs. II. §. 15. 16. 17.*



OBSER-

OBSERVATIO XLIX.

DN. D. JOH. SEBAST. ALBRECHTI.

Calculorum uberrima in detrimentum hominis progenies, & mira majoris forma.

CAlculorum progeniem tantum non in omnibus corporis humani partibus, maximo cum ejusdem cruciatu nasci, passim docent solertium Medicorum observationes. In nonnullis subjectis eorundem numerosa proles non in una tantum parte, sed in pluribus reperitur, adeo, ut ejusmodi homines vivum lithophylacium referant, cujus vero contenta morte solum patefiunt & oculis curiosis sistuntur. (*) Rem ipsam prolixius docebit veritatemque confirmabit sequens observatio omnino digna quæ ab oblivione vindicetur.

Vir ætatis 65. annorum, in juventute vitæ sedentariæ magis adsuetus, ob rationes tractandas conficiendasque; erat namque â Cameralibus officiis Serenissimi Principis nostri quondam, Ducis ALBERTI, quod vitæ genus posthæc adultiori ætate in aliud paulo magis mobile mutatum est, ob res oeconomicas Aulæ Serenissimi curandas, diætæ admodum studiosus, Deo & Principi fidelis, bonus pater familias, ante plures jam annos enormibus vexabatur

(*) Conf. præter alios G. D. MAJORIS *Historiam Anatomicam Calculorum in Renibus*; *Joh.* SPERLINGII Philosophi quondam Clariss. Repertor. Lips. 1662. 4t. It. Consiliarii & Archiatri Brandenb. Baruth. *Gothofredi* STEINII *Lithographiam curiosam*, *Baruthi* 1703.

tur doloribus nephritico-colicis, cum urinæ difficultate, periodis anomalice redeuntibus, mox diutius, mox brevius durantibus, contra quos dolores, uti aliis medicamentis, ſic inprimis tinctura nephritica Rothiana obviam ibat, experientia doctus, aliquod ad minimum ſymptomatum levamen inde produci. Fatales tandem accedebant & ultimi dolores nephritici, conjuncti cum febre catarrhali pulmonumque plenaria, hepatis vero ſuperficiaria inflammatione.

Poſt mortem in cauſam inevitabilis fati cultro anatomico inquirebatur; ubi primum renes & veſica ſub examen vocabantur. In prioribus illis ultra quadraginta reperiebantur calculi, variæ magnitudinis, aſperæ & inæqualis ſuperficiei, coloris pallido-ochrei; in veſicæ vero collo hærebat calculus major, inæqualis, ponderis unc. iij. & dim. cum drachm. ij. ejusdem figuræ, quam ſchema præſens Tab. II. Fig. 4. & 5. exhibet; An â cauſis mechanico-hydraulicis, an vero â natura, ſive anima, quod nunc non determinabo, ita compoſite fabrefactus, ut collum quidem veſicæ libere extendi & contrahi ulterius vix potuerit, interim tamen aliqua via urinæ tranſeunti relicta fuerit. In ſuperiore parte latiores & æquales magis erant termini, quam in inferiore parte, ubi in parte anteriore a. b. a. b. pro oſſis pubis figura depreſſio aliqua magis æqualis obſervabatur; in poſteriori vero & quidem infima adunca tantisper, transverſim c. d. c. d. & oblique c. f. & d. e. ſinus quidam excavati, meatuum inſtar, apparebant, quos lotium apertos ſibi conſervaverat, in ſolatium miſeri. Color inſuper idem erat, ac calculorum in renibus repertorum. Offerebantur inſuper â conſanguineis XV. lapilli obſcure rubeſcentes variæ magnitudinis, inæquales ſuperficie, quos cum multo ſabulo maximaque difficultate & dolore diverſis temporibus excreverat defunctus. Relictis his ad hepar & veſiculam felleam tran-

tranſitus fiebat, quod viſcus ſuperficiarie inflammatum, in cyſtide vero bilis coagulatæ & inſtar ſacchari granulati, ſeu ſeminis milii excorticati, formatæ, drachma ſemis tantum reperiebatur. Tandem & ad pulmones ventum eſt, in quibus inflammatis viginti reperiebantur lapilli tophacei valde aſperi, magnitudine piſi & lentis. Tantum eſt, quod miſera hominis pars, artificioſiſſime â creatore ſtructa, corpus, patitur.

OBSERVATIO L.

DN. D. JOH. SEBAST. ALBRECHTI.

Notabilia in puerpera poſt enixum fœtum mortua, fœtu priori gemello in utero relicto.

QUantum augmenti res medica ceperit ex diligenti obſervatione earum rerum, quæ ſecundum & præter naturam & homini & in homine contingunt, adeo ut tota ejus facies, proxime præterito & hoc ſeculo, multum mutata videatur, quantumve inde emolumenti ſaluti ægrorum acceſſerit, tot loquuntur Medicorum ſcripra, ipſaque teſtatur experientia, fida teſtis, ita, ut ſupervacaneum plane ſit, id verboſa narratione atque laudibus repetere. Optimo ſane jure Clariſſimus WOLFFIUS in ſuis *horis ſubciſivis Marburgenſibus anni 1729. trimeſtris brumalis p. 154.* Medicos in obſervationibus Aſtronomos imitari ex PITCARNIO jubet, & uberrimos inde fructus non ſine ratione ſpondet percipiendos. Obſtetricandi ars manuaria, inter reliquas Chirurgiæ partes non minimos inde percepit fructus; quæ tamen in maximam ſequioris ſexus ſalutem, apud exteros per peritos Chirurgos magis exercetur,

tur, quam apud nos, ab omnibus cœcis præjudiciis, pudoris obtentu nondum plane liberatos. Quid enim huic arti ex anatomicis observationibus plurium circumstantiarum prioribus ævis neglectarum, quæ partus negotium tamen difficile valde reddunt & modificant, v. g. Uteri ipsius organicæ structuræ, stricturæ spasticæ, tam universalis quam particularis, situs fœtus, ossium circumjacentium & sacri cum coccyge & innominatorum nexus & conformationis, secundinarum adhæsionis loci & modi, gemellorum situs, eorundemque secundinarum numero & sede diversarum, utriusque fœtus vivi, mortui, alterius vivi, alterius demortui, & sic porro, (nam de musculo orbiculari in fundo uteri â Ruyschio observato, lis dubia adhuc est,) accesserit, ipsa res loquitur, omnes enim hæ circumstantiæ negotium partus mire modificant & in praxi variant, & proinde Medicum Chirurgum, (neque enim hæc Medicinæ antiquissima pars adhuc dedecet Medicum,) consiliorum & enchirisium, pro rerum circumstantia, mutandorum admonent, vel etiam sæpius ab omni culpa liberant apud rerum peritos. Operæ itaque pretium esse duxi sequentem ex mea praxi qualicunque communicare observationem.

Primipara, triginta & quod excedit, annorum, paupercula, & laboribus durioribus ad ultimum partus tempus exposita, ob genitalium præternaturalem tumorem phlegmaticum, & præproperum aquarum effluxum, nec non fœtus molem, difficili admodum laborabat partu, quo tandem post plures horas enitebatur puellam d. 26. Jul. 1732.

Cum repurgando fœtui recens nato, ab impuritatibus copiosis, occupatæ essent præsentes mulieres, obstetrix vero, tam ad acquirendas modeste secundinas, quam ob suspicionem alterius secuturi fœtus gemelli puerperæ adhuc adsisteret, hæc vero curam recens nati diligentissime commen-

mendasset adstantibus, en! præter omnem opinionem, antequam ulli medicinæ adplicandæ copia fuit, convulsa moritur. An perterrita nuncio alterius secuturi fœtus, cujus rei exemplum vide apud PECHLINUM *in Observat. Physico-Med. Libr. I. obs. 33. p. m. 80.* nunc non determinabo, id vero compertum habeo, lochia adeo non excessisse, neque conclave hâc adultâ inprimis æstate, intemperie aëris frigida laborasse, ut mortis causa inde deduci potuisset. Par ergo erat, ob signa superstitis in utero fœtus, de cujus vita & morte ambigua erat conjectura, tutiorem inire viam atque sectionem demortuæ matris maturare ocyus.

Qua facta & ipso utero aperto, in hoc alius fœtus sequioris sexus, priori mole vix cedens, integer formatus, reperiebatur, ast demortuus, cuticula jam abscedente, situ supino ita locatus, ut spina dorsi versus uteri orificium depressa deprehenderetur, cavitatem ossis innominati sinistri lateris caput, dextri vero lateris, pedes occupabant. Brachiolum sinistrum ad exitum proclive erat. Singulis fœtuum, singulæ erant secundinæ, ita quidem, ut jam editi in lucem fœtus secundinæ, in sinistro latere uteri, & quidem postica ejusdem parte, fœmellæ vero demortuæ egressuræ in opposito latere dextro, ambæ vero substantiæ uteri musculoso - vasculæ arctius adhuc admotæ repertæ fuerint. Distantia utrarumque secundinarum â se invicem in extremis tanta erat, ut difficile primo intuitu fuerit judicatu, num binis fœtibus communes, an singulis singulæ essent, donec prudenti facta separatione & tunicarum & vasorum ab utero, singulæ separatim poterant eximi cum vasis umbilicalibus. Neque etiam extremitates vasorum, seu apices utriusque inter se cohærebant, multo minus implicatæ & contextæ erant, ita ut commercium ambæ placentæ inter se habuerint plane nullum. De supra memorato musculo Ruyschiano vero in fundo uteri neque â me, ne-

que â Physico nostro, Dno. D. BüCHELMANNO, Consiliario & Archiatro Saxonico, simul officii ratione advocato, quicquam observatum est.

OBSERVATIO LI.

DN. D. JOH. SEBAST. ALBRECHTI.

De

Lumbricis teretibus, tribus diversis ê locis incongruis excretis.

VErmium ê naribus excretorum observationes & collegit & novo exemplo locupletavit *Clariss. Joh.* SALZMANNUS *in Dissert. de Verme naribus excusso*, *Argentor. 1721.* ubi totum negotium docte illustrat. Meminisse juvat, occasione illius, observationis ridiculæ, quæ ante hos decem jam annos in praxi mea notavi. Puella 10. annorum laborabat variolis, detumescente iterum facie, cum somno paulo altiori vires restituerentur, venit ad extremitates narium, hospitii sui pertæsus vermis, lumbricus teres, sine dubio ex ventriculo per œsophagum & inde porro ad nares progressus, atque mox extrorsum porrigit caput, mox iterum retrahit illud. Mater proxime assidens, nimium quantum hoc phænomeno perterrefacta, ocyus cum multa vociferatione & ejulatu ad me venit, firmissime sibi persuadens, vermem illum inquilinum cerebri adhuc fuisse, & non aliter esse posse, qui totum cerebrum consumserit, unde necessario filiolæ moriendum sit. Sed bono animo esse jussi, viam, quam secutus esset, quodque nulla ex cerebro via pateret ad egressum in cranio, quod ad manus erat, demonstravi, domum potius festinare & vermem leni tractu eximere ê naribus jussi: Fecit & mox rediit

diit cum verme 5. digitor. transversorum longitudine, sed nondum ab omni timore sequuturæ mortis libera, quem subsequens demum integra filiolæ valetudo omnem abstulit.

Quoniam de vermibus loqui inchoavimus, merito subjungendas esse ducimus binas alias observationes lumbricorum teretium per abscessus, alterum in umbilico, alterum in inguine sinistro, eliminatorum.

Infans sequioris sexus annorum circiter trium, inquietudine, pavoribus in somno, pruritu narium, abdominis intumescentia, siti nocturna, & eminentia aliqua umbilici, quæ inchoantem Omphalocelen mentiebatur, mirum quantum ad consumtionem carnis infestabatur adeo, ut sceleto similior quam homini videretur. Res tota, ut vulgi mos est, fascino tribuebatur. Ego vero interne per propinata anthelmintica, externe unguento quod Clariss. & Celeberr. BOERHAVIUS *in mat. med. p. m. 231.* commendat obviam ivi tanto cum successu, ut mox plures longiores lumbrici teretes excreti, parentibus omnem suspicionem fascini exemerint atque sustulerint. Interim tumor umbilici prævia inflammatione ad abscessum tendebat, qui unguento adplicato maturante domestico, ex melle & farina secalina, ad rupturam perveniebat. Excreto multo pure, mundificandi fine, quoniam Chirurgum admittere nolebant, suadebam mel rosat. cum Elix. P. P, & mox una cum multo pure duo in conspectum veniebant quasi macerati teretes lumbrici *), illis, qui per alvum excreti erant, quantitate neutiquam cedentes. Quo facto vulnusculum, quam

*) De Verme umbilicali, dem sogenannten Nabel-Wurm, Geitz-Wurm, Feils-Wurm, vid. ETTMüLLERI *Oper. pract. p. m. 630.* WEDELIUS *de Morb. infant. p. 115.* qui tamen â nostro subjecto propter ætatem & alias circumstantias differt multum.

quam facillimam concedebat conſolidationem. Hæc mea obſervatio illuſtrabit non parum obſervationem in *Actis Med. Berolin. Dec. II. Volum. 3. p. 65.* communicatam.

Succedat huic tertia obſervatio: Uxor 45. annorum ſæpius jam conqueſta erat de tumore doloroſo in ſiniſtro inguine, vago, non conſtante. Menſe Novembr. 1728. recrudeſcebat ille cum multo augmento ad magnitudinem ovi gallinacei usque, alvo ſimul obſtructa exiſtente, quæ omnia herniæ inguinalis ſuſpicionem movebant. In uſum itaque vocabantur clyſteres emollientes carminativi, repetitis ſimul ſacculis paregoricis diſcutientibus, calide applicatis. Sed poſt breve levamen, augebatur & tumor & dolor accedentibus inflammatione & febri. Hinc interne temperantia nitroſa, cum lenibus bezoardicis, externe cataplasmata emollientia in uſum vocabantur. Tandem his medicamentis, magno quidem cum dolore ex conſenſu totius abdominis, tumor ad emollitionem non ſolum, ſed etiam ad ſuppurationem, non plane ad finem perducto triduo, pervenit. Facta apertura & applicato emplaſtro ad defendendam illam ab aëris acceſſu, noctu ægrota percipiebat emollitum & remotum ab effluxu materiæ purulentæ emplaſtrum, doloribus fatigata vix ſomno ſe liberare poteſt, manu tamen ſomnolenta tangit vulnus, ubi ſtatim ex eo ſentit portiunculam propendentem. Perterrita hoc phœnomeno, inteſtini eſſe particulam ſuſpicata, omnis obliviſcitur ſomni, ad latus ſecure dormientem excitat maritum, ut lucem accendat, impatiens interim & dubia mortis & vitæ. Admota candela digitis trahit propendentem ex vulnere partem maritus, obſervatque vermem eſſe, unde firmato animo tractum perſequitur, & acquirit vermem 6. digitorum longitudine, lumbrico tereti quidem ſimilem, ſed craſſiorem. Vulnus conſolidationem admittebat facile, & miſera ab omni dolore & herniæ metu adhuc

huc libera vivit plus quam sexagenaria. Id saltem monendum adhuc videtur, etiam ex ambobus casibus apparere, quam fallacia sint signa morborum sensus ipsos incurrentia, ob causas sæpe præter omnem spem latentes. Quæ viæ fuerint vermibus ad hæc loca plane incongrua, libera cuilibet philosophandi potestas esto, mihi vero hæc maxime probabilis videtur esse sententia, perforatis intestinis morsicatione, animal tentasse ulteriorem exitum, in partibus vero his emortuum, causam extitisse tumoris, inflammationis, suppurationis, uno nomine, abscessus.

OBSERVATIO LII.

DN. D. JOH. SEBAST. ALBRECHTI.

Hepatis nimia moles in puello, variorum morborum causa.

SIngulis corporis humani visceribus depuratoriis sanguinis, sua esse officia, & ad assequenda necessarias determinatas vires, justamque molem, â Creatore sapientissimo iisdem datas, ut hinc in utroque ab iis legitime exercendis impediantur, sive magnitudo debita illorum deficiat, sive excedat, nemo facile inficias ibit, qui vero magnitudinem auctam visceris nihil quicquam negotio depuratorio derogare, magis vero illud adjuvari inde putarint, illi in mentem revocent quæso, sanguinis crasin neutiquam consistere posse demto æquilibrio respectivo partium illam constituentium. Hepar ex omnium physiologorum recentioris ævi consensu officium habet separandæ bilis ex reliqua massa sanguinea, quæ quidem ad alia officia obeunda applicatur sapientissime. Quo itaque majus est hepar, tanto copiosior fit bilis in eodem viscere secretio. Cum vero bi-

lis neutiquam humor ſanguinis ſit plane excrementitius, ſed ad multos uſus quoad mixtionem illius proficuus, uti ex BIANCHI *hiſtoria Hepatis*, *Frider.* HOFFMANNI *Medicinæ rationalis ſyſtemat. Tom. I.* ut alios taceam, pluribus patet, ſequitur utique per nimis copioſam ſeparationem bilis, ſanguinem depauperari particulis reſinoſo ſulphureis balſamicis, ipſumque corpus hinc fieri cachecticum. Olim jam HIPPOCRATI obſervatum eſt *Libr. IV. de morb.* Edit. Linden. p. 125. *Si derepente multa bilis fiat, homo hepar dolet, & de ventre copioſior fit ;* & paulo ante: *Copioſior etiam bilis fit in hepate, & ſtatim dolet hepar, quod pueri cor vocant.* Ex bilis etiam copia vomitum & diarrhoeam fieri docet *Joh. Maur.* HOFFNANNUS, *in Diſquiſit. corpor. human. anatom. patholog. p. 64.* Sic & hepatis inſolitam magnitudinem in puella ſeptem annorum extremæ maciei fuiſſe cauſam, obſervavit doctiſſimus Dn. Dr. *And. Ottom.* GOELICKE *dec. I. Obſervat. Phyſico - Anatom. Chirurgicarum.* Rem ipſam ſequenti ulterius illuſtrabimus exemplo.

Puellus temperamenti phlegmatici, & hinc habitus corporis etiam laxioris, ad finem ætatis ſuæ anni primi vergens, cum ubera matris, quæ ex morte parentis multum afflicta erat, ipſi ante menſem detracta eſſent, ſub fine Auguſti anno 1726. corripitur vomitu & diarrhoea bilioſa pituitoſa, quæ ſymptomata pro dentitionis difficilioris effectibus reputabantur â parentibus; nimis autem diu continuantibus, diarrhoea inprimis, conſequente corporis imbecillitate, viriumque jactura, tandem Medici conſilium & auxilium implorabant. Lienteria magis quam diarrhoea præſens jam erat, omnia enim ore adſumta cruda & incocta dimittebantur alvo, ſub primum Medici adventum. Propinabantur igitur quantum fieri poterat, balſamica amaricantia, tonica, roborantia, ſtomachica, abſorbentia, aſt truſtraneo cum effectu, ut ideo neceſſe fuerit tranſire

ſire ad mitiora adſtringentia cum correctis opiatis mixta, quæ tandem Lienteriæ fores paulum clauſerunt, reliquis tamen phlogoſibus, nocturnis magis quam diurnis, quæ ipſæ etiam alvi fluxum ante jam comitatæ erant. Aſt viribus tot dejectionibus ἄνω καὶ κάτω amiſſis, atrophia oriebarur, quam ſequebatur tumor extremorum, pedum æque ac manuum, flatulentus potius, quam œdematoſus. Alvus autem modo laxa nimis, modo ſtricta diutius erat, flatibus doloroſis ſive colica nephritica multum affligentibus tenellum corpus. Accedebat per intervalla ſuppreſſio & difficultas urinæ, quæ calculi metum tanto magis movebant, quanto plura jam â teneris paſſus erat pater infantis calculi ſymptomata, cum actuali eorundem excretione. Neque hic finis malorum erat, cum & in ore per totum morbi decurſum Aphthæ, maximum ut infanti tenello dolorem, ſic parentibus mœrorem, Chirurgo vero laborem crearent. Nam licet uno die ſpes optima adfulgeret, ſtatim tamen altero â dyſcraſia ſcorbutica humorum, horumque affluxu adeo in deterius ruebant ulcuſcula, ut uvulæ & oſſium palati jactura metueretur â Chirurgo. Proinde etiam fines excretoriorum alvi & urinæ, anus nempe atque penis, ab acrimonia humorum effluentium excoriata conſpiciebantur, ut mirum hinc non ſit, tot doloribus undique affligentibus per intervalla motus epileptico-convulſivos inductos eſſe miſello. Tandem medicamentis antiſcorbuticis, viſcedinem lymphæ corrigentibus, diaphoreticis, antimonialibus, ipſo auro quoque fulminante, ex communi plurium Medicorum conſenſu & conſilio, non neglectis, quæ ſpecialiora requirebant ſymptomata urgentia, flatus & calculus, carminativis & diureticis lenioribus, poſt actam per tres integros menſes tragœdiam malorum, placide obdormiit puellus per vitam brevem hoc in mundo miſellus.

Omnibus frustraneo conatu adhibitis medicamentis, libertas concedebatur, cultro anatomico inquirere in tam immedicabilis morbi causam abstrusam. Ubi, quod facile ex modo dictis conjici potest, 1) vidimus corpusculum adeo emaciatum, ut sceleton cuticula tectum credidisses. Superstitibus tamen 2) in manibus ad flexuram metacarpi, in pedibus ad dimidium surarum usque, inflationibus lucidis flatulentis, digito premente remoto mox resilientibus. 3) Abdomen turgebat mediocriter. 4) Totum corpusculum exsangue deprehendebatur. Apertura facta thoracis 5) corculum flaccidum vix unc. dim. sanguinis intra utrasque ventriculorum & auricularum cavitates continebat, ubi columellæ & lacertulæ jucundissimum & admirandum summi artificii Creatoris sapientissimi oculis offerebant τεκμήριον. Pulmones 6) in postica convexa parte utriusque lobi nigricabant, in reliqua substantia pallide rubentes. In abdomine, ad quod sectione ventum erat, hepar 7) pro ætatis ratione, nimia & insolita magnitudine laborabat pulmonum instar pallide rubens, alias sanissimum, in quo hærebat vesiculla fellea magna â copia bilis distensa, nam pondus unc. j. cum dim. excedebat, consistentia fluida, nulla ullibi obstructione alicujus ductus reperta. In dissectorum renum dextro 8) & quidem in pelvi, calculus durioris substantiæ, magnitudine pisi mediocris reperiebatur, sine tamen urinæ colluvie; ureterum enim viæ patulæ erant, & neque in his, neque in vesica ipsa calculorum plura vestigia & rudimenta observari poterant. Ipsa denique 9) intestina inflata & adeo distenta erant, ut valde tenuia & fere pellucida viderentur, & ubi felleæ vesicæ adjacebant, colore obscure flavescente cum virore tincta. In mesenterio 10) tandem, postquam omentum, omni pinguedine destitutum & ex parte lacerum, remotum esset, vasa sanguifera æque ac meseraica lactea jucundissimum oculis præbebant spectaculum

culum, sed nusquam ullum obstructionis, licet diligentissime & sollicite in id inquisiverim, poterat reperiri vestigium.

OBSERVATIO LIII.

DN. D. IOH. SEBAST. ALBRECHTI.

Fraus detecta Empirici impostoris, qui oculorum morbis mederi spondebat.

VIr quidam in rationibus tractandis multum occupatus, ætatis triginta aliquot annorum, hypochondriacis pathematibus, & inter illa, capitis inprimis dolotibus, â vita sedentaria meditationibusque, multum obnoxius, ex iisdem fontibus hausit quoque visus aliquam debilitatem. Namque & motum tremulum sentit palpebrarum & oculorum ipsorum, & floccos hinc inde nigros oculis quasi obversantes, qui visus sensum multum turbabant. Relicto me, suo medico, qui omnia ex hypochondriis deducenda esse, pluribus demonstravi, se convertit ad Empiricum circulatorem, qui, largus in promissis, omne oculorum vitium brevi emendatum, immo plane sublatum iri promittit. Eum in finem in tribus peculiaribus vitris, tres suppeditat ex suo penu liquores ægroto. Primum obscure rubrum, eum in finem, ut nuchæ illum bene illiniret, subsequente frictione; alterum magis dilute rubrum, ut inde madefierent cilia, supercilia & palpebræ; tertium denique rubellum, instillandum guttatim oculis ipsis. His subjunxit pillulas, quas nullius sensibilis operationis in abdomine, sive evacuationis fore, oculos tamen cum toto capite mirum in modum roboratum iri, prout

 moris

moris est hujus farinæ hominibus, multis laudibus & multa adseveratione prædicavit. His medicamentis periculum facit per plures septimanas, sine ullo effectu; spe itaque frustratus æger redit ad me, & sua medicamenta mihi examinanda offert. Liquores statim cognovi nihil aliud esse quam aquam simplicem rad. alkannæ tribus diversis gradibus tinctam, & forte granis aliquot vitrioli albi remixtam, nam ultimus subadstringens erat gustu. Pilulæ magnitudine erant gr. j. nigræ, nullius odoris, nullius saporis & difficilioris examinis. Venit tamen in mentem aliquot illarum in aqua, si fieri posset, solvere, quod factum & repertum est, pilulas illas nihil aliud fuisse, quam micam panis recentis secalini cum pulvere carbonum remixti, nam mucilago ex pane fundum petebat, levissimus vero carbonum pulvis in superficie natabat. Hæc demonstrata ægro, non sanitatis sed illusionis esse medicamenta, extorquebant cum dolore commissi erroris assensum. Rem itaque Magistratui nunciavit, quo facto confestim abire jussus est fraudulentus nebulo. Ah! utinam tandem aliquando saperent, qui rerum publicarum gubernacula tenent, neque ullos ad curandum admitterent, nisi de quorum doctrina atque fide constaret; sed quando rebus publicis & Medicis conscientiosis afflictis dabitur cum medela solatium? Non me quidem latet, in *Miscellan. N. C. Dec. I. Ann. VI. p. 203.* D. SCHULZII esse Observationem, qui stratagematis loco, pilulas cum syrupo quodam ex panis mica formavit, & hecticæ fœminæ propinavit loco pilul. â circumforaneo eidem datarum; sed hæc pia erat fraus: Et duo cum faciunt idem, non est idem. An vero, cum ejusmodi stratagemata seu fallaciæ, nostra vernacula lingua, bonum quidem in finem publice indicantur, eadem animi integritate legantur, sane est quod dubitemus. Id quidem certum est, nunquam in praxeos nostræ dedecus, Academiarum detrimentum,

mentum, Medicorum dehonestamentum & tristia fata, cum licentia quidem superiorum, impudentius actum esse â temerariis homuncionibus, quam hoc nostro ævo. Unde non sine ratione Celeberr. & doctissimus BAGLIVIUS olim jam Medicos ipsos accusavit, â quibus depravata consuetudo libros transferendi est inducta, (adde etiam in vernacula scribendi) dedere enim ansam impostoribus, nostris gladiis nos confodiendi. Sacra sacris hominibus esse communicanda, & reipublicæ medicæ & litterariæ lingua Romana esto. Neque etiam huc trahendus est mos apud Gallos inveteratus: notum enim est, legibus satis in Gallia cautum esse, ne quivis opilio exercendæ medicinæ libertatem sibi sumat, quod secus fit apud nos, ubi cuivis licet agere, quicquid placet, modo sit temerarius & pertinax. Conferatur *Francisci Balthas.* von Lindern. M. Dr. & Prof. Argentoratensis Epistola, *de statu hodierno Medicorum deplorando*, ad Dn. *Ernest. Christoph. Honold*, sub Præsidio *Cl. Joh. Salzmanni*, *de verme naribus excusso*, disputantem, Argentorati 1721.

OBSERVATIO LIV.

DN. D. JOH. SEBAST. ALBRECHTI.

Ridiculum Sodæ remedium.

DE Heracantha Tabernæmont. & Rivini, seu Carlina scandente refert celeberrimus quondam, & noster in cineribus pie colendus præceptor Ienensiumque decus, *Georg. Wolffgang* WEDELIUS, in elegantissimis & vere amœnis *amœnitatibus medicis* (*) quod ad ardorem ventriculi, seu sodam curandam in aulis quibusdam solenne sit,

(*) Lib. I. Sect. III. cap. IIX. p. 175.

ſit, uti Carlina hac, poſt florem perfectum in ſemen fatiſcente, quo ſolo obtutu curentur. Et CAMERARIUS in *Epitom. Matthioli Germanica p. 220.* jam ita habet de conſimili planta, nempe Carlina vulgari: Etliche hängen den dornichten Blumen-Kopff von der Eberwurtzel über den Tisch, vermeynen so man ihn ansiehet, helffe er wider das Klutzen und Sood des Magens. Es gehöret aber ein starcker Glaube darzu. (**) Interim WEDELIO notus fuit Nobilis, qui cum ſucceſſu ſolo adſpectu plantæ ſuperius memoratæ curatus eſt, quoties vexatus ab iſto malo, antidoto hoc uſus eſt. Nobis notus eſt quidam oeconomiæ nobilis alicujus curandæ præpoſitus, qui flagrum axungia bene inunctum (einen mit Wagen-Schmiere wohl geschmierten Peitschen-Riemen) ſemper domi ſuſpenſum habet in proprio ſuo loco, & quoties diris ſodæ doloribus exercetur, qui ſæpius affligunt, toties recordatur ejusdem flagri ſuo loco ſuſpenſi, & confidentiſſime aſſerit, ſemper inde ceſſare ſodæ dolores, licet plura milliaria domo abſit. Hic diceret quis cum CAMERARIO: Da gehöret ein starcker Glaube darzu. His jam notatis, eandem fere obſervationem invenio præter opinionem in *Ephemerid. N. C. Dec. II. Ann. VIII. Obſ. CLXXIX. p. 459.* ea tamen intercedit differentia, ut loco ſcuticæ, ſeu flagri, laqueus ita inunctus ſuſpenſus ſervetur uſui mnemonevtico.

(Coburgo Erfordiam transmiſſa d. 26. Septembr. 1733.)

OBSER-

(**) vid. RUPPII *Flor. Jenenſ. edit. 2dæ p. 172.*

OBSERVATIO LV.

DN. D. BENEDICTI GULLMANNI.

De

Ulcere gangrænoſo, Phagædena dicto, cum adjuncto Diario per-rari hujus affectus.

NOn ſolum recentiores rerum Medicarum ſcriptores ſummam obſervationum utilitatem deprehenderunt, & hucusque commendant; verum etiam longe ante nos antiqui, imo antiſtites noſtri illarum præſtantiam multis collaudarunt præconiis, ſerioque poſteritati inculcarunt. Quoniam enim, prudenter notante GALENO, artis magnitudo vitam hominis excedit, & juxta HIPPOCRATEM, ars longa, vita brevis eſt, adeo ut ab homine, quamvis diligenti & laborioſo, non poſſit & inchoari, & ad finem usque perduci; propterea operæ pretium eſt, quæ quisque cognovit, ea mandare litteris, & tradere poſteritati commentationes, quæ rerum docendarum naturam omnem diligenter, breviter & ſermone dilucido interpretentur. Idcirco videmus HIPPOCRATEM *in libris de popularibus*, omnia, quæ medendo circa ægros obſervarat, quam accurate & diligenter annotaſſe, & veluti ideam quandam poſteris ad Medicinam recte & cum fructu ægrorum faciendam & amplificandam reliquiſſe. HIPPOCRATEM ſequutus eſt jam citatus GALENUS, qui non ſolum libros prædictos HIPPOCRATIS commentariis doctiſſimis illuſtravit & auxit, verum etiam multas obſervationes proprias & raras hinc inde libris ſuis inſeruit. Vid. plura apud HILDANUM *in Præfat. Operum ſuorum*, qui porro ulterius graphice ſic con-

continuat: *Ex Observationibus Medicis admiranda Dei opera ipsiusque potentia ac misericordia immensa erga genus humanum omnibus elucescit, quando videlicet cerebri, pulmonum, ventriculi, hepatis, intestinorum, vesicæ, aliorumque viscerum vulnera ab antiquis Medicis pro insanabilibus prolata curari videmus; Præterea ex lectione Observationum, eorum omnium, quæ à doctis ingeniosissimisque tum antiquis, tum modernis & per totum orbem christianum celebratis Medicis inventa explorataque fuerunt, frustra participes fiamus, hinc multa præclara ac præstantissima remedia ab aliis viris doctis magno cum sumtu inventa, nobis innotescunt. Quid plura? observationes medicæ sunt veluti speculum splendidissimum, in quo tota ars Medica nostris oculis repræsentatur, suntque fax seu lumen, quæ ad abstrusissimas corporis nostri partes videndas & perlustrandas Medicum quasi manu ducunt &c. &c.*

Hæc omnia esse verissima, & Medicinam per hunc modum ad hodiernum fastigium atque splendorem pervenisse, nemo facile inficias ibit. Quid porro aliud intendunt Illustrissimæ hodiernæ Societates præclarissimorum virorum in Germania, Italia, Anglia & Gallia, quam continuare & premere antiquorum vestigia? annon etiam simili scopo insudat Illustris nostra Academia? cujus membra sibi gratulantur, si nonnullas conferunt symbolas, cum nunquam debeant esse otiosa. Hac de causa ego quoque nullus dubitavi, sequentem casum notatu dignum communicare.

Vir 66. annorum, temperamenti phlegmatico-cholerici, habitus spongiosi, ingenii vivacis & acuti, officiis publicis & privatis conspicuus & perstrenuus, hæmorrhagiis narium in juventute obnoxius, in consistente ætate tamen nunquam hæmorrhoidarius, satis diætetice vivebat; præservationis vero & sanguinem depurationis ergo, aquas Selteranas, primis viis antea præparatis, vernali tempore bibere solebat, iisque absolutis, balneo ex aqua dulci parato &

to & moderate calido insidebat, hoc cum emolumento, ut jam sexagenario major, muneribus negotiisque suis gravissimis sufficiens esset, imo in suscipiendis itineribus vigore tam animi quam corporis quadragenarium æquaret; motum corporis, illiusque exercitationem ad insudationem usque amabat, linteamina vero madefacta non permutabat, & cum propter nimiam insolationem sanguinisque exagitationem narium stillicidium quandoque superveniret, hoc cum charta bibula, iisdem intrusa, cohibebat, Medico autem, qui venæsectionem revulsoriam sæpius suasit, minime obtemperabat falsa ex hypothesi, sanguinem, utpote vitæ balsamum, senibus esse conservandum; & quamvis exin nullum periculosum symptoma eidem evenerit, successu tamen temporis, & in ætate provectiori constitutus Dn. Patiens, ubi natura per se deficere solet, sanguinisque massa partibus suis gelatinosis orbatur, ad dyscrasiam humorum inclinare videbatur, insimul vero ad annum usque sexagesimum sextum sine ullo incommodo athletice vivebat. Anno 1732. circa finem mensis Julii, aquas Selteranas, ipsi consuetas & adæquatas, iterum usurpavit, & ter quaterve moderate balneo usus optime exin valuit.

Die vero 16. Augusti, cum nimium sese fatigaret & incalesceret, aërique liberiori in horto circa vesperam exponeret, conquerebatur altero statim die de pruritu in dorso, quem quidem ab initio parvi æstimavit, donec ingravescere, simulque molestum dolorem ibidem inferre inciperet, unde Chirurgi opem implorabat, qui infra scapulam sinistram tumorem deprehendit, anthraci similem, quem emollientibus, resolventibus, maturantibus, balsamicis atque defensivis tractavit, sicque tandem profligavit. Paucis vero elapsis diebus detexit alium, multo majorem in ipsa scapula sinistra, trium circiter pollicum in diametro, durum, valde ardentem, admodumque molestum, quem

cum eadem methodo debellare vellet peritiſſimus alias ſuæ artis, mox tamen in principio plane alius genii eſſe facile deprehendebat, partim ex atrocitate dolorum, die noctuque prædictum Dominum excruciantium, partim ex repentino incremento, ſiquidem de hora in horam ulterius progrediebatur, & accedente inflammatione magis augebatur, ut totam ſcapulam tandem occuparet. Hac rerum in anguſtia Medicus accerſebatur, qui affectum ſolertiſſime explorans, illum gravem, periculi plenum, gangrænoſum, ancipitisque eventus denuntiavit, tam ob morbi magnitudinem, quam ægrotantis provectiorem ætatem; ſpem tamen non penitus abjecit, propter ejusdem ſingularem mentis conſtantiam atque fiduciam in Deum medicamentis benedicturum, præſcripſit itaque medicamenta temperantia, ſanguinem purificantia, reſolventia, gelatinoſa, mitiora ſedativa & analeptica, pro potu ordinario decoctum citratum, cum injuncta diæta ſtrictiori. His vero omnibus parum proficientibus, viribusque ſenſim labaſcentibus ex continuis vigiliis, affectuque ſemper in pejus vergente, conſultum duxit, Conſilium Medicum atque Chirurgicum hoc in diro caſu ſibi expetere, tam ut conſcientiæ quam famæ, ut & ſaluti Dn. Patientis optime proſpiceret. Honeſto huic deſiderio, ut ſatisfieret, convocabatur

D. 21. Auguſti celeberrimus & Excell. quidam Medicus, unacum Chirurgo, per multos annos expertiſſimo, qui cum ordinariis affectum probe & exacte explorarunt, illum vero etiam periculoſiſſimum gangrænoſum, per totam vitam ſibi nunquam obvium, proprio nomine *Phagedæna* dictum, dijudicarunt, & concluſerunt, medicamentis præſcriptis inſiſtendum eſſe, cum decocto vero lignorum, quod mane ſemper ſorbillare ſolebat, inpoſterum ſumendas eſſe xxx. gtt. ſequentis Mixturæ: Rec. tinct. antimonii tartariſat. drachm. ij. eſſ. alexipharm. Stahl. drachm.

 j. M.

j. M. Externe, ſcarificationes continuare, maturationem promovere, balſamicis, in primis camphoratis, inhærere, & partibus ſanis per defenſiva optime proſpicere juſſimus, ſicque huic methodo per tres dies inſtitimus.

D. 24. Auguſti aliquatenus dormivit patiens, ulcus vero nequaquam melius, ſed deterius & magis dolorificum evaſit, puris parum profluxit, eaque propter ſcarificationes reiterare juſſimus, interne vero magis temperantia & nitroſa ordinavimus.

D. 25. Auguſti nihil fere quievit, & malum ulterius progreſſum erat, Ob alvum adſtrictam ſequens præſcribebatur pulvis: Rec. magneſ. alb. drachm. j. nitri depurat. ſcrup. dim. cum aqua Selterana ſumendus.

D. 26. Auguſti ulcus magis adhuc auctum erat totamque ſcapulam arrodebat, patiens ob dolores dormire non potuit, urina tamen nondum tincta, neque pulſus febrilis erat; ex magneſia quater alvum depoſuit; ordinabatur ergo ſequens emplaſtrum: Rec. empl. diachyl. c. gumm. de ſperm. cet. de cicut. ana unc. j. ſolv. leni igne, adde Mercurii viv. probe purgat. & cum therebinth. optime fibrat. drachm. j. Malaxentur invicem cum oleo lil. alb. q. ſ. Continuare proinde juſſimus cum pulveribus, qui conſtabant ex conch. citrat. antihect. Pot. antimonio diaphor. cinnabar. nat. præpar. nitro depur. & M. pilul. de cynogloſſ. noctu vero aſſumendam duximus emulſionem papaverinam analepticam.

D. 27. Auguſti. Quoniam ex his medicamentis dolores fuere parumper mitigati, ſomnumque patiens capere potuit, hinc pulveres priores ſequentem in modum immutavimus: Rec. ocul. 69. præpar. gr. xv. nitri depur. cinnabaris nat. præpar. ana gr. v. ſacch. perlat. ſcrup. dim. M. F. pulvis, D. ejusmodi doſes ſex, harumque ſingulis diebus binæ aſſumantur.

D. 28. Augusti dormivit quidem, ulcus vero latius serpsit.

D. 29. Augusti. Pervigilem transegit noctem, ob novum dolorum incrementum, cumque alvus per tres dies fuerit constipata, infusum ordinavimus ex passulis, tamarindis & foliis sennæ. Malum interim versus humerum & spinam dorsi progreditur, unde scarificationes hodie reiteravimus, inprimis quoniam materia crassescere, & pus formari incipiebat.

D. 30. Augusti. Ex infuso duas dejectiones habuit, appetitus autem defecit, ut nihil, præter juscula gelatinosa, assumeret patiens. In deligatione invenimus totam scapulæ regionem gangrænosam & circumcirca sphacelatam, quare iterum scarificabant Chirurgi, partesque sphacelosas forfice separabant. Ob virium languorem præscripsimus sequentem Mixturam: Rec. aquæ chærefol. unc. iij. cinnamom. bugloslat. unc. j. & dim. margarit. orient. præpar. scrup. ij. lap. bezoard. occid. scrup. j. antimonii diaphor. drachm. dim. nitri depur. cinnabar. nat. præpar. ana gr. xv. Conf. alkerm. incompl. drachm. j. & dim. M. D. cochleatim singulis 4. horis.

D. 31. Augusti. Ob dolorum magnitudinem noctem misere duxit, ultra spinam dorsi se extendit ulcus; pro rerum ergo necessitate variavimus medicamenta, & emplastrum seposuimus, ordinantes illius loco linteamina calida, spiritu matricali imbuta, desuper vero alia, cum aqua calc. viv. separationem ut procuraremus partis sanæ â sphacelata, circulum parvum cum butyro antimonii ducere jussimus.

D. 1. Septembr. dormivit quidem, sed malum in deterius abit, humerum, spinam dorsi & axillam aggreditur, infra etiam versus lumbos tendit; incisiones quidem faciunt Chirurgi sat largas, nihilosecius circulum, butyro antimonii factum transcendit gangræna, nec ulla adest spes subsecuturæ

cuturæ separationis, immiscere jussimus digestivo parum unguenti Ægyptiaci simplicis & lapidis medicamentosi, spiritumque matricalem acuimus cum spiritu vini theriacali camphorato.

D. 2. Septembr. Post mediam noctem per horam unam & alteram quievit, diros vero accusat dolores, & valde debilis est patiens; ulcus moram nectit nullam, potius se dilatat, tam supra versus humerum, collum, claviculas, quam infra versus coxam & ad latera dorsi, omnesque musculos illarum partium rodit. Hoc in deplorabili statu cum constitutus esset Dn. Patiens, accidebat, ut ab Illustr. & Reverendissima quadam persona, Chirurgus extraneus, magnæ famæ & experientiæ (civitatem nostram alia ex causa transiens) ipsi magno ex favore commendaretur pro consilio; cui honori cum resistere non vellet, convocabatur & ille unacum adhuc uno celeberrimo Medico ex nostro Collegio. Denuo iterum affectum sollicite perpendimus, & secundum omnes circumstantias exploravimus; ast extraneus Dn. Chirurgus eum itidem declaravit pro deplorato, & judicavit, scarificationes, ob vires nimium deficientes, intermittendas, atque balsamicis & sedativis insistendum, Dominumque patientem reficiendum esse, quem in finem fuerunt ordinata sequentia: Rec. ess. aloës drachm. ij. succini drachm. j. liquam. myrrh. scrup. ij. M. D. ad vitr. cum linteis carptis applicanda. Pro sedativo vero empl. de hyoscyamo ex sem. expresso paratum commendabatur, desuper simul imponendo linteamina duplicata, spiritu matricali & spiritu vini camphorato imbuta. Interne sequentem pulverem singulis 4. horis cuspidatim sumendum in aqua analeptica, præscripsimus: Rec. ocul. 69. citrat. drachm. ij. bezoard. miner. spec. de hyacinth. nitri depur. cinnab. nat. præpar. ana drachm. dim. M. pilul. de cynogl. gr. v. M. Rec. aquæ flor. til. ceras.

raſ. nig. ana unc. ij. cinnam. bugloſſat. unc. j. Conf. alker-compl. drachm. j. & dim. M. prognoſis interim extranei Dn. Chirurgi valde rigida nobis videbatur, cum nulla febris adhuc ſubeſſet, neque alia ſymptomata, graviora; intermiſimus tamen hodie ſcarificationes.

D. 3. Septembr. Per vices dormivit hac nocte, dolores non ſunt adeo atroces, ulcus vero ſerpit verſus humerum & infra verſus lumbos; verſus ſpinam dorſi remoram facit aliquam, pulſus non eſt febrilis, urina parum tincta, ob alvi ſiccitatem, infuſum fol. ſennæ cum paſſulis ordinavimus, mane vero & veſperi tincturam alcalinam jam præſcriptam, interpoſito pulvere.

D. 4. Septembr. ob vehementiam dolorum pervigilem noctem habuit, exoriente vero die, per tres horas placide dormivit, indeque non parum refectus fuit. In deligatione vidimus vlcus progreſſum verſus ſpinam dorſi, mundavimus illud â ſanioſa materia, ſcarificationes reaſſumſimus, ſæpiusque applicare juſſimus balſamica & ſpirituoſa cum camphora magis acuta; pulſum invenimus moderatum, urinam non tinctam. Circa veſperam valde conqueritur de doloribus, quare emulſionem papaverinam cordialem aſſumere ſuaſimus.

D. 5. Septembr. Exin habuit noctem tranquilliorem, ulcus vero verſus vertebras ſe expandit, pulſus manet naturalis, urina nonnihil eſt lixivioſa, hoc vero non obſtante permiſimus illi vinum cum aqua mixtum confortationis ergo. Scarificationes moderate continuare juſſimus, emplaſtrum vero de hyoſciamo ſepoſuimus, ſubſtituentes hujus loco ſacculos ſequentes, vino incoquendos, cum epithemate conſueto ſpirituoſo: Rec. rad. angel. vincetox. Imperat. gentian. ana unc. ij. bacc. junip. unc. j. & dim. herb. abſynth. marrub. alb. ſcord. C. B. ana M. iij. aloes, myrrh. ana unc. dim. M. conc. & cont. D. ad chart. pro duobus ſacculis.

D. 6.

D. 6. Septembr. Quievit quidem, sed inflammatio versus dextram scapulam se extendit, imo supra spinam dorsi versus dextrum latus progreditur cum pustulis gangrænosis; incisiones ergo iterum fecerunt Chirurgi.

D. 7. Septembris parum dormivit, pulsus hodie aliquatenus est febrilis, urina lixiviosa, de nocte substitit ulcus. Decoctum ex lignis diligentius sorbillare suasimus, ptisanamque ex eodem parare pro potu ordinario, ac insuper continuare cum pulueribus & tinctura alcalina.

D. 8. Septembr. Per tres horas placide dormitavit, in sinistra parte scapulæ, in musculo trapezio deteximus fundum carnis recentis, & aliqualem separationem, pus melius fluit, non amplius cadaverosum odorem spirans, ulcus autem versus dextrum latus se extendit. Scarificare non potuerunt Chirurgi, ob summam sensibilitatem Dn. Patientis, magnamque ejus debilitatem. Sequentem igitur pulverem pro tragea analeptica prscripsimus: Rec. spec. diacret. M. drachm. j. pulv. analept. f. trag. arom. ana unc. dim.

D. 9. Septembr. Per vices somno indulgere potuit, remoram facit aliquam ulcus, & pus laudabile format coctumque, spinam vero versus est valde suspectum; roborandi fine præscripsimus sequens julapium: Rec. aquæ flor. til. unc. ij. cerasor. nig. cinnamom. cydon. ana unc. j. syr. perlat. drachm. ij. D. pro lubitu. Sacculos Dno Patienti molestos, intermisimus.

D. 10. Septembris dormivit, vivacior est & minus debilis, pulsus vero magis febrilis, & urina plus tincta. Ulcus nectit moram, nec plures format pustulas, circulum cum atramento ductum, non transcendit; hinc partes vicinas probe defendere jussimus cum linteo, spiritu balsamico consueto bene imbuto.

D. 11. Septembris placide se quievisse refert, etiamsi

nullum somnum per totam noctem habuerit, pulsus & urina sunt meliores, vires majores, pedes autem fiunt oedematosi, & quoniam alvus per tres dies iterum est clausa, infusum fol. sennæ assumit, ad tonum vero fibrarum roborandum præscripsimus sequentem essentiam, ad gtt. XL. Rec. elix. aperit. Cl. scrup. IV, essent. martis cydon. trifol. fibr. ana drachm. j. M. D. ad vitr. circa vesperam aliquot horas dormivit.

D. 12. Septembr. Obdormire non valuit usque ad mediam noctem, postea vero placidissimo somno recreatus fuit. Mane deprehendimus ulcus supra humerum & scapulam sinistram sese extendisse cum multis pustulis gangrænosis. Post meridiem illum offendimus vivacem & hilarem; circulum cum atramento de novo duximus, in latere sinistro dorsi lumbos versus, & quidem in musculo sacro lumbari, ubi pus laudabile & coctum quasi in saccum collectum erat nihilque ejus prodibat, unde fasciam compressivam ibidem applicare jussimus, quoniam incisioni non fuit locus, ob Dn. Patientis nimiam sensibilitatem, viriumque debilitatem. Vesperi vidimus malum in dextro latere ultra spinam dorsi progressum esse, multasque novas pustulas effloruisse.

D. 13. Septembr. Per vices dormivit, ulcus vero non quievit, sed sæviit versus latus dextrum ultra spinam dorsi ejusque musculos itidem corrumpere incepit, nullo tamen adeo eximio status febrilis indicio, nec in pulsu, nec in urina apparente. Post meridiem omnia pejora deprehendimus, urinam scilicet plus tinctam, pulsum magis febrilem, ulcerisque ulteriorem progressum, unde scarificationes repetere jussimus Chirurgos in dextra parte humeri & dorsi, simulque saccum supra memoratum incidendo aperire, ut pus melius effluere posset. Affectus certe est terribilis, & patiens commiseratione dignus, per totum enim

enim dorsum ulcus sese expandit omnesque ejus musculosas partes fere absumsit. Sacculos, die quinto Septembr. præscriptos, vino non incoquendos, sed siccos imponere jussimus, cæterum nihil immutavimus in cura.

D. 14. Septembr. Præter omnium spem per aliquot horas placide dormivit, dolores fuerunt paulo mitiores, pulsum deprehendimus non adeo febrilem, urinam fere naturalem, vires majores, & notabilem in ægrotante mentis alacritatem. Scarificationes instituebant Chirurgi in dextro latere dorsi, & quoniam sacculos siccos perferre non poterat, ut iterum vino incoquerentur & calide applicarentur, ac insuper tota ulceris circumferentia cum unguento albo camphorato defenderetur, ordinavimus.

D. 15. Septembris. Bene transegit hanc noctem, de doloribus non adeo multum conqueritur, pulsus tamen cum urina iterum febrilis apparet, partem sinistram dorsi sic satis bonam invenimus, & separavimus partes sphacelosas â sanis; sed in dextra, supra humerum serpit gangræna; oras igitur vulneris circumcirca bono digestivo defendere injunximus, & in saccum illum, ubi incisio facta erat, injiciebatur balsamica nostra essentia superimpositis & sæpius repetitis consuetis sacculis vinosis.

D. 16. Septembr. Tranquille dormivit, pulsus & urina nihil fere â naturali statu recedunt, pus magis coctum, non adeo fœtidum in parte scarificata scapulæ sinistræ copiosius profluit, nec ulterius processisse videtur ulcus. Post meridiem vero deprehendimus illud versus humerum & nucham dextri lateris extendi; in dorsi vero inferiori parte, circa coxam, major rubedo apparet.

D. 17. Septembr, Placide duxit hanc noctem Dn. Patiens, pulsus cum urina respondet, quæ non est febrilis, nec adeo tincta, ulcus vero in medio dorsi & ad latus dextrum se magis expandit, & multas pustulas protrudit. Se-

poſuimus emplaſtrum camphoratum, ſpirituoſa vero cum balſamicis majori in quantitate applicavimus, cum ſacculo ex herbis. Saccum illum â pure ſtagnante efformatum, ſtylo exploravimus, novamque inciſionem cum forfice fecimus, ad exitum materiæ ſanioſæ facilitandum, & ob alvum non reſpondentem per aliquot dies præſcripſimus ſequentem pulverem: Rec. magneſ. alb. præpar. ſcrup. ij. cinnabar. nat. præpar. gr. v. M. Verſus veſperam valde puſillanimis erat Dn. Patiens, & de virium inſigni proſtratione conquerebatur. In deligatione vulneris, gangrænam verſus nucham aſcendiſſe, cum ſtupore vidimus.

D. 18. Septembr. Bene iterum dormivit hac nocte, & exin vires ſunt majores, ulcus moram fecit, pulſus & urina ſunt naturali ſimiles, conqueritur vero Patiens, ſacculos nimium ſibi eſſe moleſtos, quare eos ſepoſuimus, ordinantes ê contra epithema cum ſpiritu matricali probe imprægnatum, ex aqua calc. viv. cum linteo quadruplicato, non excluſo tamen ordinario digeſtivo; interne vero ſequentem eſſentiam ad xxx. gtt. mane & veſperi: Rec. mixt. ſimpl. drachm. ij. eſſ. cort. caſcar. drachm. j. M. Pus interim in tanta quantitare non prodit, quanta alias profluere ſolet ex tanti ambitus ulcere.

D. 19. Septembr. Mediam noctem inſomnem habuit, & ob dolorum acerbitatem admodum inquietus fuit; verſus diluculum vero per tres horas placide dormivit. Pulſum quidem celeriorem, ſed urinam naturalem obſervamus, ſubſtitit hac nocte gangræna, & videtur aliqualis ſeparatio fieri in parte ſuperiori ſcapulæ ſiniſtræ; ſphaceloſas portiones ubique per lancettam removere juſſimus, deprehendentes inſimul, materiam illam ſanioſam & cauſticam non adeo profunde partes penetraſſe.

D. 20. Septembr. Noctem bene transegit, invenimus tamen mane pulſum magis febrilem, unde eſſentiam d. 18.

ordi-

ordinatam intermisimus, & reiterare jussimus pulverem alexipharmaco - antifebrilem d. 2. Septembr. præscriptum, omissis tamen speciebus de hyacintho & M. Pilul. de cynoglossa, addito ê contra antimonio diaph. martiali. Ulcus est in hesterno statu.

D. 21. Septembr. Licet parum dormiverit, tamen est animo quietus; pulsus & urina indicant febrem, quæ circa vesperam intenditur; hinc pulverem antifebrilem continuare jussimus, & sorbillare interdum decoctum lignorum, concedentes simul pro potu ordinario aquas Selteranas cum modico vini Necarini, quod ipsum admodum reficere observavimus. Ulcus est in eodem statu, nec ulterius progreditur, pus majori in quantitate generatur, separatio etiam in dextro latere fieri incipit. Chirurgos itaque in usitata hactenus methodo continuare jussimus, ulcus scilicet mundificando, partes sphacelosas separando & balsamicis, digestivis ac spirituosus insistendo.

D. 22. Per vices quievit, malum est in hesterno statu, pus in magna quantitate nunc prodit, saccus in regione lumbari, factâ majori incisione, per suppurationem imminuitur.

D. 23. Septembr. Dormivit quidem, nihilo tamen minus languidum se esse refert, ob tres alvi dejectiones hesternas; nihil alias conqueritur & satis hilarem se monstrat, pulsus & urina non adeo sunt febriles; separationem partium sphacelosarum iterum instituerunt Chirurgi, nullas pustulas gangrænosas amplius observamus, in dextra vero parte superiori dorsi, prope humerum, magna apparet intumescentia.

D. 24. Septembr. Traduxit noctem optime, pulsus aliquatenus est febrilis, alvus nunc magis lubrica, quam sicca. Suppuratio in sinistro latere dorsi & scapulæ optime procedit, nova caro generatur, & spinæ dorsi regio

 tota

tota fere est mundificata; in dextro latere dorsi Chirurgi de novo scarificarunt, & antiquas incisiones renovarunt, pus laudabile & coctum in magna quantitate ubique emanat.

D. 25. Septembr. Nox fuit inquieta & absque somno, versus diem paulum dormitavit, febris non increscit, subsistit gangræna, & saccus semper imminuitur per suppurationem; latus dextrum quidem adhuc sphacelosum, occurrunt tamen hinc inde signa futuræ suppurationis. Citius meliusque nunc procedere potuissemus in cura, nisi Dn. Patiens nobis serio inculcasset, ut ipsius viribus adhuc parceremus. Propter œdema pedum, quod valde ingravescit, & tonum viscerum labefactatum indicat, sequentes species roborantes & aperientes pro vino medicato præscripsimus, sepositis reliquis medicamentis, excepto pulvere antifebrili alexipharmaco: Rec. rad. pimpinell. alb. angel ana unc. ij. herb cent. min. card. bened. ana p. ij. herb. trif. fibr. p. j. limat. martis in pet. ligat. unc. j. rhabarb. orient. drachm. vi. flaved. cort. mali aurant. rec. N. I. incis. D. pro nodulo cum aquæ & vini anatica parte. Externe vero commendavimus lintea calida, cum camphora.

D. 26. Septembr. totam noctem inquietam transegit, valde sudavit, ut præter consuetudinem suam indusium mutare coactus fuerit. Pulsus est febrilis, urina non item, conqueritur de languore, affectum vero non deprehendimus deteriorem, sed potius meliorem, nova enim caro succrescit, musculi arrosi, lacerati & quasi dilaniati in sinistro latere dorsi scapulæque redintegrantur, cavitatesque explanantur; in dextro latere supra scapulam partes sphacelosas separare jussimus, & ob debilitatem Dn. Patientis, emulsionem sedativo-analepticam ordinavimus.

D. 27. Septembr. Bene quievit hac nocte, nihil sudavit, vires recuperavit, pulsus & urina non sunt adeo febriles,

briles, ſed pedes valde œdematoſi, nullum effectum perſentiſcit ex vino medicato, quod tamen continuare juſſimus; appetitus viget, affectus eſt in heſterno ſtatu, ſaccus ſemper imminuitur per ſuppurationem, hoc vero non obſtante inciſionem illius ulteriorem concedere mavult Dn. Patiens; ſupra ſcapulam vero dextram, & ad latera dorſi multas ſphaceloſas partes ſeparavimus; pús fluit copioſe.

D. 28. Septembr. Heri, ante introitum lecti, inſciis nobis, pediluvium, propter pedum œdema, ſibi parari juſſit, male vero ſibi proſpexit, totam enim noctem pervigilem ſibi reddidit, usque ad horam quintam matutinam; mane evigilans, nobis retulit, ſe nonnihil eſſe defatigatum; pulſum explorantes invenimus illum non immutatum, & quoniam in humero nihil gangrænoſi & ſphaceloſi amplius erat, digeſtivum absque eſſentia balſamica, die 2. Septembr. â nobis præſcripta, & hucusque illi immixta, applicari juſſimus, ne dolores præter neceſſitatem excitarentur. Saccus in ſiniſtra parte minor quidem fit, ſed ſimul valde ſenſibilis & dolorificus; Chirurgi ubique partes ſphaceloſas ſepararunt, pus quoque non mediocri copia prodire absque graveolentia obſervarunt.

D. 29. Septembr. Noctem optime transegit, ideo hilaris & præſentis eſt animi, pulſus & urina ſunt fere naturales, alvum ſemel ex vino medicato depoſuit; affectus indies fit melior, ſed œdema pedum continuat; ideo Dn. Patientem rogavimus, ut in lecto ſe contineret, tibialia deponeret, & ſuffimigia ex maſtiche, thure, ſuccino, &c. cum linteis applicare ſineret.

D. 30. Septembr. Poſt abſolutam cœnam, ſtatim obdormivit, expergefactus vero poſt duas horas, ſomnum amplius capere non potuit, quietus tamen & absque doloribus jacuit; pedes, propter inſignem tumorem, negotium ipſi faceſſunt, affectus autem ſicuti heri ſe habet.

D. 1.

D. 1. Octobr. Præter exſpectationem nox erat tranquilla, ex quotidiano uſu vini medicati pedes detumeſcere videbantur. Quoad omnia Dn. Patientem videmus meliorem, ſanies fluit in magna quantitate, ſaccus imminuitur notabiliter, ſpinæ dorſi regio ab omni ſphacelo eſt libera, & non ſine admiratione cernimus novam carnem ubique ſuccreſcere, hanc vero ob cauſam Dn. Patiens nunc valde ſenſibilis eſt.

D. 2. Octobr. Per horas aliquot ſatis placide ſomno indulgere potuit; pulſum obſervamus celeriorem, Patiensque de ſiti auctiori conqueritur. Poſt meridiem illum iterum viſitantes invenimus valde debilem; quoniam per multas ſermocinationes ob negotia graviora & faſtidioſa multum ſe defatigaverat, medicamenta vero non immutavimus. Veſperi accuſat dolores tam dorſi, quam pedum, iracundus fuit, inſomnemque noctem transegit.

D. 3. Octobr. Bene ſe habuit ea nocte, pulſus & urina ſunt fere naturales, pedes detumeſcunt, nec cutis adeo inſignem amplius monſtrat ſplendorem; bono iterum animo eſt Dn. Patiens, deligatio vero ob ejus majorem ſenſibilitatem, fuit magis doloroſa; affectus eſt in bono ſtatu.

D. 4. Octobr. Iterum placide quievit, urina quadantenus lixivioſa apparet, nulla tamen febris adeſt, verſus humerum & collum reſtant adhuc partes ſphaceloſæ, quæ vero ſuppurationi relinquimus. Sanationem inſignis hujus ulceris, carnisque reſtitutionem tam ſubitaneam in hoc ſubjecto non ſatis mirari poſſumus; naturæ ut ſubveniremus plus vini Dn. Patienti concedimus.

D. 5. Octobr. Heſternæ ſimilem habuit noctem, urina ſedimentum ſalinum deponit, pulſus tamen non eſt febrilis. Ex calidis linteis pedibus applicatis tranſpiratio bene ſuccedit; in regione lumborum quoque nova caro gene-

generatur, cavitates ubique explentur, imo initium novæ cutis in finiſtra parte dorſi ſeſe monſtrat.

D. 6. Octobr. Per totam noctem quievit, urina eſt naturalis, ut & pulſus, œdema pedum vero continuat; ad latus dextrum & verſus coxendicem ſinuoſitates adhuc reſtant.

D. 7. Octobr. Quietam pariter habuit noctem, dorſo nunc incumbere incipit, quod antea ipſi impoſſibile erat, affectus vergit ſemper in melius, pedes vero antiquum obtinent, genua tamen non tranſcendit œdema.

D. 8. Octobr. Placidus ſomnus continuat, hinc vires ſunt multo majores, & cura optime procedit; ſanies non amplius fœtidum ſpirat odorem, neque in tam copioſa quantitate profluit, ſinuoſitates tamen ſphaceloſæ adhuc reſtant, quarum vero ſeparationem ob nimiam ſenſibilitatem Dn. Patientis minime tentare licuit, unde relinquendæ erant, nihilque propterea mutavimus in curandi ratione.

D. 9. Octobr. Optime iterum quievit hac nocte, & affectus indies melior apparet; hinc naturæ ut opitularemur, pulverem ſarcoticum ſequentem linteo inſpergendum & applicandum ordinavimus: Rec. tut. præpar. lapid. calamin. præpar. maſtich. elect. ana drachm. ij. oliban. colophon. ana drachm. j. M. F. puluis ſubtiliſſimus.

D. 10. Octobr. Sicuti heri tranquillam abſolvit noctem, frontis eſt ſerenæ, debilitatem tamen extra lectum accuſat, Saccus in regione lumbari ſenſim diſparet, faſciam latam quam applicavimus circa lumbos, optimum effectum edidiſſe ad meliorem reſiſtentiam, deprehendimus, labia vero ulceris ibidem coaleſcere nondum incipiunt.

D. 11. Octobr. Per vices dormivit, urina iterum eſt lixivioſa, ulcus in bono adhuc manet ſtatu, materia ſanioſa imminuitur ſemper, labia in ſiniſtra parte dorſi penitus abſumuntur per ſuppurationem, magis rubicunda & natu-

ralia redduntur, imo recenti carni agglutinari videntur; in dextra vero parte magis tumida & inflata adhuc sunt: Unguentum ergo aureum marginibus totius ulceris applicare jussimus, recenti vero carni pulverem sarcoticum.

D. 12. Octobr. Noctem transegit sicuti heri, sed alvum adstrictam esse refert, urina est magis tincta, affectus tamen non est deterior. Nimium vini assumsit, id quod ipsi serio hodie interdiximus. Post meridiem ipsum invenimus magis prostratum viribus, unde pulverem tonico - præcipitantem bis in die, loco vini medicati, assumere; sarcoticum vero pulverem, quoniam exin dolores quosdam persensit, seponere ordinavimus.

D. 13. Octobr. Præter spem melius dormivit, alvus sponte bis respondit, atque ipse Dn. Patiens bono animo est. Post prandium ipsum visitantes offendimus satis alacrem, pulsum moderatum, urinam non tinctam, conqueritur vero de majore dolore in sinistra parte, ubi malum incepit, qui tamen â nimia sensibilitate oritur, ob incipientem agglutinationem; medicamenta ergo non immutavimus.

D. 14. Octobr. Hanc noctem ægre traduxit, ob supervenientem catarrhum, tussim & raucedinem, quam ex potu frigidiori sibi contraxisse putat: pulsus non est febrilis neque urina tincta. Post meridiem illum morosum, debilemque offendimus & pulsum celeriorem; pulverem consuetum, in aqua analeptica, d. 9 Septembr. præscripta, bis vel ter de die sumere jussimus.

D. 15. Octobr. Melius dormivit, alvum semel deposuit, morosus non amplius est, diu tamen extra lectum subsistere nequit, pulsus est moderatior, non adeo febrilis, sicuti & urina; molimina hæmorrhoidalia accusat, quæ ut parumper promoveremus, vinum rhabarbarinum præscripsimus. Catarrhus est mitigatus, & affectus ulceris bene adhuc

adhuc ſe habet, præprimis in ſiniſtro latere, ſaccus magis magisque imminuitur; in dextra vero parte muſculi dorſi arroſi & hinc inde corrupti, ſunt adhuc ſinuoſi, ſphaceloſi, verſus coxendicem autem omnia meliora, ſaccus ibidem, in muſculo ſcilicet quadrato, formatus, inciſione & ſcarificatione facta, per ſuppurationem imminuitur.

D. 16. Octobr. Patiens tranquillam iterum habuit noctem, ſatisque hilaris propterea erat animi; ulcus eſt in eodem ſtatu.

D. 17. Octobr. Ob multas ſermocinationes & ſpeculationes nimium ſerias, quibus heri per totam diem incubuit, noctem ſibi inquietam reddidit; invenimus etiam pulſum magis celerem, urinam tinctam, bilioſam, hæmorrhoides non amplius fluunt, remittit tamen pedum œdema, & quoniam ex rhabarbaro alvus non reſpondebat, duas pilulas Francofurtenſes deglutivit. Circa veſperam debilis erat & iracundus, affectum tamen non pejorem deprehendimus.

D. 18. Octobr. Melius hac nocte dormivit, & tranquille ſe geſſit, non amplius eſt iracundus, urina non adeo tincta, pulſus moderatior.

D. 19. Octobr. Ob malum ſitum corporis in lecto nihil fere quievit, pulſus etiam eſt celerior, urina magis tincta, ulcus tamen pejus ſe non habet, unde in cura nihil mutavimus; ob tuſſim vero & raucedinem, Dn. Patienti de novo permoleſtam ſequentem Mixturam præſcripſimus: Rec. aquæ papav. errat. tuſſilag. ſcabioſ. ana unc. j. conch. citrat. ſpec. diatragacanth. frig. ana drachm. dim. gumm. arab. ſcrup. j. ſyr. papav. errat. drachm. j & dim. M. D. ad vitr.

D. 20. Octobr. Optime exin ſe habuit, dormire potuit, ſymptomata remiſerunt, & hodie in bono ſtatu illum ſalutavimus; ſaccus in ſiniſtra parte plenarie per ſuppura-

 tionem

tionem absumitur, & in dextra, labia non amplius sunt adeo sinuosa, sed magis vivacia deprehenduntur.

D. 21. Octobr. Catarrhus & tussis Dn. Patienti somnum interceperunt, ideoque turbati ac fastidiosi est animi, nullam tamen videmus ulceris mutationem.

D. 22. Octobr. Ob tussis remissionem, nox erat quieta, & deligatio non adeo dolorosa sicuti heri, pulsus etiam moderatior est, urina non tam tincta, pedes manusque detumescunt; reiterare propterea jussimus Mixturam anticatarrhalem.

D. 23. Octobr. Etiamsi tussis hanc noctem inquietam reddiderit, æquo tamen tulit animo hanc molestiam Dn. Patiens, inprimis cum ipsi referebamus, affectum semper in melius abire. Solus iterum lectum egredi potest; ad majorem autem mitigationem obtinendam, immutavimus priorem Mixturam insequentem: Rec. aquæ tussilag. scabios. cerasor. nigr. ana unc. j & dim. margarit. orient. præpar. Specif. cephal. Spec. diatragacanth. frig. antimonii diaphoret. ana drachm. dim. syr. papav. alb. confect. alkerm. compl. ana drachm. j. M. D. ad vitr.

D. 24. Octobr. Placide traduxit noctem, catarrhus remittit, & omnia in bono statu invenimus.

D. 25. Octobr. Febris catarrhalis recurrere videtur, quæ noctem etiam valde inquietam reddidit, pulsus est celerior, urina magis tincta; ultimam Mixturam continuare jussimus & loco vini Necarini, dulce Italicum moderate bibere suasimus, quoniam de virium prostratione conquerebatur. Ulceris statum meliorem desiderare vix possumus, methodo consuetæ itaque semper inhæremus.

D. 26. Octobr. Febrem catarrhalem, quæ nunc epidemice grassatur, multum negotii Dno. Patienti & nobis esse facturam metuendum videtur, interrumpit enim somnum, vires adeo necessarias absumit, ipsum curæ progressum

ſum admodum retardat. Ob vehementiam tuſſis & raucedinis, oleum amygd. dulc. in brodio ſumendum ordinavimus, non intermiſſa mixtura anticatarrhali.

D. 27. Octobr. Totam fere noctem tuſſiendo tranſegit, ita ut interdum ſuffocatio metueretur, aliquam tamen tandem mitigationem â potu calido theeformi obtinuit, nunc vero illum valde debilem invenimus & animo perturbatum, pulſus eſt celerior, urina tincta, ulcus vero non deterius.

D. 28. Octobr. Ob aliqualem remiſſionem tuſſis, dormivit per vices, apperitus plane eſt dejectus; vinum dulce perferre nequit, Neccarinum itaque ipſi iterum permittere fuimus coacti, cum aqua Selterana mixtum, pulſum enim non adeo febrilem invenimus. In deligatione Dn. Patiens ob dolores valde erat indignabundus, ulcus autem deprehendimus in heſterno ſtatu.

D. 29. Octobr. Ad raucedinem & ſcreatum mitigandum circa veſperam diei præcedentis adhuc ordinavimus ſequens Iulapium, pro lubitu ſumendum: Rec. aquæ tuſſilag. veron. ſ. vin. ſcabioſ. borrag. ana unc. j & dim. ſyr. violar. papav. rh. ana drachm. vj. ſpiritus ſulphuris per camp. q. ſ. ad grat. acidit. Nihilominus noctem miſere traduxit, ſæpius ê lecto ſurrexit, hunc tamen iterum intrans per vices quievit. Matutinis horis illum ſalutantes, alacriorem & animo tranquilliorem deprehendimus. Tuſſis & raucedo remiſerunt, pulſus & urina non adeo ſunt febriles, & affectum primarium in bono ſtatu hucusque videmus, labia enim illius ubique novam carnem exhibent; in ſiniſtro latere aliquid de ſacco adhuc ſupereſt, nullius tamen momenti.

D. 30. Octobr. Noctis in principio profundum incidit in ſomnum, ex quo vix ſe extricare potuit, leniter delirans interdum, mox tamen iterum ad ſe rediit; inveni-

mus pulſum non adeo febrilem, neque urinam magis tinctam, debilis tamen eſt ægrotus noſter, & in deligatione impatientiſſimus, hæc in verba prorumpens: Se lubentius moriturum, quam amplius perferre hos cruciatus. Tangere pulſum hac vice non auſimus, & nihil immutavimus ratione medicamentorum.

D. 31. Octobr. Lectum intrans per tres horas dormivit, jectigabundus poſtea erat, aſſumta vero emulſione papaverina, heri ipſi ordinata, iterum obdormivit. Mane invenimus illum tranquilliorem, conqueritur de appetitu plane abolito, & quod ex vini potu tuſſis aucta fuerit; aquas igitur Selteranas intermittere, & vinum cum aqua ſimplici bibere ſuaſimus. Poſt meridiem domeſtici nobis referunt, Dn. Patientem cecidiſſe retrorſum ex vacillatione pedum, unde etiam in deligatione deprehendimus humerum in ſiniſtra parte ſugillatum cum extravaſato ſanguine, cujus rei vero nullam mentionem erga ipſum fecimus, inprimis cum nobis indicaret, ſe unguenta illa, hucusque uſitata, cuti nimium adhærentia, in poſterum non eſſe admiſſurum, (erat autem nihil aliud, quam communi conſilio commendatum noſtrum digeſtivum balſamicum, cum unguento Ægyptiaco ſimplici in parva quantitate permixtum, linteisque applicatum.) Huic ergo ipſius deſiderio ut quadantenus ſatisfieret, lintea ſubordinavimus oleo hyperici probe imbuta & expreſſa, cum epithemate aquæ calc. viv. Ulcus non deterius invenimus, pulſum vero, ob inſignem Dn. Patientis animi indignationem explorare, ſuperſedimus.

D. 1. Novembr. Inquietam habuit noctem, tam ob tuſſim & exſcreationem materiæ viſcidæ, quam ob dolores ex heſterna deligatione. Invenimus tamen pulſum & urinam non adeo febriles; valde autem moroſus eſt Dn. Patiens,

tiens, & deligationem hodie Chirurgis non permisit; Julapium tamen se esse assumturum, promisit.

D. 2. Novembr. Per vices dormivit, mane tamen Chirurgo aditum non concessit, nosque Medicos per schedulam rogavit, ut alia medicamenta præscriberemus, methodumque curæ immutaremus. Cum igitur exinde sufficienter notabilem animi perturbationem deprehenderemus, unanimiter conclusimus, genio Dn. Patientis, quantum possibile, indulgere, eaque propter hactenus observatam methodum mutavimus in sequentem: 1) ut deligatio semel tantum in die instituatur, pro viribus magis conservandis, 2) spiritus matricalis & epithema ex aqua calc. viv. omittatur. 3) Ulcus simpliciter linteis carptis, digestivo parumper imbutis, & emplastro de sperm. ranin. tegminis loco, deligetur. 4) Mixtura vero anticatarrhalis continuetur. Nostram hanc sententiam cum per domesticum percepisset, statim nos hypocaustum intrare, permisit, humaniter salutavit, atque deligationem fieri concessit. Pulsum explorantes, eundem debilem & inæqualem, urinam lixiviosam, ulcus vero in mediocri statu, omnesque partes sphacelosas per suppurationem abire deprehendimus.

D. 3 Nouembr. Inquietam habuit noctem, sæpius è lecto surrexit, manibus ductus obambulavit, & subinde vadeliravit, omnium tamen actorum mane iterum conscius erat: A meridie ipsum visitantes hanc suam impatientiam sponte nobis descripsit, mentisque suæ plenarie compos nos rogavit, ut in cura pro circumstantiarum & restitutionis suæ necessitate pergeremus. In deligatione deprehendimus emplastrum de sperm. ranar. ulceris circumferentiæ nimium adhæsisse, magnosque dolores excitasse; unde ad præcavendum hoc incommodum, in posterum extremitates ulceris circumcirca ol. amygd. d. illinire suasimus; (inviti quidem, quoniam cum omnibus Practicis

oleosa

oleosa & pinguia minus adæquata tali in statu esse judicamus.) Ob pulsum magis febrilem, sequentem Mixturam præscripsimus: Rec. aquæ flor. til. cerasor. nigr. ana unc. j & dim. cinnam. bugloss. unc. dim. Specif. cephal. conch. citrat. antimonii diaph. ana unc. dim. nitri crystallis. scrup. j. confect. alkerm. compl. drachm. j & dim. M. & singulis quaternis horis quarta ejus pars assumatur. Ad viscitatem sanguinis autem corrigendam, tonumque fibrarum roborandum, sequentem essentiam ordinavimus: Rec. tinct. antimonii tartarisat. ess. trifol. fibr. ana drachm. j. M.

D. 4. Novembr. Per totam noctem inquietus erat mentisque suæ impos, post alvi vero solutionem, quam ex Manna, heri adhuc ordinata, habuit, plenarie ad se rediit, & versus diem placide dormivit. Mane evigilans, humaniter se gessit, & post meridiem illum in moderato statu offendimus; iracundum vero se postea monstravit in deligatione erga Chirurgos. Ceterum sicuti heri sese habet, unde etiam pristina continuare jussimus medicamenta.

D. 5. Novembr. Tussis iterum somnum turbavit, ægerque multum deliravit, mane vero de doloribus plane non, sed saltem de tussis vehementia conquerebatur. Post meridiem domestici nobis referunt, admodum inquieti iterum & morosi animi esse Dn. Patientem; siquidem etiam nos accedentes vix salutavit, multo minus ad quæstiones respondit. Pulsum deprehendimus celeriorem, inæqualem, debilem, urinam lixiviosam; deligatio tamen feliciter absolvebatur, affectus est in eodem statu, & suppuratio bene procedit, ulceris tamen margines videntur aliquatenus lividi & coerulei. Tussim & febrem ut mitigaremus sequentem emulsionem præscripsimus: Rec. sem. card. mar. papav. alb. melon. ana drachm. j & dim. amygd. dulc. N. IV. contund. & cum aquæ fl. til. card.

card. mar. papav. errat. ana unc. j. & dim. f. emulſ. colat. add. margarit. orient. præpar. antimonii diaph. antih. Pot. ana drachm. dim. nitr. depurat. ſcrup. dim. ſacch. perlat. drachm. j. & dim. D. pro tribus doſibus. Circa horam octauam veſpertinam, lipothymia inſignis cum aliquali horrore ipſum invadebat. In hoc ſtatu ipſum inviſentes pulſum ob debilitatem vix explorare potuimus, & propterea confortantia & roborantia, emulſionis loco, ordinavimus.

D. 6. Novembr. Mane nobis refert, ſe præter omnem exſpectationem per horam unam & alteram placide dormiviſſe, etiamſi propter malum corporis ſitum ſæpius ſurrexerit. Tuſſis & exſcreatio materiæ viſcidæ adhuc continuant, pulſus manet febrilis ut & urina tincta; intra lectum ergo ut ſe contineret, ſerio injunximus, & ſequentem potiunculam nunc pro una vice ſumendam ordinavimus: Rec. aquæ card. bened. unc. j. mixt. ſimpl. gtt. xxx. ſyr. papav. errat. drachm. j. D. Exin poſt meridiem bonum effectum deprehendimus, ſiquidem non adeo moroſus & indignabundus erat Dn. Patiens, deligatio bene proceſſit, ulcus non abiit in pejus, licet illius circumferentia nonnihil livida adhuc appareat; digeſtivum noſtrum, linteis imbutum, labiis ulceris applicare juſſimus, ſuadendo ſimul, ut per diem cum mixt. antifebrili, d. 4. Novembr. ordinata continuet, noctu vero emulſionem aſſumat. Totam hinc veſperam tranquille tranſegit; circa mediam noctem vero rediit paroxyſmus febrilis cum magna per dimidiam horam durante horripilatione, juxta ipſius propriam deſcriptionem, abſque tamen ſuccedente præternaturali calore, quare etiam poſtmodum obdormivit.

D. 7. Novembr. Mane evigilavit ſatis contentus, pulſum invenimus quidem moderatiorem, ſed tamen adhuc febrilem, ob manuum pedumque œdematis incrementum

ſequentem eſſentiam diapnoico - antifebrilem, mane ad gtt. xxx. ſumendam præſcripſimus: Rec. eſſ. ſcord. mixt ſimpl. ana drachm. j. D. Poſt meridiem illum inviſentes, domeſticos de ſumma ejus impatientia conquerentes audivimus, ad noſtrum vero introitum humaniter ſe geſſit, nos ſalutavit, & nobiſcum collocutus eſt, deligationem animo tranquillo ſuſtinuit; pulſus interim erat adhuc febrilis, depreſſus, urina tincta, labia vero ulceris, amiſſo priſtino livido, magis rubicundi erant coloris, unde iisdem applicare juſſimus defenſivum noſtrum, loco olei amygd. dulc. cachexiam ut magis averteremus, ſanguinisque viſciditatem corrigeremus, ultimæ eſſentiæ addere juſſimus eſſent. cort. caſcarill. & pimpinell. alb. ana drachm. j. pro ſcopo analeptico autem ſequentem mixturam ordinavimus: Rec. aquæ perlar. epilept. pueror. ana unc. j. M. pro duabus doſibus ſomni tempore & circa mediam noctem ſumendis. Metuebamus inſuper de reditu paroxyſmi febrilis hac nocte imprimis, quoniam veſperi Patiens valde debilis erat.

D. 8. Novembr. Prognoſticum nos haud fefellit, quin potius binis vicibus febris rediit, cum aſthmate & præcordiorum anxietate, diu tamen non duravit, ita, ut abſoluto paroxyſmo dormire potuerit. Pulſum invenimus quidem remiſſiorem, urinam vero magis tinctam, cum ſedimento lixivioſo; deligatio Dno Patienti iterum cruciatus excitavit, ob firmiorem emplaſtri de ſperm. ranar. adhæſionem; unde illius extremitatibus oleum amygd. dulc. bene illinire ſuaſimus; ulcus interim abit in pejus, nihilo tamen minus cum medicamentis continuare conſultum duximus, interpoſita mixt. antifebrili analeptica. Veſpertino tempore circa horam ſeptimam denuo inſultum febrilem ſuſtinuit.

D. 9. Novembr. Inde debilis & inquietus, noctem pervigilem egit, lectum tenere non potuit, alium ſibi ſternere

nere

nere curavit, & sic sæpius mutavit, alvum quoque deposuit. Mane invenimus pulsum debilem, depressum & celerem, urinam turbatam, cum sedimento roseo. Hodierna deligatio felicius cessit, affectum autem in hesterno statu videmus. Cum ergo magis nunc dimicandum nobis sit cum febre, hinc sequentes pulveres præscripsimus: Rec. antihect. Pot. scrup. j. arcan. dupl. cinnabar. antimonii præpar. ana gr. v. M. D. ejusmodi doses jv. cum aqua analeptica, singulis 4. horis sumendæ, interposita essenria tonica. Interim usque ad vesperam mediocriter se habuit, hora septima vero febris iterum rediit, & per horam duravit, postea obdormivit.

D. 10. Novembr. Post decimam horam evigilavit, & noctem hesternæ similem traduxit. Mane loquacem illum invenimus, pulsum & urinam valde febrilem, tranquillioris tamen est animi, & mentis suæ plenarie compos. Ulcus in meliori statu deprehendimus, labia illius non adeo livida, sed magis rosea, sacci omnes imminuuntur, & disparent, reliquæ partes adhuc residuæ sphacelosæ per suppurationem absumuntur, unde medicamentis prioribus insistendum conclusimus.

D. 11 Novembr. Bene hesternis pomeridianis horis sese habuit Dn. Patiens usque ad sextam vespertinam, qua febris recurrebat, & abhinc per totam fere noctem durabat, ut nullum plane somnum capessere potuerit. Pulsus adhuc est febrilis, urina turbida, confusa; affectum sub deligatione deprehendimus in hesterno statu, unde nihil immutavimus in cura. Circa horam sextam, febris illa erratica, valde suspecta, iterum ipsum invadebat, facta autem mutatione situs corporis in lecto, mitigatam eam fuisse credidit, quoniam per tres horas postmodum dormire potuit.

D. 12. Novembr. Post mediam noctem novum insultum febrilem cum ructibus singultuosis perpessus est, qui propterea valde nobis suspectus fuit. In deligatione affectum in meliori statu invenimus, pulsum moderatiorem, urinam non adeo tinctam, unde ut residuos adhuc pulveres antifebriles sumeret, hortabamur, die crastino vero salis Sedlicensis drachm. ij. cum aqua Selterana, quoniam alvus & urina minus respondent, & œdema pedum manuumque iterum augetur.

D. 13. Novembr. Febrilis paroxysmus per totam noctem duravit, unde mane illum morosum deprehendimus, sal Sedlicense assumere recusavit. Mixturæ vero cordialis aliquot cochlearia sumsit. Pulsus non adeo est febrilis, neque urina tincta, deligatio etiam bene cessit, affectum in bono statu videmus, eaque propter intermittendam censuimus unguenti digestivi applicationem cum linteis carptis, ulcus solummodo defendentes cum emplastro de spermate ranarum; interne autem mixtura diapnoico · antifebrilis cordialis repetebatur, quæ præscripta fuit d. 3. Novembr.

D. 14. Novembr. Reliquam diei hesternæ partem bene transegit, usque ad horam decimam, qua paroxysmus febrilis recurrebat, absque tamen horrore singulari, quo, intra horæ spatium finito, placide obdormivit. Hora matutina secunda febris hæc cachectica anomala somnum iterum perturbavit, & tamen hoc non obstante ægrotum hodie animi alacrioris esse videmus, pulsus est celer, urina tincta cum copioso sedimento rosei coloris, appetitus redit, & ulceris status undique apparet melior. Febrem ut aliquatenus mitigemus, tonumque partium roboremus, sequentem mixturam præscripsimus: Rec. aquæ flor. til. ceras, nigr. ana unc. j. cinnamom. borrag. unc. dim. pulv.

corr.

cort. peruv. ſcrup. ij. pulv. cacheƈt. L. conf. alkerm. inc. ſyr. caryophill. ana drachm. j. D.

D. 15. Novembr. Tranſegit ſatis bene heſternam diem, ſed circa horam decimam acceſſum iterum habuit illius ingrati hoſpitis leviorem tamen & breviorem, mox enim iterum ſomnum capere & usque ad horam ſextam matutinam quieſcere valuit, animoque placato dein evigilavit. In moderato ergo ſtatu illum deprehendimus, pulſus eſt remiſſior, urina vero heſternam faciem gerit, & ſedimentum deponit turbidum, roſeum, ſolutum in aqua calida, aurantii coloris, appetitus viget, & Dn. Patiens magis affabilis eſt. Ulcus apparet in heſterno ſtatu, adeoque medicamenta continuare juſſimus. Circa horam quartam veſpertinam paroxyſmus febrilis rediit, & per duas horas duravit, quibus elapſis iterum obdormivit.

D. 16. Novembr. Hodie illum inviſentes, nos humaniter ſalutavit; deligatio bene ſucceſſit, & ulcus in meliori ſtatu ſe ſiſtit, ſacci diſſipantur, & labia per ſuppurationem imminuuntur quotidie; ob alvi obſtructionem ſequentem pulverem præſcripſimus: Rec. rhabarb. elect. gr. xv. pulv. Cornach. arcan. dupl. ana gr. v. M. Roborationis ergo autem ſequens electuarium pro lubitu, cuſpiditatim ſumendum: Rec. theriac. Smaragd. unc. dim. conf. alkerm. inc. drachm. ij. D. Per totam diem â febre liber erat, hora vero decima veſpertina vehemens recurrebat paroxyſmus per duas horas durans, ut etiam quadantenus mente aberraverit.

D. 17. Novembr. Superato iſto inſultu placidiſſime per tres horas dormivit, expergefactus, ſuæque mentis plane compos, de nulla conquerebatur defatigatione, pulverem laxantem ſummo mane hodie aſſumtum vomitu ſtatim iterum reddidit. Deligatio fuit magis dolorifica, & affectum deteriorem deprehendimus, tota enim illius circum-

ferentia livida & cærulea iterum adparet, pulsus celerior & urina cruda est; post prandium retulit nobis Dn. Patiens, ex pulvere laxante (vomitu quidem rejecto) versus meridiem nihilominus aliquot sedes se habuisse, unde sequentes pulveres digestivos præscripsimus: Rec. arcan. duplic. scrup. j. dividatur in 2. part. æqu. quarum unam assumat hora quarta pomeridiana, alteram hora nona, ad febrem vero mitigandam sequens mixtura pro tribus dosibus ordinabatur: Rec. aquæ cent. min. unc. ij. cinnam. borrag. unc. j. pulv. cort. chin. drachm. j. pulv. cachect. L. drachm. dim. conf. alkerm. inc. syr. flor. tunic. ana drachm. j. D. ad vitr. cujus primam dosin cras mane hora octava assumere jussimus. Vesperi nullum insultum febrilem observavit.

D. 18. Nouembr. Ex pulveribus digestivis supra præscriptis multum levaminis se percepisse Dn. Patiens nobis refert, ut noctem etiam tranquille transigere valuerit, & leves saltem insultus febriles perceperit. Post meridiem invenimus illum satis tranquillum, ex mixtura antifebrili mitigationem febris sentit, & leniorem illius insultum sustinuit hora secunda pomeridiana. Pulsus est moderatior, urina non adeo tincta, nec adeo copiosum sedimentum deponit, deligatio bene peracta fuit, ulcus meliorem faciem præ se fert, ejusque circumferentia optimi est coloris, labia, hucusque hiantia, coalescunt & novæ carni agglutinantur.

D. 19. Novembr. Sat bene hesternam diem itidemque noctem hodiernam tranquille transegit, pulsum invenimus moderatiorem, urinam vero cum sedimento roseo mixtam, conqueritur saltem de aliquali lassitudine, quam ex bilis & animi commotione iracunda provenire autumat; œdema pedum manuumque notabiliter remittit, & affectus indies abit in melius. Pergere hinc jussimus cum medica-

mentis

mentis, & ulcus solummodo cum linteis carptis absque digestivo defendere.

D. 20. Novembr. Heri circa vesperam hora septima fortior paroxysmus febrilis ipsum invadebat, cum ructibus singultuosis, per duas horas durans; cœnam tamen postea assumebat, cum satis bono appetitu. Mane igitur nos ipsum invisentes humaniter excepit, noctem quietam se habuisse, minus defatigatum, nec febre adeo eximie afflictum esse, retulit, ulcus in bono statu, reliquas partes sphacelosas per suppurationem plane abeuntes, agglutinationem partium læsarum in sinistro latere cum nova carne, pollicis latitudine, & principia generationis cutis observavimus, eaque propter methodo nostræ institimus.

D. 21. Novembr. Dominum Patientem valde contentum hodie mane deprehendimus nobisque referentem, heri circa horam septimam vespertimam levem insultum febrilem, cito quoque transeuntem, se sensisse, postea vero per totam noctem absque ullo ulteriori insultu, quievisse. Pulsus est multo remissior, urina vero valde confusa, turbida, multum sedimenti rosei demittens. Deligatio feliciter cessit, malum undiquaque fit melius, laciniæ sphacelosæ disparent, & labia antea sinuosa nunc mundificata & recentia apparent. Bilis vero Dn. Patienti facile movetur; unde ad præcavenda omnia incommoda sequens elixirium præscripsimus: Rec. elix aperit. Cl. drachm. j & dim. essent. scord. drachm. dim. M. pro duabus dosibus. Circa tempus vespertinum sat insignem expertus est paroxysmum febrilem, qui ipsum valde defatigavit, finito tamen illo obdormivit.

D. 22. Novembr. Placide evigilavit de virium tamen insigni prostratione sitique auctiori conqueritur, ad quam extinguendam aquas Selteranas ipsi concessimus, & elixirium sumere suasimus. In deligatione ulcus in bono statu depre-

deprehendimus, pulſum etiam moderatum, urinam vero lixivioſam cum ſedimento, unde mixturæ antifebrilis continuationem commendavimus; hoc tamen non obſtante febris citius veſperi rediit, per totam noctem duravit, eamque inquietam reddidit, unde Dn. Patiens

D. 23. Novembr. hodie mane admodum defatigatus apparet, inprimis quoniam nunc non plane liber eſt â febre, alvumque bis depoſuit. Poſt meridiem deprehendimus illum paulo erectioris animi, enarrantem nobis, ſe poſt prandium novum ſuſtinuiſſe paroxyſmum cum ructibus; ventriculo ut ſubveniremus, mixturam antifebrilem ſepoſuimus, ejus loco ordinantes eſſent. amar. Hoffmanni ſequentis deſcriptionis, bis vel ter de die ſumendam: Rec. extract. card. bened. cent. min. ana unc. dim. pulv. cort. chin. cort. aur. ana unc. j. ſalis tartari drachm. vj. affund. vin. Hungar. libr. ij. diger.

D. 24. Novembr. Per totam diem & noctem non fuit immunis ab inſultibus febrilibus, ideo vires valde deficere incipiunt, ab eſſentia heri præſcripta & ſæpius jam aſſumta, nullum levamen perſentiſcit; pulſus eſt debilis, urina confuſa; ob diarrhoeam, de qua conqueritur, aquas Selteranas ipſi interdiximus, & vinum cydoniatum ſubſtituimus cum aqua mixtum; medicamenta mutavimus in ſequens electuarium antifebrile cordiale tonicum: Rec. confect. alkerm. inc. diaſcord. Fracaſtor. ana drachm. ij. margarit. or. præpar. corall. r. præpar. antimonii diaph. martial. pulv. cort. caſcarill. ana ſcrup. j. ſyr. fl. tunic. q. ſ. M. F. electuarium, divid. in tres part. æqu. harumque ſingulis 4. horis una ſumatur. Valde debilis eſt circa veſperam, vinum cydoniatum perferre non poteſt, unde aquas Selteranas cum pauco vini Neccarini conceſſimus; ad vires vero reficiendas modicum vini Græci cum pane ſimilagineo.

D. 25.

D. 25. Novembr. Multo melius transegit noctem, diarrhoea remisit ut & febris, animo & corpore est fortior; urina tamen manet semper turbida. Affectus in bono adhuc manet statu, & propterea continuabantur medicamenta.

D. 26. Novembr. Dormivit quidem, sed debilis evigilavit, ob febris insultum sitisque vehementiam; retulerunt nobis domestici Dn. Patientem deligationem desiderare in posterum in lecto; hypocaustum vero dum sumus ingressi, ipsum extra lectum invenimus, nobis ad omnia exacte respondentem, â febre jam immunem se esse, ast inextinguibili siti excruciari retulit, manus & pedes valde iterum intumescunt, facies est cachectica, urina lixiviosa, crystallisata, ambitus vulneris iterum lividus. Abstinere ergo hodie â medicamentis consultum duximus, & saltem analeptica continuavimus.

D. 27. Novembr. Præter exspectationem somnum capere potuit per intervalla hac nocte, nec febris rediit, sitis autem adhuc valde urget; post meridiem dormientem illum offendimus, mox tamen evigilans nos humaniter excepit, & caput valde perturbatum esse retulit. Videmus nunc Dn. Patientem totum immutatum; pulsus enim est valde debilis, depressus, urina confusa, lixiviosa, œdema pedum manuumque majora incrementa capit, facies fit Hippocratica, ulcus abit in pejus, verbo: Cachexia augetur, & vires imminuuntur. Ob nauseam medicamentorum, quæ nunc oboritur, tantummodo essentiam amaram Hoffmanni antifebrilem continuare suasimus, interpositis analepticis. Hora sexta vespertina febris illa anomala cachectica iterum rediit, & notabilem virium languorem induxit.

D. 28. Novembr. Per vices dormivit, debilis est, quoniam circa mediam noctem iterum paroxysmum febrilem sustinuit, concomitantibus ructibus; tranquillo tamen

 ani-

animo nobiscum est collocutus, & mentis plane compos; urina manet confusa, turbida, tincta, pulsus videtur remissior, & ulceris status melior apparet. Continuare hinc suasimus elixirium & mixturam analepticam. Vespertino tempore hora octava rediit febris, multo tamen mitior, nec admodum diu durans, finito paroxysmo mixturam analepticam assumit.

D. 29. Novembr. Placide quievit per noctem, mane nobis refert, melius iterum sese habere, quod & pulsus confirmavit, quem moderatiorem deprehendimus, urina autem in hesterno statu manet. Quoniam interim de dolore quodam spasmodico ventriculi conquerebatur, sequens præscripsimus balsamum: Rec. ol. nucist. express. drachm. j. ol. destillat. chamomill. mastich. ana gtt. v. bals. peruv. gtt. iij. M. D. ad pyxid. Post meridiem deligatio ex voto cessit, & Dn. Patiens animo & corpore est vegetior, omnia symptomata sunt mitiora, œdema remittit, labia vulneris iterum sunt recentia & vivaciora; hinc continuabantur medicamenta.

D. 30. Novembr. Heri vesperi hora septima cum placide dormiret, gravis paroxysmus illum excitavit, & ad duodecimam usque se extendit, vires Dn. Patientis simul plane depascens, exin etiam totus defatigatus tandem obdormivit, summo mane tamen rursus evigilavit cum aliquali novo insultu; & quoniam antemeridianas horas sacris destinavit, hinc medicamentorum assumtionem omisit. Post meridiem illum adeuntes, & pulsum explorantes, hunc vix tactu perceptibilem deprehendimus ob summum languorem, statum vero ulceris non pejorem; ut ergo cum medicamentis pergeret, & propter alvi per tres dies obstructionem, tres pilulas Francofurtenses assumeret, suasimus.

D. 1.

D. 1. Decemb. Reliquam diei hesternæ partem optime peregit, circa horam sextam vero aliquos insultus febriles sustinuit, cito tamen transeuntes, ita, ut totam noctem absque ullo ulteriori incommodo placidissime consumserit; expergefactus satis tranquillus & alacris fuit, ex pilulis alvum bis deposuit, pulsus vero est depressus, urina manet confusa & proh dolor! status cachecticus semper augetur, tendit enim œdema versus genua, hydrocelen efformat in scroto, viresque in dies imminuuntur; & quamvis ulcus deterius non sit, imo ad talem gradum sanationis pervenerit, ut in se spectatum, nullum vitæ periculum Dno Patienti amplius portendat, imo successive ad perfectam & plenariam consolidationem deduci possit, cum ambitus ejus insignis per totum dorsum fere se extendens, nunc ultra dimidiam partem sit sanatus; nihil aliud tamen, quam fatalem illius catastrophen, tristemque exitum prævidemus, considerantes nempe Dn. Patientis ætatem provectiorem, virium plenarium defectum, statum summe cachecticum, & tot tantaque symptomata, quibus natura etiam fortior ætasque junior minus resistere, sed potius succumbere deberet.

D. 2. Decemb, Valde conqueritur de angustia præcordiorum, quam ex flatulentia provenire putat; Chirurgi vero nobis referunt, abdomen totum valde esse distentum, & scroti tumorem magnitudinem capitis infantilis excedere. Omnia symptomata videmus graviora, vires sunt penitus prostratæ, appetitus plane destructus, facies Hippocratica: Ob insignem statum cachecticum, & urinæ retentionem, medicamenta immutavimus in sequentia: Rec. tinct. tart. drachm. ij spiritus salis ammoniaci anis. drachm. dim. M. D. mane & vesperi ad gtt. xxx. noctu vero sumat duas cultri cuspides sequentes pulveris: Rec. ocul. 69. cum succo citri præpar. drachm. ij. margarit. orient. præpar. scrup. ij.

 nitr,

nitr. cryſtalliſ. drachm. dim. M. Veſperi circa horam ſextam rediit febris cum ructibus ſingultuoſis, qua finita obdormivit, &

D. 3. Decemb. ſatis placide quievit absque ulteriori inſultu, verſus diem alvum depoſuit naturaliter cum quodam dyſpnoeæ levamine; evigilans ſe optime dormiviſſe refert, pedes tamen manent œdematoſi & hydrocele ingens; nihil præter calida linteamina applicare permittit, licet ipſi epithema ex aqua calc. viv. cum maſtiche, thure, olibano, &c. præſcripſimus. Urina ſemper eſt lixivioſa et confuſa; deligatio quidem bene proceſſit, ſed invenimus ulcus denuo immutatum in deterius, totamque ejus circumferentiam lividam & coeruleam: Juſſimus ergo medicamenta diuretica continuare, confortandi vero & roborandi ergo pro lubitu electuarium cordiale d. 19. Nouembr. præſcriptum aſſumere.

D. 4. Decemb. Heſternum veſpertinum tempus placide tranſegit usque ad horam octavam, ubi iterum febrilem paroxyſmum ſuſtinuit, ſed mitiorem, & cito tranſeuntem, abſoluto illo, placide quievit, expergefactus multum ſermocinatus cum intermixtis deliriis. Summa adeſt proſtratio virium, unde deligatio, quæ hucusque in ſella peragebatur, hodie vix prope lectum & ſatis operoſe inſtitui & abſolvi potuit; in meliori tamen ſtatu affectum invenimus, pulſum autem depreſſum & urinam magis tinctam, cum multo ſedimento roſeo, ob cujus ſimul conjunctam retentionem, juſcula cum raphano ruſticano ſæpius aſſumere, & tincturam alcalinam continuare mandavimus, interpoſitis analepticis. Veſperi rurſus ingens eveniebat horripilatio cum ructibus ſingultuoſis. Res eſt, proh dolor! conclamata, & natura prorſus ſuccumbit. Quis enim poteſt reſiſtere tantis hoſtibus, & detruncare tot capita hydræ hujus horrendæ, tantorum malorum genitricis.

D. 5.

D. 5. Decemb. Egit noctem valde inquietam, lectum mutare semper voluit, sicque in deplorabili statu eum vidimus, totum quantum viribus destitutum, ut pulsus vix sit perceptibilis, cum urina crassa, confusa, parcissime prodeunte, & insigni œdematis pedum augmento. Intermisimus hodie deligationem, ê contrario analeptica continuare jussimus. Hora tertia pomeridiana Dn. Patiens lectum mutare desideravit, votum illius expleturi, hoc fecerunt quidem domestici, fatali vero cum exitu; extra lectum enim cum vix esset, lipothymia tanta corripiebatur, ut nunc animam agere videretur; postquam vero illum multo cum negotio reponerent, paululum quidem ad se rediit, deliria vero absque intermissione continuant, manifesto indicio, metastasin ad caput esse factam, & horam mortis nunc instare, id quod etiam

D. 6. Decemb. mane hora sexta evenit: Sensus enim cum loquela successive evanuerant, & omnipotens Deus ipsum â diro hoc affectu variis anomaliis stipato, placide per beatam analysin liberavit.

(*Augusta Vindel. Altorfium missa,*
M. Octobr. 1733.)

OBSERVATIO LVI.


DN. D. JOH. GEORGII BREBISII.

De

Sphacelo totius fere faciei, post superatam febrim malignam oborto.

GRassabatur præterito anno, circa initium autumni, febris admodum maligna & perniciosa, qua fere omnes abinde correpti periere, quamvis optima in urina apparerent signa coctionis, & optime alias fierent crises. Inter alios etiam filiolus unicus, viduæ ministri ecclesiæ, tyrannidem ejus sequentem in modum est expertus: Corripiebatur ex improviso circa vesperam horrore, quem excipiebat calor satis vehemens & tandem sudor; circa auroram incidebat in somnum profundum & expergefactus satis alacris vegetusque adparebat, ut propterea omne statim exsuperatum crederetur periculum. Ast circa vesperam redibat horror, sequebatur mox calor urens, nox erat inquieta, & altero mane nulla observabatur alleviatio; morbus enim cum calore continuabat, caput graviter dolebat, patiens admodum vehementer sitiebat, strenue potabat, subsequente tandem delirio plane furibundo, quo durante extra lectum prosiliebat, vociferabatur, ad neminem attendebat, modo huc, modo illuc currebat, quæ omnia continuabant usque ad diem undecimum, ubi, prægressa levi diarrhoea, graviora ista symptomata remittere incipiebant; ita ut circa decimum quartum nihil de calore ulterius restaret, omnesque febrem jam penitus superatam esse crederent. Nihilominus decimo quinto die macula quædam nigra superiore in labio circa radicem nasi observa-

observabatur, insigni dolore stipata, atque ideo pro critico exanthemate reputata, inprimis quoniam in principio hujus anni, cum febris grassaretur catarrhalis, pene omnes brevi convaluerint, quibus circa marginem oris, aut pustulæ, aut maculæ largiter effloruerunt. Verum hæc macula pessimi ominis erat, serpebat enim quotidie ulterius, labium totum occupabat, & tandem illud circa radicem nasi dividebat. Patiens ob dolorem insignem nec Chirurgum, nec quicquam medicamentorum admittere volebat, donec sævitia doloris quadantenus remittere incipiebat & labia undique frustulatim decidebant, serpente interim sphacelo usque ad mentum atque oculos. Miserabile profecto spectaculum aderat, maxime quoniam patiens famelicus desiderabat alimenta, & tamen ea nec masticare, nec deglutire poterat, speciatim potulenta, quæ propter defectum buccarum, illico effluebant, quoniam nihil nisi dentes denudati adhuc supererant. Tandem vigesimo die decubitus, propter defectum spirituum & omnimodam corporis absumtionem placide vitam finivit. Miserabilem faciem ostendet figura II. Tab. III.



OBSER-

OBSERVATIO LVII.


DN. D. JOH. GEORG. BREBISII.

De

Sphacelo in clunibus incipiente & ſurſum usque ad ſcapulas procedente, circa undecimum diem lethali.

EOdem modo elapſo anno graviorem adhuc, imo ſtupendum ſphacelum in fœmina 36. annorum obſervandi copia mihi data fuit: Hæc enim per totam hyemem lavando ægre ſibi victum comparaverat, & ſtando ſupra pavimentum gelidum pedes cum inferiore ventre nimium quantum refrigeraverat, indeque plenariam impotentiam flectendi corpus atque pedes ſibi contraxerat. Hinc domi manere & in lecto cubare coacta fuit, in quo ſtatu, de cetero ſana, usque ad initium autumni vitam protraxit, ubi tribus vicibus prægreſſo frigore, gravi tandem æſtu correpta fuit, cum inſequente ſudore. Putabat ab initio eryſipelas forſitan ſub hac larva latitare, eaque propter non niſi Roob Sambuci, utpote conſuetum in hoc morbo remedium, aſſumebat, ſudoremque ſic aliquoties eliciebat. Cum hoc ultima vice feciſſet, graveolentem odorem ex proprio corpore prodeuntem ſubolebat, neſciens tamen ex quo loco proveniret, filiam natu majorem undique corpus ſuum perluſtrare jubet, quæ ſtatim magnam in clunibus maculam nigram diſruptam obſervat & exinde ſtillantem liquorem fœtidum. Vocatur ergo Chirurgus, qui vero prægreſſa diligenti inſpectione famæ ſuæ conſulturus, Medicum quoque in conſilium vocari

cari desiderat. Ego igitur statim quoque accersitus, partemque affectam intuens, ingentem sphacelum in utroque latere præsentem deprehendo. Cutis sphacelata, â carne jam separata & prorsus nigra, magnitudine manus propendebat, quæ separata corii ad instar tensa omnisque sensus expers erat, ut nullum exinde sentiret ægra dolorem, nec etiam pedes ullo modo movere posset. Applicabantur equidem omnia debita cum industria, quæ ad inhibendum sphaceli progressum alias conducunt & necessaria sunt, ast incassum, siquidem reliqua cutis adhuc integra magis magisque coeruleo obducebatur colore, tandemque corrumpebatur, ut nulla præterlaberetur dies, quin plurima ejus frusta cum subjacentium musculorum carne deciderent, eaque magna ex parte consumta tandem ossis innominati portio, vertebræ lumborum, vertebrarum dorsi atque ultimarum costarum nonnullæ denudatæ plane in utroque latere conspicerentur, prout ex Fig. I. Tab. III. apparet. Nihil interim alimentorum ingerebat ægra, nihilque egerebat, aquam simplicem parcius saltem assumebat, parum urinæ emittebat, totumque corpus inferius quasi mortuum omni sensu destitutum erat, ut hinc cuncta sine ullo clamore toleraret. Circa undecimum diem tandem, prægresso largo sudore, facies calore intense rubro perfundebatur, cutisque nitida, sicuti in puella, apparebat, concurrente simul insolito oculorum fulgore, sed post paucas horas prægressa lipothymia, & subsequente facie cadaverosa, vivere desiit.



OBSERVATIO LVIII.

DN. D. JOH. GEORG. BREBISII.

De

Vomitu & secessu cruento, in puerulo recens nato, lethali.

UXor Ludimagistri in pago quodam, trium horarum spatio hinc distante, staturæ mediocris, temperamenti sanguineo - melancholici, ætatis 34. annorum, plurium liberorum jam mater, iterum gravida & tempori partus proxima, postquam integrum præcedentem diem graves inter sed spurios partus dolores consumserat, altera die tandem intra nonam & decimam vespertinam horam, levibus conatibus, puerulum venustum, simul tamen admodum debilem, exclusit, qui quidem post balneum, ex vino & aqua paratum, vires iterum collegit, & incunabulis exceptus per reliquum noctis bene dormivit, mane vero expergefactus, longe debilior deprehendebatur, apparente simul in facie totoque corpore colore fere coeruleo, qualem alias lapides ex cancro vivo desumti monstrant, unde confestim lintea vino calido imbuta roborandi gratia pectori imponebantur. Dum vero hæc fiebant, adstans amici conjux remota involucra perlustrat, & in illis plurimum sanguinis congrumati deprehendit, quem adstantes ex funiculo umbilicali vel nimis laxe deligato, vel nimis arcte constricto atque discisso, provenisse suspicabantur, nihilque mali ulterius abinde metuentes, puerulum, cui à vini calidi applicatione vires interim redierant, ad sacrum deferri lavacrum curant, ipsique postmodum ad expurgandum meconium, mixturam ex oleo amygdalarum dulc. sy-

rupo

rupo de Manna & pauxillo spermatis ceti exhibent, cum successu optimo; siquidem ille exinde vegetior apparens, spem præ se ferebat diuturnæ vitæ. Verum secundo post partum die, circa vesperam redibant & debilitas & color iste coeruleus, cum difficultate spirandi, largaque sanguinis excretione per os & nares, sicque paulo post puerulus sine clamoribus motibusque convulsivis vitam brevissimam placide finivit. Quæsitus dein â parente, de repentinæ & inopinatæ hujus mortis causa, & unde copiosus iste sanguinis effluxus provenerit, respondebam, sanguinem primo observatum minime per funiculum umbilicalem, sed per alvum decessisse, quoniam in fasciola umbilicali atque linteolo, quo frustum umbilici involutum erat, ne tantillum quidem cruoris coagulati observatum fuit: Probabile ergo mihi videri, infantem ad partum pronum, per spurios partus dolores, ex spasmo ligamentorum inferiorum uteri, plus justo retentum, ipsique postea per inutiles parturiendi conatus, vim aliquam illatam, aut etiam per nimiam compressionem capitis in pelvi hærentis, vasculum quoddam sanguineum disruptum, sicque sanguinem primum ex capite per œsophagum ad stomachum delatum, dehinc per alvum ejectum fuisse, postmodum vero, via breviore per os atque nares prodiisse, concurrentibus inprimis multumque huc conferentibus vomendi conatibus, per mixturam supra allegatam excitatis. Exinde igitur sufficienter adparet, quam graviter hallucinentur ignaræ obstetrices, mordicus sæpe defendentes, infantem per tres & plures septimanas, capite ad pelvim devoluto, pedibusque sursum vergentibus, recht gewand, sine periculo vitæ adhuc in utero commorari posse, quod sane falsissimum est; siquidem infans inverso capite vix ad tertium usque diem persistere potest, quin aut moriatur, aut expellatur: Caput enim ejusdem tanquam gravissima pars cor-

 poris,

poris, ordinarie premendo orificium uteri aperit, & pedes calcitrando fundum irritant, qui, constringendo sese, necessarium infantis egressum plurimum adjuvat. Decipiuntur autem obstetrices non raro per declinationem uteri, quæ & minoris staturæ & obesis fœminis, ab incluso grandiore fœtu, ultimis gestationis mensibus non raro accidit; venter enim tunc nimium extenditur, & uterus extrorsum vergit, es sencket sich die Mutter und wird vorhängend. Quando igitur uteri fundus tanquam pars superior, extrorsum vergit, tunc orificium ejus, tanquam pars inferior, rectam semper cum fundo servans lineam introrsum inclinat, sicque ligamenta uteri rotunda irritantur, spasmodice afficiuntur, partus dolores spurii excitantur, tandemque partus difficilis & summe periculosus subsequitur, præcipue quando ejusmodi fœmina parturiens ab ignara obstetrice, quæ conditionem uteri neutiquam intelligit, ad promovendos istos motus præmature excitatur. Orificium enim internum uteri, tali in casu, non correspondet cum externo hiatu, sed maximam partem patet versus os sacrum; hinc infans, si recte proceditur, successive collo reflexo in lucem prodire cogitur. Si vero secus proceditur & parturiens ad ordinarios partus labores nimium adstringitur, pellitur quidem infans versus os sacrum, sed non expellitur, siquidem per strenuos labores matris, caput infantis, circa prædictum os hærentis, plus justo comprimitur, imo facile penitus diffringitur, sicque infans in utero adhuc hærens enecatur, & exinde partus difficilior redditur, mater quoque, propter vires per excessivum laborem plane exhaustas, non raro derepente moritur, infantisque fit sepulchrum. Fundata autem hæc esse tam in ratione, quam experientia sequentes casus ulterius demonstrabunt: Priori mense uxor pictoris cujusdam, persona minimæ staturæ, temperamenti sanguinei, ætatis 28, annorum, primipara,

post-

postquam per integros tres dies strenue, sed frustra in partu laboraverat, me ad obstetricem consilio iuuandam vocari jubet. Advenio, et invenio posticam partem capitis fœtus, orificio externo uteri insistere; aderant continui partus dolores, sub quibus tamen ne unguem quidem latum infans ulterius progrediebatur, sed quasi infixus ibidem hærebat. Improbabam obstetricis sellam, & præparare jubebam decentem lectum in mensa, (ein Kreiß-Bett) cui dein parturiens fœmina ita imponebatur, ut scapulis decliviorem, clunibus vero elevatiorem situm obtineret, & quidem ad marginem mensæ, ubi intra crura divaricata stabat obstetrix, cui imperabam, ut ante omnia frontem infantis intra perinæum hærentem, ad exitum promovere tentaret, quod etiam utrarumque manuum ope feliciter obtinebat, dum cessantibus partus doloribus, una manu perinæum, ad rupturam usque extensum, retrorsum proprimebat infra caput fœtus, altera autem manu frontem ejusdem apprehendebat & antrorsum promovebat. Et hæc omnia adeo feliciter succedebant, ut intra quadrantis horæ spatium primum caput grandiusculum, totum confractum, postea reliquum corpus pusillum atque squalidum, prodirent, manifesto insimul indicio, difficilem huncce partum unice declinationi uteri & conjunctis excessivis conatibus parturiendi adscribendum fuisse. Eodem fere tempore ad uxorem primiparam ministri ecclesiæ vocabar, ubi obstetrix asseverabat, infantem jam stare prono capite in pelvi. Quærebam hinc ex ipsa, an uteri orificium sit apertum? respondebat: minime. Hanc ergo insignem ejus stultitiam redarguens, & quod nondum aperto utero de conditione fœtus prodituri, nihil certi dicendum sit, ipsi monstrans, patienter ulteriorem successum expectare jubeo. Brevi post oriuntur veri dolores ad par-

tum, obstetrix clanculum involucra rumpit, & infans non capite, sed pedibus in lucem prodiit.

(Rotenburgo ad Tubarim Altorfium transmissæ d. 16. Novembr. 1733.

OBSERVATIO LIX.

DN. D. PETRI ANTONII MICHELOTTI,

De

Saliva sacchari ad instar dulcissima.

CОnsistentis ætatis Matrona, ex Patritia Barbadicorum gente præstantissima oriunda, copiosam salivam sacchari dulcedinem obtinentem ineunte anno 1733. exspuere cœpit, huicque excretioni oppido raræ, sequente Martio mense notabilis præcordiorum constrictio & magna spirandi difficultas, matutinis præcipue horis ingravescens, jungebatur. Copiosiorem ergo humorum affluxum â salivalibus glandulis & faucibus avertere intendens, potionem præscripsi ex manna selectissima, simul cum tartari solubilis scrupulis sex in decocti pectoralis unciis quinque & aquæ totius citri modica portione dissoluta. Uno alterove die interposito, cum admodum anxia esset respiratio, sanguinis circiter uncias decem nobilissimæ ægrotanti ex pede detrahi, jusculumque ex juniori pullo, in cujus ventre erysimi, trifolii fibrini atque hyssopi folia unacum enulæ campanæ radice, cucurbitæ ac melonum contusis seminibus recondita erant, quatuor ante prandium horis offerri

ferri jussi. Per hanc ergo sanguinis detractionem obtinui equidem, ut anhelosa illa respiratio duntaxat octavo quolibet die, horis ante lucanis reverteretur, non autem ut salivæ sapor immutaretur, aut ejus copia minueretur. Quamobrem præterquam quod modo centaurii minoris flores, modo absynthii, modo hortensis rutæ folia, modo peruvianum corticem, modo gentianæ radicem, sæpe prædicti trifolii spiritum, interdum commune, nonnunquam essentiale sal ex absynthio, in ore continere suaderem, insuper quoque ut essentiæ absynthii cochlear paulo ante prandium & cœnam assumeret, nec non catapotia, alvum & urinam leniter moventia, ex millepedibus, aloe soccotrina atque gummi ammoniaco, rosarum succo soluto, summo statim mane devoraret, instanter rogabam. His ita usque ad proxime elapsum Majum mensem continuatis, respirationis quidem difficultas, singulis octiduis recurrens, sublata fuit, nequaquam vero dulcissimæ salivæ excretio substitit; unde, cum succinatum quoque nitrum, quotidie ad grana xxx. per duas fere septimanas assumtum, nihil proficeret, ad sub-acidi saporis medicamentum, humores plerumque per intestina, quandoque per urinæ vias ducens, confugi, quod ex tartaro chalybeato vulgo dicto, & tartari sale constat. Hoc ergo remedio in gallinaceorum pullorum jure centum & viginti granorum pondere liquato & per plures dies assumto, alvus movebatur, salivæ effluxus multum imminuebatur, & dulcedo nonnihil immutabatur. Ad resticantia autem in sanguineo sero fluida salia, sacchari particulis in aqua copiose solutis valde similia, immutanda, ut frigidissimam aquam, malorum limoniorum succo acidam redditam, subsequenti æstate nobilissima Matrona singulis diebus, præsertim circa vesperam ebiberet, hortabar, siquidem etiam eandem ob caussam toto ptyalismi cursu vescebatur carnibus tum elixis, tum

tum affatis, modo dicto acido ſucco & ſale aſperſis, modo avium, modo caponum, modo vitulorum, interdum juniorum palumbium, ſæpius pullorum gallinaceorum, nec non ſalſamentis diverſi generis, potione ex Caffe granorum decocto, atque rubro vino, inter generoſum ac tenue medio, ad tollendam ſalinam iſtam dulcedinem meo conſilio utebatur.

Dum ergo jam in conſignanda notatu utique digna hac hiſtoria occupatus ſum, ſaliva naturali quidem quantitate, colore & fluiditate, non autem ſine ullo omnino ſacchari ſapore profluit, atque ob id eadem prorſus, quæ hactenus enumeravi, juvantia auxilia ſedulo adhibere pergo, conjunctis inſuper frequentioribus exercitationibus campeſtribus, ad promovendam copioſiorem particularum halituoſarum, per inviſibilia univerſæ cutis foramina alias prodeuntium ſecretionem, ſalivæ excretioni plane atque omnino contrariam, laudabilem tandem quoque abinde ſecuturum ſperans effectum.



SCHO-

SCHOLION.

CUm alium notabili huic casui analogum in HIPPOCRATIS operibus & MANGETI Bibliotheca Medico-Practica frustra quærerem, neque etiam apud alios celeberrimos observatores, ut *Guilielm.* BALLONIUM, *Fel.* PLATERUM, *Dan.* SENNERTUM & *Mich.* ETTMULLERUM, similem invenirem, tandem *Franc. de le Boe* SYLVII *cap. 51. Lib. I. Prax. Med. de salivæ in glandulis maxillaribus conglomeratis tam superioribus, quam inferioribus præparatione læsa*, attente perlegens, eum quidem *saporis salivæ fastidiose dulcis, Saturni saccharum superantis, vel æquantis*, mentionem injicere, nullam autem prorsus de ejusmodi dulcis salivæ profusione in numerum *morborum fluentium* â *Corn.* CELSO apprime ita dictorum, merito referenda, allatam deprehendi observationem. Dehinc inclytæ Cæsareæ Naturæ Curiosorum Academiæ Ephemerides evolvens, tandem *Dec. II. Ann. III. p. 337. & Ann. VIII. p. 147.* in Clarissimorum Virorum *Joh.* BURGII & *Salom.* REISELII, *de saliva ad nauseam usque dulci*, incidi observationem protinusque perspexi, eos non tantum quod ad morbi raritatem, sed & quod ad curandi rationem attinet, fere ex toto mecum convenire. Primum enim *Olai* BORRICHII brevissimam *de saliva saccharina* adducunt historiam, nec non quæ de ejusmodi per-raro salivæ sapore modo laudatus SYLVIUS memoriæ prodidit; deinde emeticis medicamentis cum sale ammoniaco depurato remixtis, remediis martialibus, clyssis mineralibus cum succo ex chelidonio minori & acetosa herba expresso, in ore detentis, diversisque insuper salibus, tum fixis, tum volatilibus, atque aliis ejusmodi, *antiscorbuticorum*

 nomi-

nomine venientibus medicamentis, ægrotantes ſuos ſe reſtituiſſe ſubjiciunt.

Veruntamen hoc inter ipſorum obſervationes & caſum â me relatum adhuc intercedit diſcriminis, quod partim ſalivantium ab illis commemoratorum neuter de qualicunque conqueſtus ſit ſpirandi difficultate; mea vero ægra hanc primo quotidie, tum poſt octavum ſemper diem recurrentem experta fuerit; partim etiam illorum ſalivatio per paucas ſaltem hebdomadas, noſtræ vero mulieris ultra octo menſes duraverit. Interim ſicuti Clariſſ. REISELII monialis ſana fuit, & vultu roſeo nihil doluit, ita quoque Nobiliſſima Matrona noſtra, quod ad cibum, ſomnum, nutritionem, corporis robur & faciei colorem ſpectat, naturaliter plane ſe habebat & adhuc dum habet; nulla tamen in ejus lingua, faucibus palatove, ut in illa contigit moniali, â peculiaris generis ſalibus hic illic inducta ſunt ulcuſcula, ſed ſola tantum gingivarum caro aliquantum exeſa eſt.

De Tabe â copioſa ſecretione ſalivæ orta breviter tractans *Rich.* MORTONUS, *Lib. I. cap. 9. de Phthiſi*, nullam quidem mentionem facit, an idem quoque effectus â nimia excretione ſalivæ inſolitam dulcedinem exhibentis, ſit pertimeſcendus, ſed ſaltem in hac pariter ac reliquis iſtius contabeſcentiæ, â nimiis humorum profuſionibus, diabete puta, diarrhoea, dyſenteria aliiſque inductis, diuturnum *lacteæ*, ut vocat, *diætæ* & ciborum evchymorum, imo etiam (ſi opus fuerit) aquarum mineralium chalybeatarum uſum, conducere monet. Interim tamen, quemadmodum exceſſivam dulcis urinæ excretionem, ſubtracto ſic partibus corporis noſtri ſolidis nutritio liquore ſæpius extrema excipit macies; ita eandem quoque ex immoderato ſalivæ ſacchari dulcedinem æmulantis effluxu,

eadem

eadem omnino ratione oriri posse nullus dubito. De reliquo ex ratione curandi præternaturale illud vitium salivæ facile nunc innotescit, ita dictos *morbos fluentes*, ab excedentibus omnis generis humorum in nostro corpore secretionibus originem suam trahentes, medicamentis potius derivantibus, seu humores in alios canales avertentibus, ipsorumque qualitatem p. n. corrigentibus, curandos esse, quam adstringentibus humorumque ductus obstruentibus. Hinc etiam hac ipsa methodo in præsentiarum adhuc protraho vitam Illustrissimi atque Excellentissimi Senatoris, *Antonii Donati*, chronica tabe, cum conjuncto inexpugnabili ciborum fastidio & continuo ventriculi dolore gravativo, afflicti & fere confecti, in eumque deplorandum statum ex abusu lactis asinini & unguenti cujusdam mercurialis, post prægressam nimiam salivationem ac incoercibilem fere alvi fluxum, partim dysentericum, præcipitati; In eo enim, prævia abstersione muci sanguinolenti in intestinis crassis collecti, ope vini malvatici tepidi (in cujus libra una radicis Ipecacuannæ in pollinem redactæ uncia dimidia per noctem macerata fuit,) sexta qualibet hora ad uncias quatuor per duos vel tres dies exhibiti, postmodum non lacte asinino, (quo quidem suo jam ævo HIPPOCRATEM ad corpus eluendum purgandumve usum fuisse novimus, & ejus *Libro de Diæta*, maxime autem Eratolai, torminibus ventris nimium excruciati, historia discimus,) sed bubulo, in quo candentis chalybis frustula extincta erant, unacum medicamenti specifici stomachici, â POTERIO inventi granis xxx. singulis matutinis horis in ejus libra assumtis, non sine fructu utor, scilicet ad fœdos salivæ in ore, ventriculo, primisque viis collectæ odores atque sapores in naturalem statum redigendos, ad mitigandum alvi fluxum totumque corpus nutriendum; quem in finem quoque hoc idem lac, prævia leni ebullitione

cum flor. rosar. rubr. & rad. consol. maj. & dein adjecta modica portione sevi hircini liquati, tandemque candefacto chalybe paulo spissius redditum in forma clysteris semel aut bis quotidie ad uncias circiter tres, cum laudabili pariter effectu, injicere jubeo.

(Venetiis Altorfium transmissa X. Calend. Decembr. 1733.)

OBSERVATIO LX.

DN. D. JOH. ADAMI GOERITZII.

De


Differentia inter Aloën veram vulgarem officinalem, & Aloën Zocotorinam.

NOtabile est, quod COMMELINUS habet in *præludiis botanicis:* Aloën officinalem, si semel ad florem pervenerit, singulis postea annis, novo caule producto, florere. Verum hoc esse αὐτόπτης ego testari possum. Floruerat anno præterito Aloë talis vulgaris in horto domestico Viri maxime reverendi atque doctissimi *Dni Metzgeri,* Superintendentis nostri, Consistorialis & Scholarchæ gravissimi. Postquam defloruerat plenarie, caule abscisso, radix servata in loco temperato, ineunte vere, denuo terræ commissa fuit, unde brevi post, jucundo spectaculo, novus caulis succrevit, cum quatuor ramis, cum tamen eadem aloe, anno præterito duos tantum ramos habuerit,

juxta

juxta figuram quam exhibuimus in Illustris nostri Domini Præsidis *Miscellaneis physico - medico - mathematicis anni 1728. mense Augusto p. 1274.* Hos quatuor ramos, justo ordine sibi oppositos, caulis medius longitudine dimidii pedis superavit. Florere cœpit planta hæc exotica d. XVI. Augusti, duravitque ad finem usque Septembris, ut in festo Michaëlis aliquot flores adhuc exstiterint, sicque per sex integras septimanas floruerit. Numerus florum ad quingentos circiter excrevit. Expectandum nunc erit, an futuro anno hæc planta reditura sit cum fœnore; forsan triplicato tunc ramorum & florum numero comparebit. Cum etiam maxime revendus Dominus Possessor fere omnes Aloës species colat in horto suo domestico, inter quas etiam duæ Zocotorinæ visendæ sunt, omnes illas bene perlustrantes, id maxime quæsivimus, ut notam characteristicam sistere, & differentiam, quæ est inter *Aloën vulgarem officinalem*, TABERNÆMONTANO & COMMELINO sic dictam, & *Zocotorinam* indicare possemus. Non aliam autem inter utramque differentiam intercedere vidi, nisi quod sint duæ species unius generis, ubi sequentia notantur: 1) Utraque *caulescens* quidem est, vulgaris tamen Zocotorinam magnitudine sextuplo superat. 2) *Foliis* differunt, quæ ratione *longitudinis*, in vera vulgari, quatuor circiter spithamas, vel quod idem est, tres pedes conficiunt, in Zocotorina parum ultra duas; Ratione *latitudinis*, in vera vulgari integram viri palmam inferius æquant, in Zocotorina vix duos transversos digitos: Ratione *crassitiei*, in vera vulgari duos itidem transversos digitos, in Zocotorina vix dimidium ejusmodi digiti transversi efficiunt 3) *Spinis* differunt, quibus quidem utraque in foliorum lateribus armata est, hoc tamen cum discrimine, quod in vera vulgari hæ spinæ integri pollicis latitudine & amplius â se invicem distent; in Zocotorina autem sæpe vix ultra majo-

joris cultri dorsum. 4) *Flore* discrepant, qui in vera vulgari coloris lutei est, in Zocotorina vero sub-purpurei, caule gracili, vix ultra duas spithamas longo, & ramis vel plane nullis, vel uno, aut duobus saltim minoribus ornato, cum contra caulis veræ vulgaris in ea, de qua hactenus sermo nobis fuit, sex fere pedes altitudine æquaverit, & præter caulem medium altiorem, ramis insuper quatuor lateralibus, pedem itidem & dimidium longis, vestitus fuerit. 5) *Succo* etiam distinctæ sunt, vix autem odore & sapore, excepto colore, qui itidem variat: Zocotorina enim succum stillat citrinum, vulgaris autem subfuscum, & si utrique exsiccato succo aqua fontana affunditur, ab aloë vulgari rubicundum colorem induit, & instar vini rufescit cum splendore; aloe autem Zocotorina illam citrino colore tingit, constanter sic permanente. 6) *Effectu* forsan etiam differunt, cum Zocotorinæ succus delicatior habeatur. Vulgaris aloës succus equidem satis quoque efficax est, modo sola exstillatione colligatur; quidam autem perhibent, quod folia sæpius exprimantur, ut major succi copia obtineatur, & sic debilioris virtutis illum evadere, cum succum mucilaginosum purgantem virtutem vix habere per experientiam abunde jam constet.



OBSER-

OBSERVATIO LXI.

DN. D. JOHAN. ADAMI GOERITZII,

De

Αὐτοχειρία quater tentata.

Corpori proprio noxam qui infert, eum Sacra Scriptura sceleſtiſſimum vocat. Hinc αὐτόχειρες ab honeſtis hominibus non ſepeliuntur, ſed Magiſtratus juſſu, ab infamibus excoriatoribus in loca inhoneſta deportantur & defodiuntur. Inquirendum tamen eſt prius ſtudioſe & chriſtiano animo, an talis αὐτόχειρ ſe ipſum occiderit ex deſperatione, vel ex metu gravioris pœnæ, ex feroci vindicta, impatientia, vel alia cauſa inexcuſabili: Item, an ſanæ mentis & ſani corporis ante tale facinus fuerit? vid. FREINSHEMIUS *ad Curt. 5. 9. 6.* & ibi citati. RUPERTUS *in indice ad Flori obſerv.* it. *Indic. ad Diſſertat. ad Valer. Max.* inprimis *p. 159.* ubi LIPSIUS notatur patronus uti Catonis ibidem, ita generatim ſceleris hujus, qui etiam picturam Arriæ ſeſe interficientis oculis voluit obverſari, vid. *Cent. III. Ep. 82. ad Belg.* & THOMASIUS *ad Plin. 3. 16. p. 206.* KIRCHMAIERUS *ad Attic. Cornelii p. 872. Cornel.* RUFUS *apud Plin. Lib. I. Ep. 12.* BERNEGGERUS *qu. 30.* add. RUPERTUM *ad Vellejum p. 170.* Nobile par conjugum ex gentilium ſenſu, qui mortem ſibi accerſivere, videſis apud PLINIUM *Lib. IV. Ep. 24.* Aliter autem res ſe habet cum melancholicis, qui neque ſani corporis, nec ſanæ mentis haberi poſſunt, ſed ob humores in corpore craſſos, ſanguinem in quantitate & qua-

litate

litate peccantem, ob depressos spiritus, extraordinarios motus spasticos, propressorios, restrictorios, congestorio-eluctatorios, patiuntur, maxime circa lienem, tanquam asservatorium temporarium nimii sanguinis, unde semper meditabundi sedent, suspiria ducunt, terroris pleni quodvis timent, mera tristia sibi fingunt, ac ob phantasiam corruptam, tandem ita pertæsi vitæ suæ evadunt, ut nihil magis desiderent, quam mortem. Αυτοχειρίας talis quater tentatæ exemplum ante annum hic Ratisbonæ habuimus in vidua 65. annorum, sanguineo-melancholici temperamenti, longioris & macilenti habitus corporis, quæ olim laudabatur, quod pia honestaque sit fœmina, siquidem templum sedulo frequentabat, suamque oeconomiam prudenter dirigebat ac administrabat. Hæc tandem per anni circiter spatium mœsta ingrediebatur minusque solicita erat de rebus domesticis, taciturna sedebat, multos gemitus emittebat, imo sæpius lacrymas effundebat, quod sibi res angusta sit domi. Quærentibus cur tam mœsta videretur, plerumque respondit: Anxietates se circa cor sentire, omnia mundana tædio esse, seque nihil magis quam mortem expetere. Hinc 1731. mense Novembri in Danubium sese præcipitaverat, statim autem iterum ab adstantibus extrahebatur. Anno 1732. mense Januario, arrepto cultro culinam intrat, collumque supra labrum tenens, fauces sibi præscindebat. Deo autem sic dirigente, justo adhuc tempore, post vulnus inflictum, alia fœmina supervenerat, quæ attonita multo clamore vicinos advocavit. Re indicata Magistratui, ad ædes pauperum deportata, Chirurgi urbis jurati curæ demandabatur. Intruserat autem cultrum principio tracheæ ejusque duas annulos cartilagineos superiores pertuderat, per quod foramen exspirando aër egrediebatur, cum stridore aut sibilo instar anseris. Interim licet hæc mulier, ob αὐτοχειρίας facinus â Theologis

duris verbis, uti meruerat, increpata fuerit, ferioque admonita, ut ad meliores rediret cogitationes, nondum tamen destitit, propriis manibus fata sibi accersere. Vulnus enim inflictum nondum consolidatum erat, cum præter opinionem, noctu ê lecto surgeret, reliquis dormientibus vulnus deligatum digitis dilacerans, & extracto sub fornace ligni frusto, omni vi, multis ictibus frontem sibi ac tempora ita percutiens, ut dormientes in eodem cubiculo, tandem expergefacti, eam non solum cruoris & suggillationum plenam deprehenderent, sed & â Chirurgo vocato integumenta communia â fronte cum pericranio separata invenirentur, vid. Fig. III. Tab. III. Tandem Deo benedicente, iterum curata fuit ab omnibus istis læsionibus admodum fonticis. Hinc mense Julio, quarta vice manum sibi inferre decreverat, eumque in finem vitri frusto venam jugularem sibi discindere cœperat, sed opportune hoc observatum fuit ab adstantibus, vulnusque leviter inflictum facile consolidatum. Jussu igitur Magistratus nunc alitur in dem sogenannten Pfründhoff, & ne amplius sibi manus violentas inferat, omnium ibi viventium curæ ac oculis commissa est.

(Ratisbona missa Altorfium d. 23. Decemb. 1733.

OBSERVATIO LXII.

DN. ALBERTI SEBAE.

Historia exoticorum quorundam medicamentorum simplicium.

CUm varia occasione meas in manus pervenerint quædam hactenus minus cognita, aut minus saltem usitata exotica simplicia, haud injuste me facturum arbitratus sum, si ea, quæ de ipsorum natalibus ac viribus simul mihi innotuerunt, cum publico communicarem. Occurrunt ergo

I. *Radices Acori veri palustris, vel Sanlay:*

Crescunt in regno Chinensi, circa urbem *Canton* & in Provincia *Suchuam*, ubi recentes in tenues taleolas scissæ, siccatæ, in plumbeis dein receptaculis, *Kanaster* dictis, aut cistis plumbo intus obductis, uti herba Thee, asservantur, ne virium jacturam faciant, aut corrumpantur ab aëre. Qui eas ex China huc attulêre, referunt, Chinensibus illas magno in precio esse ob plurimas, quibus pollent, virtutes medicatas, in ardentibus præcipue febribus, aliisque malignis & contagiosis morbis. Dantur in pulvere â XX. ad XL. grana bis vel ter de die cum vehiculo idoneo. Extrahitur & inde cum spiritu vini essentia, guttatim febricitantibus exhibenda. Vis earundem bezoardica & alexipharmaca in omni contagio, & morsu animalium venenato-

natorum, eximia laudatur. Serviunt & usui externo, dum pulvis vino subactus, parti affectæ applicatur. PLINIUS *Lib. XXV. cap. 13.* radicis hujus suo jam ævo mentionem fecit; tum & DIOSCORIDES *Lib. I. cap. 2.* & THEOPHRASTUS, MATTHIOLUS, aliique illam cognovere, acorum verum orientalem semper pro optimo habentes, qui tamen â multis retro annis hasce in oras nunquam pervenit. Ex quo autem Societas Batava Indiæ orientalis naves mercatorias recta via Chinam versus misit, hujusce acori quandoque reddimur compotes. Et certe alia plurima rara æque ac utilia hæc nobis occasio suppeditat: Dolendum duntaxat est, quod, qui ea adferunt istis ê locis, indagandæ eorum indoli atque virtuti tam parum operæ impendant.

II. Placenta Catagamber Japanica.

Hæ placentæ parantur de flore subtilissimo succi *Cachou* Japanici, quem e foliis atque fructibus arborum Areck dictarum extractum, Japanenses certa quadam terra argillacea, pingui & molli, terræ Lemniæ, vel bolo Armenæ simili, remiscent, mistum ingentibus cupis aut doliis immittunt, & adfusa aqua tamdiu calori solis exponunt, donec massa fermentationem concipiat: Qua nata, partes subtilissimæ istius massæ in superficiem enatantes, instar cremoris lactis, sese colligunt, & accurate dein separatæ in modulos orbiculares infunduntur, ut aliquot dierum mora ibi spissescant: Tum vero placentæ asseribus impositæ exsiccantur porro, atque usui asservantur, colore pariter ac magnitudine discrepantes. Externa earum superficies saturate flava quasi crusta obducta est, intus dilutior est flavedo. Japoniæ incolæ *Catagamber* has placentu-

las adpellant, iisque multis in morbis utuntur: Neque enim duntaxat in acutis febribus ad demulcendum pectus, cum aqua instar Thee infusa adhibentur; sed etiam in angina, aliisque inflammationibus, aphthis, ingenti siccitate & æstu: Si enim frustulum talis placentæ in ore detinetur, egregie humectantur partes aridæ, glandulæ salivales aperiuntur, & sapor gratissimus undique sese diffundit. Adde, quod mucum & pituitam quoque abstergant, & ventriculum confortent, aliisque ejusmodi virtutibus salutiferis quam plurimis sint insignes.

Refero hæc, uti bona fide relata mihi sunt â viro quodam, qui diu in Japonia commoratus de hisce placentulis sibi largissime prospexerat, & quandam earum partem mihi quoque venum dederat. Egomet ipse tamen expertus testor, virtutes hujus præparati satis haud laudari posse. Residuum deinde illius massæ defloratæ, adhuc in cupa contentæ, probe agitatum, per cribrum in aliud vas trajicitur, relinquitur tum, donec factus sit graviorum particularum in fundum secessus, supernatans inde aqua decantatur, sedimentum in fundo hærens exsiccatur, inque massulas rotundas aut quadratas coactum, ulterius ad solem arefactum usui servatur sub nomine *Terræ Catechu*, cujus prolixiore descriptione, quoniam ubique satis nota est inter Medicos, merito supersedemus. Vid. de ea *J. B.* CHOMEL *Histoire des Plantes 4. Edit. T. 2. p. 452.*

III. Radices Salab ex Persia.

Has & plura alia hujus farinæ simplicia in *Thesauri Rerum Naturalium Tom. II.* descripsimus, ibique *Tab. LXXXIII.* Plantæ ipsius, cujus hæ radices sunt, iconem exhibuimus. Quum etiam & historia & virtutes medicatæ ea-

tæ earundem citato loco quam prolixissime traduntur, non opus est, iis ut hic inhæreamus diutius.

IV. Radix Ikan, sive Ikanzo.

Crescit in provincia Chinensi *Suchuan*, mole parva, oblongo-teres, tenuem in caudulam exporrecta, intus valde resinosa, flava instar Curcumæ, quam & aliis dotibus æmulatur, sapore tamen magis aromatico excellens. Chinensibus radix ista loco optimi medicamenti sanguinem purificantis & emenagogi, stomachici & carminativi est. Calefacit & sudores ciet. Dosis bis de die scrup. ij. ad drachm. j. in vino vel cerevisia, aut etiam cum aliis plantis aromaticis in vino vel spiritu vini infusa, digesta, bibitur.

V. Radix Tantzo.

Chinæ urbes *Ginan* & *Canton* eam proferunt, in substantia vel decocto cum rhabarbaro usurpandam, ut remedium probatissimum ad bilis acrimonam temperandam.

VI. Radix Casminaris, Mexicana.

Zedoariæ rotundæ radici satis affinis est; at in minuta frustula, instar Jalappæ albæ, scissa habetur, tenuibus hinc inde hispida fibrillis, & pro parte flava. Sapor idem est, qui Zedoariæ. Virtute pollet cephalica & stomachica; præsertimque in apoplexia usui est, fortis inde cum spiritu vini parata tinctura, cochleatim sumta & extrinsecus

etiam illita. Oleum ejus ſtillatitium linimenti quoque loco inſervire poteſt.

VII. Cortex Caſcali, ex nova Hiſpania.

Caſcarillæ ſimilis, at longior eſt & arctius convolutus, extus coloris ex albo cinerei, intus ruffi, ſaporis amaricantis aromatici. Natalis ei locus idem eſt, qui Cortici Chin-China, cui etiam proxime accedit. In febribus tam continuis, quam intermittentibus, uſurpatur vel ſolus, vel Cortici Peruviano remixtus, cujus vim auget & emendat. Extractum ejus cum ſpiritu vini paratum ventriculo debiliori egregie medetur.

VIII. Cortex Jubaba Peruvianus.

Gratiſſimus hicce & mire balſamicus cortex, per claſſiculam, quam Flotille vocant, ex America in portum Gaditanum, inde vero huc in Bataviam delatus, noſtras ſic in manus pervenit. Cordi præprimis confortando inſervire dicitur, quod quidem & ipſe ſæpius in ægris debilioribus uſu didici. Spiritus vini eſſentiam inde elicit vi balſamica ditiſſimam, ſimul & ſuaviſſimam, cujus guttæ L. ad LX. cum vino aut hydromelle recenti epotæ, pulmonum epatisque infarctui apprime conveniunt. Datur & in pollinem tritus ſolus, aut aliis appropriatis unitus. Saporis eſt gratiſſimi, & ſuavitate Vaynillam ſuperat, cujus hinc vices in Chocolata & aliis compoſitis commode ſupplere poſſet.

IX. Radix Pesoulina.

E Chinensi provincia *Junan* adfertur, â Maleyensibus adpellata *lac Tigrinum*, forte quod recens lactis instar candicante est colore. Forma nostratis vitis sylvestris radicem æmulari videtur. Extus nigro cortice obducta, intus Agaricum quasi refert, crassa cæterum & rudis, nullis aspera appendicibus, aut villis, nec ejusdem semper magnitudinis. Harum radicum crassissimæ meditullio gaudent duro, lignoso, resinoso. Quotannis equidem frondem illa virentem protudit, sed non nisi biennii aut triennii spatio radix ipsa eo usque adolescit, ut effodi queat, id quod & de rhabarbaro verum est. Radix in pollinem trita tritici coloris albedine refert.Singulari gaudet virtute confortante, debilibus, emaciatis, hæmoptoicis & empyicis, quam utilissima: Promovet enim suppurationem, acrimoniam sanguinis temperat, humores attenuat, novoque vigore circumagit. Junioribus hinc, senibusque proficua, ventriculo vires addit, deliquia & nauseas, gravidarum præcipue, abolet. Sequenti autem modo in usum vocatur: Radicis prius conscissæ aut contusæ unciæ binæ duabus & dimidiæ pintis aquæ pluviæ puræ incoquuntur, donec dimidia pinta ebullitione dissipata sit: Decoctum dein vel per colum trajicitur, vel quieti committitur, donec feces sponte subsederint, dein purum decantatur hujusque tantum quotidie, quantum 5. vel 6. vascula porceliana, Thee sorbillationi destinata, capiunt, calide assumitur. Confert hoc ejus decoctum quoque nephriticis, & quos catarrhi acres aut lentæ febriculæ infestant. Pulvis radicis etiam adhibetur â gr. XX. ad XL. cum idoneo vehiculo, bis vel ter de die. Plurimi fit radix hæc â Chinensibus, &

pro

pro arcano etiam habetur; quo nomine & nobis tradita est. Lusitanis atque Lojolistis in China degentibus inventio ejus debetur.

(Amsteledamo Altorfium missa d. 23. Mart. 1734.)

OBSERVATIO LXIII.

DN. D. JOHANN. SALTZMANNI.

De

Fœtu monstroso bicorporeo, manu obstetricia extracto.

ANna Maria Elsasser, spuria, temperamenti phlegmatico-melancholici, annum ætatis suæ trigesimum secundum agens, subreptitio amore circa Festum Paschale anni 1730. â milite Helvetio imprægnata, postquam primis graviditatis mensibus febre tertiana laboraverat, & per reliquum gestationis tempus inordinata diæta, inprimis autem fructibus horæis nutrita fuerat, Nosocomio civitatis hujus excepta est, ac tumore pedum œdematoso, postea in dies ita aucto, ut crura non tantum, sed & infimum ventrem occupasset, correpta, nec non dorsi continuis iisdemque intensis doloribus defatigata, tandem (obstetrice ita referente) die decimo sexto mensis Decembr. anni 1730. circa horam sextam matutinam veris ad partum nixibus obruitur. Membranæ hinc fœtum cingentes rumpuntur, aquæ in illis contentæ copia præternaturali effluunt,

fluunt, partusque dolores aucti caput infantis per pelvis ossa in vaginæ usque medium pedetentim quidem protrudunt, sed cum ad exitum perducere non valuissent, illo ibi ad quartam usque horam diei decimi septimi pomeridianam immobili subsistente, Experientissimus Dn. D. *Fridius*, rei obstetriciæ magister hujus urbis juratus dexterrimus, in auxilium obstetricis vocatus fuit. Hic accedens, præter parturientis abdomen, circumcirca umbilicum maximopere acuminatum ac elevatum, infantis caput loco dicto ita firmiter infixum deprehendit, ut nullo modo digitum suum annularem, multo minus totam manum, infantis caput inter & vaginæ latera in uterum immittere, pedes ejus prehendere, ac horum ope infantem inversum educere potuerit. Proposita hinc fuit operatio illa, quæ instrumentorum auxilio fœtus caput primum extrahit, verum cum parturiens viribus adhuc dum bene constaret, nec non validos æque ac frequentes nixus sustineret, inprimis autem unicum illud & certissimum tali in casu infantis in utero mortui signum, cuticulæ nimirum à substrata cute separatio, nondum sese sisteret, suasit, ut operatio illa procrastinaretur. Die autem 18. Decembr. cum interea infantis caput ne quidem ad lineæ unius latitudinem ultra descensum fuerit, in ejus vero extremo cuticulæ separatio tunc apparuerit, extractionem fœtus jam demortui, ut matris vita servetur, sub auspicio divino versus horam decimam matutinam ita aggressus est: Parturiente primum in lecto transver-

ſim reſupinata, inſtrumento, perforatorium cranii dicto, calvariæ integumenta, verticis oſſa membranasque cerebrum cingentes unico impulſu transfodit, foramini inde efformato, ſerram capitalem ab ipſo vocatam, indidit, oſſa cranii ejus reciprocatione invicem diſſecta manu extraxit, tamque amplam inde nactus eſt calvariæ aperturam, ut cochlear dentatum, à figura ita dictum, facili negotio cerebro inferre, hoc illius ope exhaurire, lateralia capitis oſſa poſtea comprimere; ſicque latam ac rotundam antea calvariæ circumferentiam, nunc in acuminatam ac mole parvam mutatam, extractioni eo aptiorem reddere potuerit; hanc dein manu apprehenſam, forti attractione quidem educere, ſed irrito labore, conatus eſt; ſubſtitit enim caput æque ac corpus infantis immobile: Alio ergo modo ad fœtus eductionem promovendam res aggredienda ipſi erat; nimirum cum oſſa calvariæ compreſſa vaginæ cavitatem nunc ampliorem effecerint, manum ſuam ſubter caput infantis facile inſinuare, totam ejus faciem, verſus latus parturientis in vagina ſiniſtrum reſpicientem, palpare, imo maxillam illius inferiorem duobus digitis ſub mento inſtar unci recurvatis comprehendere, ſicque ejus ut & reliquæ calvariæ extractionem denuo tentare; cum vero infantis corpus attractioni licet forti tunc adhibitæ æque ac antea reſtitiſſet, nihil præter dictam maxillam inferiorem, jam duas in partes eo loco, quo mediante cartilagine in fœtu cohæret, divulſam, educere potuit. Tanta hæc &

in

in praxi ſua obſtetricali hactenus nunquam obſervata corporis infantilis renitentia, eum, ut brachium fœtus quæreret extraheretque, commovit; verum cum hunc in finem manum dextram, juxta ductum lateris vaginæ ſiniſtri, fœtus axillæ ſiniſtræ admoviſſet, en! in aliud infantile caput, oſſibus pubis lateris ſiniſtri parturientis infixum incidit, quod, cum nullis propriis, ſed cum priore capite communibus membranis cinctum obſervaſſet, monſtroſam fœtus conformationem ſuſpicatus demum eſt, ſimul, dum ulteriorem viam omnem manui occluſiſſet, nec antrorſum trahi, nec retrorſum pelli potuiſſet, eum eo adegit, ut manus dextræ ê vagina extractæ loco ſiniſtram lateri oppoſito ad axillam usque infantis dextram immiſerit, brachiumque hinc ejus eduxerit; poſtea collum capitis compreſſerit, faſcias circumvolverit, ac tandem manu dextra faſciam, ſiniſtra vero brachium fortiter quidem, ſed iterum incaſſum attraxerit, id tamen effecit, ut brachium æque ac collum fœtus â corpore ejus reliquo, immobili ſemper ſubſiſtente, inde ſeceſſerint. Ultimus ergo, præſentibus hiſce circumſtantiis, idemque unicus, infantem nimirum per pedes ejus extrahendi modus, ſupererat, quem ut denique abſolveret, manum ſiniſtram juxta ductum lateris vaginæ dextri, detruncatæ primum fœtus axillæ, hinc coſtis ejusdem lateris, poſtea dextræ natium illius admovit, pedem dextrum ibi obvium prehendit, vaginæ induxit, ac, an hac ratione corpus

 infan-

infantis totum vertere atque educere posset, tentavit; sed cum nec hoc voto respondisset, pede illo in vagina relicto, manum, istius per latus interius, ad partes usque fœtus genitales ascendendo, utero rursus immisit, pedem sinistrum in dorsum reflexum apprehendit, & ad priorem adduxit, mox utrisque unica manu prehensis, infantem ad coxas usque eduxit, has postmodum binis manibus arcte amplectendo, ac omni, qua poterat, vi attrahendo, totum reliquum corpus monstrosum, è duabus gemellis invicem adnatis compositum tandem extraxit. Tantus ceterum monstri hujus extrahendi labor, quem parturiens per duarum horarum spatium summa animi constantia sustinuit, vires ejus ita penitus exhausit, ut puerpera nunc facta, postquam alium in lectum immissa fuerat, mox convulsivis motibus correpta animam exspiraverit. Cadaver ejus cultro anatomico subjectum, magnam aquarum copiam, integumenta infimi ventris magis, quam ipsam abdominis cavitatem, distendentem, uteri jamjam debite contracti membranam interiorem aliquatenus sugillatam, vaginam hinc inde læsam, ossa pubis vero in medio diffracta exhibuit.

Fœtum hunc monstrosum gemellæ constituebant, exteriore habitu satis formosæ, fœminei sexus, duos pedes Parisienses longitudine adæquantes, â naturali statu haud deflectentes, nisi quod â suprema & anteriore thoracis regione usque ad umbilicum adversa facie sibimet unitæ

tæ essent, & sinistra dextram obesitate aliquantisper superaret. Duo capita, in quibus nullum errantis naturæ vestigium deprehendebatur, suum peculiare habebant collum, quaterna brachia, singula debite efformata, è summo humero suo quæque loco emergebant: Thoraces cum integumentis abdomen ambientibus ad umbilicum usque uniti, simplices externa facie mentiebantur cavitates, & eodem plane modo in uno, ac in altero, conformati erat latere. Umbilicus unicus, in quem simplex desinebat, ex unica (non uti in gemellis invicem separatis naturaliter observatur, per membranam longitudinaliter divisa) sed eo latiore atque densiore placenta, funiculus, in angulo nexus, utrique fœtui communis erat, à quo loco usque ad extrema in distincta denuo separabantur corpora, hinc binæ partes genitales, quaterni pedes, satis concinni, situ itidem ex adverso, ut reliqua gemina membra, locabantur. Exterior hæc monstri forma erat.

Intimiora vero penetralia dissectione accuratiore perscrutando, invenimus hepar simplex, primo aspectu, & inter duos hos fœtus in medio quasi suspensum, sic ut ab utraque parte gibbum lævigatumque esset, & quovis in latere suo peculiari ligamento lato, communiter suspensorio dicto, cum peritonæo necteretur. Molem tamen hanc plus justo majorem, ex duplici hepate in parte concava concreto, constitisse verosimile est; duæ

quippe aderant veſiculæ felleæ, bile turgidæ, quarum unicuique proprius ductus in duodenum erat. Reliqua tam dextri quam ſiniſtri fœtus abdominalia viſcera omnia & ſingula, omentum, ventriculus cum inteſtinis, tam tenuibus, quam craſſis, lien, pancreas, renes cum ureteribus & veſica urinaria, uterus cum ovariis, quæ ſimplicia eſſe debent, in duplo, & quorum bina naturaliter adſunt, in quadruplo ſuo quæque loco poſita erant, optime conformata, & ab invicem ſeparata. Funiculus umbilicalis, uti jam monui, ſimplex quatuor conſtabat arteriis & unica vena; diameter vaſorum eandem ac naturaliter eſſe ſolet, proportionem obſervabat: Hæc vero, ſcilicet vena, quamprimum abdomen ſubierat, in duos diſpeſcebatur ramos, quorum alter ad ſinum venæ portæ ſiniſtrorſum, alter paulo minor dextrorſum ad oppoſitum ſinum tendebat, unde ab iſto ductus venoſus, Gliſſonianus dictus, cavam ſibimet proximam penetrabat, in dextro vero latere deficiebat hic communicationis ductus; vena enim umbilicalis, ſenſim prope hepar latior evadens, unice in venam portæ hic deſinebat. Quaternæ vero arteriæ umbilicales, ſingulo fœtui duæ, quo ſolent naturaliter ordine, cum intermedio uracho diſtribuebantur: Iſtæ ad arterias iliacas properabant, hi vero ſuæ quilibet veſicæ urinariæ inſerebantur. Duplices venæ cavæ, & reliqua infimæ cavitatis vaſa itidem duplicia â conſueta naturæ norma haud declinabant. Diaphragma ſimplex, ſed admodum amplum & ex-

extensum, ventrem hunc â thorace separabat. Costæ tam spuriæ, quam veræ, omnes mediante sterno duplici (singulo in unoquoque latere, seu parte superiore ossea, incurvo continuoque) junctæ, hunc ventrem duplicem in quatuor concamerationes, sola pleuræ contiguitate divisum circumdabant. Duo pulmones flaccidi, rutili, quilibet duobus lobis in alios minores naturaliter divisis, præditi ex adverso sibimet propendebant. Inter hos cor simplex, suo pericardio involutum, in media regione quasi suspensum cernebatur, ita tamen, ut â diaphragmate ex parte sustineretur. Aperto pericardii sacco, viscus hoc magnitudinem naturalem superans, non conicæ, sed trapezoidis erat figuræ, facies ejus anterior & posterior (habito respectu ad situm adversum, quem hactenus servavimus ventrium) planæ & amplæ, margines vero rotundiusculi, sed parum crassi existebant. Flaccidum hoc in cadaveribus cor prope basin communiter ita vocatam, ubi vasa emergunt, ab uno margine ad alterum duos pollices cum duabus lineis latum erat; pars inferior, mucro dictus, unum pollicem & octo lineas latitudine adæquabat; crassities nonnisi novem linearum erat. Insigne cavum multifariis munitum trabibus atque columnis carneis, totum fere cordis spatium in medio occupabat. Ex hujus ventriculi duobus angulis superioribus binæ emergebant aortæ, suis instructæ valvulis, quarum unaquæque longiori solito emenso spatio in duas arterias axillares &

caro-

carotides distribuebatur, trunco cujuslibet ad [inferiora descendente. Duplices venæ cavæ, pollicis distantia è diaphragmate emergentes, confestim unacum truncis superioribus, in facie cordis posteriore in unum saccum amplum, transversaliter instar sinus pulmonalis locatum, expandebantur, cui tres annexæ erant auriculæ: Hic ad ingressum ventriculi modo memorati inter ambas arterias valvulis mitralibus munitus, idem cum aortis cavum subibat. Præterea sub venæ magnæ sacco emergentes venæ pulmonales utriusque lateris non peculiari auriculæ, vel sinui, sed in unum quælibet unitæ truncum satis arctum, huic magno diverticulo sanguinem infundebant, utraque tamen orificia inter ista truncorum venæ magnæ locata, simplici munita erant valvula semilunari. Præterea tam in cordis margine dextro, quam sinistro, alia cavitas insculpta erat, hæc sinistri lateris talem, qualem ventriculus cordis dexter in fœtû naturaliter constituto habere solet capacitatem, obtinebat, ex qua arteria pulmonalis ad pulmones hujus lateris properans, pullulabat: Dextra autem cavitas minima, tres lineas longitudine non adæquans & diametro emergentis ibidem arteriæ pulmonalis fere angustior, vix ventriculi nomen merebatur. Nulla in hæc cava hiabant venæ, sed utraque mediante apertura cum intermedio magno ventriculo communicabant: Ista in ventriculum sinistrum hians apertura, foramen rotundum, patulum, cujus diameter duarum linearum, se-

pto

pto carneo insculptum erat, ut facilis ex medio ventriculo ad hunc via pateret. Arteria quoque pulmonalis ex hoc cavo emergens, altera multo major, confestim insignem communicationis canalem ad aortæ descendentis truncum demittebat. Dextri autem ventriculi pervius ductus, multo minor, obliqua penitus directione, carneam septi substantiam penetrabat, eodem plane modo, uti foramen ovale, quando in adultis adhuc patulum, insculptum esse solet, per quod tanta sanguinis quantitas, neque tam libere, uti in sinistrum, transire non poterat, nullus insuper Botalli ductus ab arteria hac pulmonali, altera multo angustiore, ad aortam tendebat, sed hæc in duos statim divisa ramos, pulmones penetrabat. Thymus duplex â singulo jugulo ad pericardium usque extendebatur, sub hoc arteria aspera & œsophagus suas quæque ad partes in singulo thorace decurrebant. Reliqua in collo duplici & duobus capitibus contenta organa omnia nihil â statu naturali diversi habebant.

A solertioribus rerum physicarum & medicarum indagatoribus plures hinc inde historiæ fœtus monstrosi duplicis extant, cum accurata partium, sectione anatomica detectarum delineatione, aut saltem descriptione, uti illa Exc. *Dn. Jo. Conr.* BRUNNERI, *Dissert. inaugurali anno superioris seculi septuagesimo secundo hic loci tradita*, item *Joh. Dan.* DORSTENII *in schediasmate de Monstro Hassiaco*, nec non *Christoph. Joach.* WOLFARTI *de fœtu monstroso duplici, Ann. 1725. Marburgi Cattorum habita.* Nulla vero descriptio anatomico-physiologica cum nostro casu ita apprime convenit, ac illa, quam Experient. Dn. *Joh. Adam* KULMUS Med. D. & Physices in Athenæo Gedanensi Prof. Publ. Ann. 1724. cum erudito orbe communicavit.

EXPLICATIO FIGURARUM.

Tab. IV.

Viscera interna fœtus hujus monstrosi duplicis denotat, uti thorace & imo ventre aperto oculis se sistebant.

aaa. Funiculus umbilicalis unicus.

bbbb. Quatuor arteriæ umbilicales â latere vesicæ urinariæ duplicis ad arterias iliacas tendentes.

cc. Urachus in medio locatus, & in cujuslibet vesicæ dd. fundum properans.

ee. Vena umbilicalis in duos ramos divisa, quorum alter dextrorsum, alter vero sinistrorsum ad hepar tendit.

f. Hepar unicum.

gg. Intestina utriusque fœtus.

h. Cor unicum planum & trapezoidis figuræ â pericardio liberum.

ii. Duæ ejus auriculæ.

kk. Vasa cordis arteriosa.

llll. Lobi pulmonum.

Tab.

Tab. V.

Fig. I.

Cor cum cavitatibus ſuis.

a a. Ventriculus medius & reliquis major.
b. Ventriculus ſiniſter amplitudine medius.
c. Ventriculus dexter, isque parvus.
dd. Orificia ventriculorum lateralium in medium deſinentia.
e e. Auriculæ duæ.
ff. Duæ arteriæ aortæ.
g g. Arteriæ pulmonales pariter duæ.

Fig. II.

Medium ventriculum explicitum ſiſtit, in quō trabes & columnæ carneæ a a. oſcula item b b. in laterales ventriculos hiantia unacum valvulis mitralibus c. & duabus auriculis d d.

Fig. III.

a. Cor ſurſum reclinatum.
b b. Venæ cavæ trunci inferiores.
c c. Trunci ejus ſuperiores.

d. Sinus transversus & communis, in quem omnes hi trunci hiant.
e. Auricula tertia inferius in dextro latere prope saccum transversum locata.
ff. Venæ pulmonales in unum truncum coalescentes, & in communem in utroque latere saccum cum venis cavis terminatæ.

Fig. IV.

Sinum transversum venæ cavæ apertum monstrat.

aa. Orificia trunci inferioris duplicis.
bb. Ostia truncorum superiorum.
cc. Orificia venarum pulmonalium.
d. Venæ azygos ingressus.
ee. Aperturæ in ventriculum medium.

Fig. V.

Vasorum arteriosorum è corde egressum ostendit.

aa. Duplex arteria aorta.
bb. Duæ arteriæ pulmonales.
c. Ductus communicationis arteriosus Botalli.
dd. Trunci arteriæ aortæ descendentis.
eeeeee. Rami ejusdem ascendentes.

Fig.

Fig. VI.

Diſtributionem vaſorum umbilicalium exhibet.

A. Hepar, cum ligamento ſuſpenſorio a.
b. Funiculus umbilicalis.
c c c c. Arteriæ umbilicales.
d d. Duo urachi.
e e. Duæ venæ umbilicales.
f. Sinus venæ portæ dexter.
g g. Vena cava fœtus ſiniſtri.
h. Portio ductus venoſi Gliſſoniani.
i i i. Partes diaphragmatis.

Fig. VII.

a. Facies hepatis ſima in latere ſiniſtro.
b b b b b. Ramificationes venæ portæ in hepar.
c. Vena cava ſiniſtra.
d. Sinus venæ portæ.
e. Ductus venoſus Gliſſonianus, quo mediante vena portæ cum vena cava communicat.
ff. Rami venæ cavæ ex hepate emergentes.



OBSERVATIO LXIV.

DN. D. IOHANN. SALTZMANNI.

De

Muſculis plerisque extremitatis inferioris dextræ, vel omnino, vel ex parte deficientibus.

VIr juvenis annorum XXVIII. arti chalcographicæ addictus, ab ineunte ætate, atque eo tempore, quo greſſus tentare allaborabat, impotentiam pedem dextrum movendi ſenſit, quam etiam parentes haud absque animi inquietudine animadverterunt, adeo, ut etiam ſuccedentibus annis, quibus alias firmari ſolent articuli, ſubſtiterit. Obſervatum etiam fuit, tibiam dextri lateris extrorſum, pedem vero extremum introrſum incurvatum eſſe, plantam etiam introrſum adeo retractam, ut cavitatem inſignem efformaret. Femoris quidem flexionem ſatis bene peragere, & alteri, nempe ſiniſtro, applicare poterat, extenſionem vero atque abductionem præſtare vix valebat. Tibia & pes extremus omni fere motu deſtituebantur, hæcque membra veluti paralytica ægre trahebat, quæ tamen femoris motui aliquatenus obtemperarunt; nihilominus inſiſtere dextro huic pedi valebat, eumque inter ambulandum extrorſum ferebat, & veluti per ſemicirculum movebat, quemadmodum illi facere ſolent, quibus articulatio femoris cum tibia vel omnino, vel ex parte immobilis, aut ſaltem minus flexilis exiſtit; uti & quo-

quotiescunque corpus ex uno loco in alium transferre solebat, baculo uti eique inniti opus habebat.

Causam hujus impotentiæ augurari difficile erat, quamdiu per plateas, utut ægerrime & extraordinario quodam modo obambulabat hic juvenis, cum sciscitatus nullum morbum prægressum, nullam etiam causam externam eamque violentiam accusare potuit, quin potius â prima infantia & ab omni sua memoria hoc modo se laborasse constanter affirmavit; postquam vero febre acuta consumtus fatis cessit, & causa hujus impotentiæ investigaretur, deprehensum fuit, illam defectui conformationis adscribendam utique esse. Rariore quippe spectaculo & non sine admiratione visum, musculorum, qui ossibus inferioris in latere dextro extremitatis accumbunt, iisque movendis inserviunt, aliquos omnino defecisse, horumque locum massam quandam adiposam occupasse, plurimorum non nisi rudimenta adfuisse, paucos illorum plene formatos & rite constitutos fuisse, & quod silentio prætereundem non est, tum ipsorum musculorum, tum & quam maxime rudimentorum fibras carneas, non rubicundum, quem alias præ se ferunt, sed valde pallidum colorem intuentibus exhibuisse, adeo, ut tendineis magis, quam musculosis fibris similiores fuerint. Tendines plerorumque nihil diversi â statu naturali alebant, sed longitudine pariter ac crassitie ordinaria conspicui erant, & quod pariter mirandum, deficientibus licet musculis, nihilominus tendines illorum extrema constituentes reperiebantur, unde palam est, naturam intentius dictorum tendinum, quam musculorum magis necessariorum formationi invigilasse.

Lon-

Longum nimis foret, omnes ſtatus p. n. qui in muſculis hiſce obſervatus fuit, circumſtantias enarrare, proinde non niſi præcipuas paucis annotabimus. Flexores femoris, qui mole inſignes ordinarie eſſe ſolent, iliacus & pſoas, inter rotatores pyramidalis, lividus, ſeu pectineus, flexor item & extenſor proprius pollicis, ut & proprius minimi digiti extenſor, bene ſeſe habebant. Glutæus major inferiore ſui parte & fere dimidia muſculoſus, verum ſuperiore adipoſus erat, pinguedine in faſciculos illis fibrarum muſcularium ſimiles collecta, medius eodem fere modo comparatus, anterius partim adipoſus, partim tendineus erat, poſterius aliquatenus muſculoſus, glutæus minor fibris muſcularibus omnino deſtituebatur, & ſubſtantiæ adipoſæ plurimæ fibræ tendineæ, ſeu aponevroticæ, interſperſæ erant. In recto ſuperius fibræ muſculares, ſed pauciores reperiebantur, tendini exiguo annexæ. Vaſtus externus inferius præ reliquis carnoſior erat, unde motus tibiæ ad exteriora aliquatenus vigebat; loco vaſti interni inferius prope inſertionem manipulus fibrarum muſcularium 4. vel 5. digitos transverſos longus minorisque digiti craſſitiem referens, videbatur. Ad ſemi-membranoſum, ſemi-nervoſum, & bicipitem femoris formandum vix dimidia fibrarum muſcularium portio, ac alias concurrebat. Sic & in gaſtrocnemiis æque ac ſoleo manipuli fibrarum, ſed valde exiles iique pallidi, conſpiciebantur, idque in media & poſtica eorum ſede, unde tendo Achillis naturaliter quidem conſtitutus, nulli tamen muſculo ſuperius adhærebat. Tibiæus anticus & peronæus poſticus, flexor digitorum longus, paucis fibris muſcularibus dotati erant; extenſor communis brevis, ſive pediæus, in quatuor minores alias diviſus, nonniſi unica portione inſtructus erat, tribus reliquis plane deficientibus. Flexor

pro-

proprius pollicis, tibiæus posticus & omnes in planta pedis alias locati, nempe massa carnea transversalis, lumbricales, interossei externi pariter ac interni, ut & digitorum adductores & abductores, prorsus aberant, neque ullum eorum vestigium detegi potuit. Quorum musculorum ita deficientium locum occupavit, uti supra jam innuimus, substantia adiposa & densa, pluribus fibris tendineis, sive aponevroticis hinc inde intercursantibus. Raro ergo obvius hic casus novum naturæ in partium formatione aberrantis & deficientis documentum nobis præbet.

OBSERVATIO LXV.

DN. D. JOHANN. SALTZMANNI,

De

Monstrosa penis virilis & urethræ conformatione.

Aliud conformationis vitiosæ oppido raræ exemplum sequens historia nobis præbet: Ruricula 22. circiter annorum conjugium meditabatur, thorique sociam sibi jam elegerat, &forma satis venustam, & pro loci illius conditione opulentam. Parentes vero, quibus vitium conformationis, quo filius â primis unguiculis laboraverat, cognitum fuit atque perspectum, haud vano metu angebantur, ne, si ad debitum conjugale solvendum impotens forsan esset, sponsa, matrimonio confecto & re explorata, divortium quæreret & obtineret. Quare de

futuro soliciti, tutius eligere & Medicorum consilium implorare secum constituerunt, ut certo resciscerent, utrum filius ad matrimonium ineundem & procreandam sobolem aptus natus esset, nec ne? Itaque filio persuaserunt, ut Excell. *Dn. D. Sachsio*, Collegæ meo honoratissimo, mihique penem suum spectandum examinandumque offerret, quo facto conformationem ejus prorsus extraordinariam deprehendimus.

Erat quippe sibi relictus & absque copiosiore sanguinis & spirituum affluxu justo crassior, ordinario etiam aliquatenus brevior, paululum insuper, sed parum deorsum incurvatus, neque crassitie aut longitudine â venereis cogitationibus multum crescebat, præ aliis vero ejus partibus glans solito major & crassior videbatur. De reliquo juxta mediam totamque sui longitudinem fissum erat mentulæ corpus, corporibus nerveo - spongiosis majoribus, quæ superius magna sui parte unita alias sunt, utrinque â latere existentibus. Urethra tertiam virgæ virilis columnam constituens, in principio sui, ubi tota membranacea est, atque inter fornicem ossis pubis & septum membranaceum decurrit, integra erat, & canalem, qualis ordinarie esse solet, efformabat. Quamprimum vero inde emerserat nerveo - spongiosa ejusdem substantia, fissa conspiciebatur & tota aperta, eodem fere modo, quo intuentibus sese offert, postquam duas in partes â Prosectoribus discissa fuerat. Eadem urethra ita divisa in medio paululum latior, circa extrema vero utrinque angustior & aliquantum acuminata, neque multum concava erat, sed magis plana, unde urina ab illo emissa, quod aliquoties conspeximus, non cum impetu, sed placido alveo super hoc planum fluebat, & ne multum ad latera divergeret, â


labiis

labiis corporum nerveo-spongiosorum majorum coërcebatur; per medium quoque ejus sulcus ab uno extremo ad alterum usque excurrere visus est. Præterea dicta urethra non, uti alias, recondita latebat in sulco majore â supra memoratis corporibus nerveo-spongiosis inferius relicto, sed superiore loco collocata erat, hisce corporibus partim superimposita partim etiam interjecta. Quod utut raro occurrat, â *Frid.* RUYSCHIO *Thes. anat. III. pag. 13.* annotatum etiam fuit, scilicet meatum urinarium non per infernam, sed contra naturæ leges per supernam penis sedem repere, & *Thes. eodem p. 25.* alio viso reperto confirmatum; qui & id ipsum nunquam se observasse perhibet, conf. *Tab. III. fig. 1. ejusdem Thesauri.* Modo allegatus autem RUYSCHII casus, si situm spectes atque decursum, cum nostro convenit, ratione structuræ vero & conformationis plane diversus est.

Quod jam quæstionem attinet, num juvenis modo descripto veretro instructus ad ineundum matrimonium, &, qui primarius ejus finis est, vel saltem esse debet, prolem generandam, aptus sit, ad illam respondetur negando: Quodsi enim GALENUS *Lib. XV. de usu partium* Hypospadiæos, â Græcis ita dictos, quod penem distortum obtinuere, ineptos judicavit: Quodsi pariter minus habiles esse creduntur, quibus veretrum in loco quodam insolito perforatum est, e. g. in parte inferna inter glandis corpus atque præputium, vid. RUYSCHII *Thes. Anat. VIII. p. 21.* & *Catalog. rarior. p. 174.* vel magis in medio, vel etiam circa radicem urethræ, cujus status p. n. plures historias recenset *Mart.* SCHURIGIUS in *Spermatologia Cap. III. Thes. XLVI.* & observatio notabilis *in Ephemer. Academ. nostræ Cent. IX. p. 161.* prostat, eam ob rationem, quia

 hoc

hoc vitio laborans ſemen virile hoc modo non recto tramite in os uteri ejaculari poteſt. Idem quoque â *Thom.* BARTHOLINO *Anatom. reform. Lib. I. cap. XXIV.* affirmatur, utut hoc aſſertum, nempe illos, quibus glans, penis parte, qua debebat anteriore, perforata non eſt, ſed, quod rarius evenit, inferiore, aut, quod frequentius obſervatur, ſuperiore, raro imprægnare atque generare, in *Ephemerid. noſtr. Dec. I. Ann. III. Obſ. 98.* per experientiam infringatur. Quodſi, inquam, de horum aptitudine generandi dubitatur, quid de noſtro juvene cenſendum ſit, conceptu facile eſt, quippe qui in actu venereo atque coitu ſemen ſuum, quamvis prolificum, non modo non ad uteri oſculum internum ejaculari, ſed ne quidem vaginæ muliebri infundere potuit, quin potius nihil aliud efficere, quam ut illum, quantum ex ſtructura partium genitalium extraordinaria judicare licet, liquorem genitalem ſuperioribus muliebris ſinus labiis, aut nymphis, aut urethræ oſculo aſpergeret. Equidem portio ejus in uteri vaginam perveniret, ſi dictum ſemen, quemadmodum de urinæ effluxu ſupra annotavimus, leni & placido curſu exiret; quia vero illud ipſum cum impetu & per modum evibrationis erumpit, ejusdem effluxum placidum ſuper urethræ corpus ſuſpicari haud licet.



EX-

EXPLICATIO FIGURARUM

Tab. VI.

Fig. I.

A. Regio pubis pilis obſita.
B. Cutis portio verſus abdomen reclinata.
C. Orificium urethræ canalem integrum conſtituentis.
DD. Corpus urethræ diviſum & totum apertum.
EE. Labia urethræ, quæ ejus lateribus fines præſcribunt.
FF. Sulcus per mediam urethræ longitudinem excurrens.
GG. Duæ majores penis columnæ, ſeu corpora nerveo-ſpongioſa majora, pariter diviſa.
HH. Duplex margo à reliqua horum ſubſtantia ope lineæ diſtinctus.
II. Caput corporum nerveo - ſpongioſorum majorum.
KK. Glans colis itidem diffiſſa.
LL. Subſtantia ejus interior.
M. Altera meatus urinarii extremitas.

Fig. II.

Penem sursum spectantem & â parte inferna exhibet.

A A. Glans penis â præputio denudata.
B. Corpus ejus veluti linea distinctum.
C C. Cutis corrugata virgam investiens.
D. Frænuli vestigium.
E E. Veretri corpus hic spectatum 2. digitos transversos longitudine vix superans.
F F. Bursula testium communis, scrotum dicta.
G. Sutura ejus, scrotum linea superficiali aliquatenus dirimens.

(*Argentorato Altorfium missa d. 30. Mart. 1734.*

OBSER-

OBSERVATIO LXVI.

DN. D. IOHANN. PHILIPPI WOLFFII

De

Noxa ſpontaneæ lactis excretionis in gravidis.

NOn ſolum LOMMIUS *Obſerv. Med. Lib. II. p. m. 234.* expreſſe ſcribit: *Lac ubi è mammis* (gravidarum nempe) *profluit, præcipue aquoſum, imbecille id eſſe arguit, quod prægnans intus gerit*, ſed & HIPPOCRATES *Sect. V. Aphor. 52. Celſus Lib. II. cap. 7. p. m. 62.* aliique id confirmant, imo & mihi veritatem hujus aſſerti ſequens monſtravit obſervatio:

Fœmina venuſta 24. annos nata, gracilioris & hecticæ conſtitutionis, per 19. ſeptimanas gravida, ante quatuordecim dierum ſpatium motum fœtus in utero ſentiens, univerſo hoc tempore ingravidationis bene ſe habuit, die vero 21. Decembr. 1730. jejuno ſtomacho, amictuque plus juſto conſtricto, in æde ob prunas candentes largiter ſibi ſuppoſitas, ſyncope corripiebatur, ex quo tempore, tribus noctibus proxime inſequentibus lac ſeroſum, exigua licet quantitate, è mamma dextra effluxit, qua excretione ceſſante bene ſe iterum habuit, dictis vero diebus perquam debilis fuit; die decimo quarto Januarii 1731. iterum pauxillum lactis ex eadem dextra mamma, absque tamen notabili proſtratione virium, effluxit, die duodecimo Februarii anni currentis, quoniam appetitus hacte-

nus largus adfuit, & adhuc eſt, vaſaque ſanguifera admodum turgida fuerunt, venæſectio in brachio dextro ad uncias quinque inſtituta fuit; in prandio dein large comedit, hora prima vero pomeridiana languorem totius corporis ſenſit, inſimulque lac ê binis mammis emanare obſervavit, unde pulverem ê coralliis rubr. & matr. perlar. paratum verſus ſomnum ad drachm. dim. dedi, & per duos ſequentes dies continuare juſſi, ex quo lactis effluxus ceſſavit, patiensque optime ſe habuit. Die decimo quarto Maji 1731. termino graviditatis abſoluto, filiolum admodum debilem & matri quoad corporis conſtitutionem ſimillimum, peperit, ipſa mater vero, tabe indies augeſcente die 17. Decembris vitam cum morte commutavit, ſuccedente etiam brevi poſt filiolo ipſo, qui, hæreditario hocce malo â primo vitæ ortu afflictus, die 3. Jul. 1732. placide obdormivit.

OBSERVATIO LXVII.


DN. D. JOH. PHILIPPI WOLFFII.

De

Felici ſecundinarum retentarum excluſione, mutato ſaltem puerperæ ſitu.

FOemina 24. annorum gracilioris corporis habitus, die 2do Aprilis 1731. hora matutina quinta filiolam feliciter quidem enixa eſt, funiculus autem umbilicalis,

lis, nescio quo fato, â placenta uterina adhuc retenta plane abrumpebatur, unde statim inter continuos partus dolores syncope corripiebatur, qua cessante, ordinariis conatibus, quantum vires permiserunt, exclusionem placentæ strenue licet, sed tamen frustra, molita est, subsequente largiori lochiorum fluxu. In consilium ergo vocatus puerperam in sella ordinaria parturientium adhuc commorantem inveni, & post singulos ad exclusionem secundinarum tendentes conatus lochia in excessiva copia prorumpere & syncopen redire observavi. Statim igitur eam lecto committere suasi, insimulque analeptica, antispasmodica & blanda pellentia præscripsi, vix vero formula absoluta erat, cum obstetrix placentam integram feliciter exclusam mihi ostenderet, & puerpera ab omnibus huc usque perpessis incommodis liberatam se sentiret, brevique pristinum sanitatis vigorem recuperaret, ut etiam Anno 1733. circa finem Septembris iterum filium sanum in lucem ediderit, ubi autem paucis â partu diebus, octavo nempe Octobris, purpura & febre miliari defuncta est. Situ interim mutato supra dictum felicem exclusionem secundinarum potissimum adjutam & promotam fuisse cuilibet, ut spero, facile patebit.



OBSERVATIO LXVIII.

DN. D. JOH. PHILIPPI WOLFFII.

Sectio viri, hernia incarcerata ejusque gangræna, defuncti.

VIr 67. annorum, temperamenti cholerici, per multos annos hernia inguinali dextri lateris laborans, die 17. Februarii anni 1733. iter novem milliarium, aëre nebuloso & frigido existente, suscepit, statim autem abinde alvi obstructione, cum torminibus colicis & abdominis inflatione correptus fuit, eaque propter proprio motu & consilio spiritum vini iteratis vicibus largiter hausit, nec non elixiria aloëtica & aquas vitæ sic dictas strenue superingurgitavit, sed adeo infausto cum effectu, ut dolores magis adhuc increbuerint, durities & inflatio abdominis aucta fuerint, insuperque conatus vomendi, tumor herniæ dolens scrotumque nunc admodum distendens, prostratio virium & appetitus, sitis & respiratio anxia accesserint, & Medici auxilium quærere eundem coëgerint. Hunc ergo in finem vocatus, sub his intricatis symptomatibus statim potionem mannatam cum leviter stimulantibus & antispasmodicis remixtam præscripsi, quæ vero vix assumta illico vomitu rejiciebatur, sub quo etiam biliosa saburra, multis ructibus stipata, simul prodiit. Hinc clysma emolliens carminativum injicere jussi, imposito simul abdomini dolenti emplastro carminativo, cum oleo baccarum lauri malaxato, quibus factis dolores quidem aliqualiter remittebant, clysma vero præter spem

paucis

paucis momentis elapsis iterum rejiciebatur, unde ejus reiterationem suasi, sub qua etiam insignis flatuum copia, perexigua autem fæcum alvinarum quantitas educebatur, continuantibus interim vomitibus materiam coloris spadicei expellentibus. Varia igitur analeptica ob virium imbecillitatem, nec non contra æstum tinctura rosarum cum spiritu nitri dulci sociata ordinabantur, & ad alvum lubricam reddendam præter jusculа calida pinguia, etiam infusum theeforme ex aperientibus & carminativis paratum commendabatur; ast hernia, cujus præsentiam hactenus patiens occultavit, ab iguine usque ad fundum scroti pertingens immanesque cruciatus simul inferens, ad trium usque pugnorum magnitudinem nunc excreverat, unde manifestata hac suspecta ejus conditione, confestim sacculos emollientes, discutientes lacti fervido immergendos, exprimendos & calide imponendos ordinavi, quibus die nocteque indefinenter applicatis, hernia antea pergrandis & dura, mollior minorque reddita fuit; cum vero patiens nocturno tempore in absentia famulæ, propter æstum urentem, & (uti dixit) infernalem, sacculos rejiceret, ac relicto lecto aëri frigidiori titubantibus pedibus sese liberius exponeret, brevi post externe horrore & interne æstu continuo correptus est, unde frigus in manibus pedibusque successit, sub quo tandem ad superiores quoque partes ascendente, hasque pedetentim occupante, die ultimo Februarii ultimum quoque vitæ terminum attingebat æger noster, in cujus cadavere, sectioni anatomicæ dein subjecto, sequentia observare licuit:

I. Integumenta abdominis quidem nil pernaturale monstramonstrabant; scrotum vero, ubi hernia incarcerata fuit, admodum durum & coeruleo colore perfusum apparebat.

II. Remotis integumentis abdominis è sinistro latere seri flavescentis notabilis quantitas effluxit.

III. E latere dextro permultum liquoris lactei admodum fœtidi profluebat.

IV. E pene ejusdem materiæ albæ, lacti similis, fœtidæ, portio quædam guttatim promanabat.

V. Lienis exterior substantia naturalis, interior vero insigniter rubra inflammata deprehendebatur.

VI. Intestina admodum inflata, hinc rubra, illinc vero coerulea erant.

VII. Intestinum ileum in dextro latere in scroto firmiter incarceratum nigrumque & durum conspiciebatur.

VIII. In dextro latere peritonæum magnam rupturam monstravit, per quam modo nominatum ileum intestinum in scrotum intravit.

IX. E scroto sub extractione intestini ilei, multum quoque materiæ lactiformis fœtidæ effluxit.

(Svinfurto Altorfium missa d. 4. April. 1734.)

OBSER-

OBSERVATIO LXIX.

DN. JOH. GODOFRED. BüCHNERI.

De

Rarioribus quibusdam Animalibus in Voigtlandia quondam natis ac degentibus.

QUodſi aliquis hodiernam Voigtlandiæ reſpiciat faciem, cumque vetuſta patriæ noſtræ conditione comparationem inſtituat, ſpecie ſaltem hoc noſtrum & antiquum differre ſolum, facile crediderit. Etenim juxta relationem BRUSCHII, *de Mont. Pinif.* trecentis abhinc annis iſta terra rectius ac melius demum coli cœpta eſt, atque ante hæc tempora maxima ex parte fluminibus erat impedita, montibus aſpera, ſylvis horrida ac paludibus invia & fœda, imo ſterilis plane & cultu aſpectuque triſtis, quod inter alia adhuc quædam ſylvarum teſtantur denominationes, e. g. Ehe-Holtz, Ehe-Schlegel, i. e. Oede Holtz, &c. idque nomina pagorum in reuth deſinentia ulterius etiam confirmant, quorum quidem permagnus heic loci reperitur numerus, unde ergo concludi facile poteſt, vaſtiſſimas ibi olim fuiſſe ſolitudines, urbium ac vicorum cultura poſtmodum ornatas, ſiquidem vox iſta extirpationem præcipue denotat (*)

(*) Vid. BECMAN. Anhalt. Hiſtor. P. III. p. 166.

Hiſce nunc præmiſſis, mirum alicui videri vix puto, ſi in medium jam quædam produxero animalia, quæ alias denſiſſimas modo colunt ſylvas, ac nonniſi in locis inveniuntur deſertis, qualia ſunt Urſi, Lupi, Lynces, ejusque generis alia, cujusmodi antiquis interdum temporibus nonnulla in Voigtlandia etiam tenuere ſedem, nunc autem raro ſaltem, ob jam dictas mutationes admodum felices, ibi conſpiciuntur.

Prodeat itaque principio *Lynx*, quem in noſtris quoque nonnunquam apparuiſſe regionibus, non ſcriptis modo, ſed & picturis notatum inveni. Siquidem A. 1655. accidit, ut prope urbem *Greitz* talis multis ſeſe conſpiciendum præbuerit, qui vero capi non potuit. Sed A. 1665. non procul â *Teichvvolfframsdorf* viſus eſt alius, qui deinde necatus pondere 45. æquavit libras, quemadmodum etiam in pago *Rauſchengeſeeſs* ad Dynaſtiam *Burg* pertinente, A. 1682. tertius ictu bombardæ pariter interemtus eſt.

Sic etiam *Lupi* heic locorum olim non fuêre adeo infrequentes, ceu hoc WIDEMANNUS *de Curia* teſtatur *Variſcorum* ab A. 1514. (*) Cumque An. 1598. hyems apud nos fuiſſet admodum ſæva, altiſſimæque in campis nives, ut etiam ſuper ſepimenta ſæpius viæ pararentur, vix â lupis

(*) Verba Ejus in *Chron. Cur.* ſic ſonant: In dieſen Winter iſt bey lichten hellen Tag ein Wolff aus Hungers-Noth zum untern Thor in die Stadt herein gelauffen, auf den Marckt erſchlagen und den Kindern zur Gedächtniß zum Rath-Hauß heraus gehencket worden, wie denn ſonſt auch viel Wölffe in die Vorſtadt kommen ſind, und den Leuten die Hund an den Ketten zerriſſen haben.

pis viatores poterant esse tuti, dum multi illorum hos non una vice in via aggrediebantur publica. (*) Horum quoque in confiniis *Schöneck* præterito seculo complures sæpe morabantur, quare frequentes etiam tunc temporis venationes ibi sunt institutæ. In Dynastia autem *Greitz* lupus A. 1695. adhuc vivus in fossa quadam captus est, postquam capream albam in districtu qui vulgo der schwartze Hügel audit, agitaverat.

Ita etiam A. 1634. *Ursus* in *sylva Greitzensi*, à venatoribus, dum retia cervis ponerent, in stabulatione quadam dejectus est. Alius vero A. 1656. in regione, quæ vocatur die Wolcken-Wiese, venando pariter capiebatur, qui 525. ponderavit libras. Machina autem artificialis, qua etiamnum Ursi interdum illaqueantur, conspicitur adhuc probe urbem *Auerbach* in densissima sylva, cui nomen est der Sachsen-Wald.

Nec minus seculo præterlapso in fluvio *Sala* duodecim sæpius conspiciebantur *corvi marini*, qui alias loca plerumque inhabitant deserta, atque in Livonia maxime inveniuntur, & ex his unus prope *Burgum* sclopeto est interfectus, cujus rostrum figuram ferme imitabatur serræ.

Tandem etiam *Otis*, quo genere animalium Hungaria præipue abundat, in eandem Dynastia A. 1691. in campis *Möschlizersibus* sclopeto est necatus.

Calumnientur itaque audacter impii sapientiam divinam, irregularitatem globi nostri terraquei imperfectionis

(*) Zopf Geraische Chron. P. II. Marbach Schöneck Chron. P. II.

nis alicujus accusantes, quasi montosa ista & aspera minus commoda esset figura, ac loca illa deserta nulli inservirent rei, propterea que certo etiam destituerentur fine; interea tamen saniores opera ista divina, quæ semper sunt mirabilia, hac in re potius mirari nunquam cessabunt, dum omnium divinum numen creaturarum solertem hac ratione gerit curam, atque cuique locum in terra creavit naturæ suæ convenientem, ceu ex dictis modo ulterius apparet. (*)

Ast pergo nunc ad animalia alias ob causas rariora, inter quæ in mentem mihi primo venit *Aper*, horrendæ, ut pictura monstrat, magnitudinis, qui A. 1623. in Dynastia *Greitz*, prope *Politz* â canibus melioris notæ captus est. Et A. 1723. venator quidam Aprum quoque petebat, qui colorem non referebat nigrum, sed maculosum, cujus rei causam reddit Dominus de *Flemming* im vollkommenen Teutschen Jäger, his verbis: Wenn die wilden Schweine in der Brunft-Zeit keine Bachen finden, gehen sie mitten unter die zahmen Mast-Schweine, und berauschen sich mit ihnen; also werden durch solche Vermischung der zahmen und wilden, die seltsamen weissen und auch scheckigten wilden Säue gezeuget.

Hinc etiam animo meo statim hic alia succurrunt animalia, præter naturam alba, quorum quidem prolixiorem texere heic facile possem catalogum, siquidem ante aliquot annos *Mus major domesticus colore perquam albo* in arce *Schleitz* muscipula captus est, cujusmodi etiam *Greitzæ* apud condimentarios per plures sæpius offendi *minores* in amy-

(*) Conf. MELISSANTIS *Orograph. in præfat.*

amylo, quorum generatio ab impreſſione quadam ſeminali, â colore iſtius amyli originem ducente, forſan pendet. Nec minus ibidem quoque aliquando viſus eſt *Paſſer albus.* Et in vico quodam Dynaſtiæ *Burg*, *Remptendorf* dicto, reperta pariter eſt *Pica* admodum *alba*, adhuc in nido, quæ poſtmodum Stolbergam venit, ac tandem Landgravio cuidam Haſſiæ raritatis cauſa eſt tradita.

Sic quoque *Cervi* & *Cervæ colorem referentes album* in *ſylvis Greitzenſibus* diverſis olim temporibus ſæpius inveniebantur, aſpectu perquam elegantes. Præ aliis vero eminebat imprimis *Cerva* quædam, cui nomen *Lieſe* erat impoſitum. Hæc enim ita erat manſuefacta, ut omnia in arce Greitzenſi inferiori perambularet cubicula, ac apud menſam quoque cibum caperet. Poſtmodum autem Sereniſſimo Duci Saxoniæ, lineæ Iſenacenſis, dono data, in Theriotrophio ibidem aliquandiu vixit, varioſque utriusque ſexus excluſit pullos, donec tandem Dresdam unacum rarioribus aliis quibusdam animalibus fuerit translata.

Abſit vero, ut cum imperita & ſuperſtitioſa plebe neſcio quæ hic fingam omina, quæ animalia iſta extraordinarie alba ex ejus ſententia præſagire dicuntur. Cum enim cauſarum hic cum effectu nullus omnino inveniatur nexus, & hæcce ad aniles quoque potiori jure merito referuntur fabulas.

Præterea recordor etiam, quendam nuper *Greitzæ fundulum album* aliquandiu in aqua aſſervaſſe vivum, cujus color argenti inſtar politi accedente luce radios emittebat. *Trutta* vero capiebatur Lobenſteinii paucos ante annos in Eliſtro fluvio, cujus pondus ad 15. ſeſe extendebat libras, id quod rarum utique inter ejus generis piſces apud nos eſt exemplum.

Inter animalia noſtra domeſtica porro rarior utique eſt *Aquila*, volatilium princeps, quare notatu omnino dignum eſt, quasdam interdum in Dynaſtia *Greitz* in confiniis vici *Zſchirma* â venatoribus nonnunquam eſſe detectas; quemadmodum & WIDEMANNUS (*) pariter de *Curia* refert Variſcorum, quandam ibidem A. 1519. quoque fuiſſe detentam.

Nec minus in maxima quoque fuit admiratione, quando A. 1542. grandiores *Locuſtæ*, maculoſis præditæ alis, per Poloniam & Sileſiam irrumpebant in Germaniam, & Voigtlandiam peragrantes omnes in campis abſumebant fructus (**) Figuram earum l. c. ita deſcribit WIDEMANNUS: Sie waren wunder-ſeltzamer Geſtalt, als hätten ſie eiſerne Hüte auf denen Köpffen, ſo hart als ein Horn; auch beſprengete Flügel, gleich als mit Arabiſchen Buchſtaben beſchrieben. Et paulo poſt ſubjungit de A. 1546. Im Auguſt Monat iſt ein erſchrecklicher Hauf groſſer Heuſchrecken, ſo eines Fingers lang waren, und mancherley Geſtalt hatten, aus Pohlen und Böhmen durch Teutſchland gezogen, ſo dick und vielfältig, daß man den Himmel vor ihnen nicht ſehen konte. Sie brauſſeten auch in ihrem

(*) In *Chron. Cur.* ubi hac de re ita ſcribit: Dieſe Zeit hat ein Erbarer Rath einen Adler unten im Rath-Hauß gehalten, und demſelben, weil ihm die Flügel gebrochen geweſen, auf dem Marckt umgehen laſſen, biß in ſein Alter, da ihme dann der Schnabel ſo krumm worden, daß er nicht mehr ſelbſt hat eſſen können, ſondern man hat ihn ätzen müſſen, biß er endlich geſtorben.

(**) Zopf. Ger. Chron. Schmidt Zwick. Chron. *P. II. p. 336.*

ihrem Flug, als wenn ein starcker gewaltiger Wind kåme. Diese frassen den Haber, und alles was sie an Früchten auf dem Feld fanden, stumpf hinweg. Derohalben schürete das Bauers Volck hin und wieder Feuer ins Feld, und machete überall einen grossen Rauch, da sich das Ungeziefer niederließ, damit dasselbe abgetrieben würde. Aſt multo frequentiores adhuc erant Anno 1693. ſiquidem tunc temporis ingens *Locuſtarum Voigtlandiam* invaſit turba, quæ ab Oriente ex Aſia, per Hungariam inferiorem, Moraviam, Bohemiam & Sileſiam ſuperiorem huc intravit. Erant iſtæ inconſuetæ apud nos magnitudinis, hincque in pratis, cum per unam ſaltem noctem ibi commorarentur, ſæpius 3. vel 4. graminis exedebant plauſtra, ac per aërem volitantes dimidii milliaris circiter occupabant ſpatium, ut totum quaſi ab iis obumbraretur cœlum. Præterea id etiam ſingulare prorſus erat, quod ſingulæ cohortes ſuos ſemper habuerint ductores, agmen in univerſum formantes militare, certis quoque diebus, ut moris illi eſt, â laſſitudine conquieſcens. Hacque ratione maxima illarum multitudo *Plaviam* inprimis, *Schleizam*, *Dittersdorfium* ac *Plothen* pervagabatur, donec tandem Noto in Thuringiam fugarentur. Vid. *Theatr. Europ. T. XIV. p. 569.* Tentzel Monatl. Unterred. *A. 1693.* it. Erlåut. Voigtl. *P. III.* pluresque ſcriptor. ibi allegatos.

Dubium interim non eſt, rudem utique plebem, pro more ſuo, formidabilia ſibi varia inde formaſſe prognoſtica. Quemadmodum enim iſta cauſarum naturalium ignara, de quavis re minus ordinaria facile ſtupet, ita mirum etiam non eſſet, ſi forſitan ſibi fingeret, animalia iſta peregrina portendere, quod homines ex remotioribus ad

nos venturi sint regionibus, (*) quod autem recitasse idem est, ac refutasse, quamuis ego effectum illis non denegaverim naturalem. Quid enim facilius est concipere, quam pestem & annonæ caritatem brevi esse insecuturam, ubi tot insecta omnes absumunt fructus, ac deinde quovis necata modo, exitiosas de se spargunt exhalationes?

Hicque non immerito istorum etiam recordor *Papilionum*, qui mense Julio ann. 1620. turmatim â septentrione migrabant versus meridiem, atque per 14. dierum spatium absque ulla mora iter suum continuarunt per Voigtlandiam. (**) Anno 1723. mense August. etiam apud nos adeo erant frequentes, ut arbores ab iis ita obtegerentur, quasi floribus essent ornatæ.

Sic quoque A. 1534. non minus horrendum quoddam in Bohemia ac vicina *Voigtlandiæ regione* apparuit monstrorum genus, ejus circiter figuræ, qua vulgo *Dracones* pingi solent, quorum sæpius centena aliquot conjunctim per aërem volitabant. Caput eorum parva tegebat corona, ac præterea ore quasi porcino instructa erant. Universum autem corpus digiti æquabat longitudinem. Die 1. Novembr. permulta eorum in terram deciderunt, animadvertebant nonnulli quædam avium genera, heic locorum satis alias vulgaria tunc temporis non fuisse visa (***).

Paucis

(*) Vid. WIDEMANN. *in Chronic. Curios.* ad A. 1546.

(**) Vid. *Annon. MSt.* von Schleiz.

(***) Vid. Imhoff Histor. Bilder-Saal. Sächs. Kayser-Chron. *Part. ult.* 345. Schmidt Zwick. Chron. *P. II.* WIDEMANN. *Chron. Cur. ad A.* 1533.

Paucis etiam abhinc annis *Anatem* vidi *duplicatam* in nobili quodam prædio natam, quæque ſpectatu ideo maxime erat digna, dum duo non ſolum geſtabat capita, ſed & quatuor incedebat pedibus, ac totidem quoque alis erat prædita. Cauſam hujus rei reddit *Joh. Baptiſta* PORTA (*) ex ARISTOTELE hoc modo: *In ovis geminos vitellos pariunt ſæpius fæcundæ gallinæ, cohærent enim conceptus, quomodo interdum fructus arborum complures; quodſi vitelli diſtinguuntur membrana, gemini pulli diſcreti ſine ulla ſupervacua parte generantur. Sed ſi vitelli continuantur, nec ulla interjecta membrana diſterminantur, pulli ex iis monſtrifici generantur.* Hincque egregie etiam docet, quomodo arte effici queat, ut pullus gallinaceus quaternis alis quaternisque pedibus enaſcatur.

Ovem pariter *bicipitem* unacum duobus collis monſtravit mihi quidam Opilio in Dynaſtia *Greitz*, cujus alibi uberiorem communicaturus ſum deſcriptionem. Huicque ſimilis fere *vitulus* erat itidem *biceps*, aſt uno tantum collo & duobus oculis ac oribus, quem nuper offendi in Dynaſtia *Lobenſtein*. Ac dici iterum vix poteſt, quantis propterea plebs rudis confecta fuerit angoribus, quoniam haud dubitabat, ejusmodi caſus rariores, quantumvis naturales, non poſſe non multorum malorum præſagire iliadem.

Attamen ſingularitate ferme inaudita hæc omnia facile ſuperat exempla *Fera* quædam *hermaphroditica*, & cervum & cervam genere ſuo referens, ita tamen, ut cervus aliquo modo adhuc prædominaretur. Hinc ſæpius â multis ſatis annoſis audivi venatoribus, ſibi nunquam tale per totum vitæ ſuæ tempus occurriſſe, quale ann. 1733. in arce *Greitz* oculis quoque meis videre mihi contigit, ceu ex prolixio-

(*) *Mag. nat. Lib. II. p. 86.*

ri feræ istius inter omnes rarissimæ patet descriptione, novellis publicis tunc temporis inserta, quam vero ob crebros artis venatoriæ terminos, quibus ista pro more venatorum est repleta, sermone latino haud ita commode exprimere licet.

Hic vero id quoque præterire non licet, d. 18. Aug. A. 1690. *Schleizæ* insignem *Muscarum majorum* multitudinem præter opinionem ex turris evolasse nodo, ubi forsan, erant generatæ, quæ, cum rubicundis singulæ hinc inde suis vagarentur alis, interlucente sole ignis tam accurate â longinquo mentiebantur flammam, ut incolæ attoniti prorsus vasis aqua repletis ad extinguendam eam accederent. (*) De *Erucis* vero *venenosis* A. 1546. heic locorum repertis ita refert WIDEMANNUS in Chron. Cur. Dieses Jahr hat es sehr giftige, unflätige und stinckende Raupen allhie gegeben, die das Kraut alles abfrassen, und dadurch die Menschen, so das Ungezieffer ablasen, an Händen und Füssen dermassen vergifteten, daß man etlichen die Finger und Zähen abnehmen muste. Etlichen fauleten die Fersen hinweg, welche barfuß auf solche garstige Raupen getreten hatten. Endlich kamen sie durch einen frischen Regen um und starben. Darauf ein fein junges Kraut wiederum nachwuchse.

Nec minus singulare quiddam pariter fuit, quando *anseres, gallinæ, anates, columbæ* aliaque animalia domestica in pagis ac civitatibus A. 1086. *naturam induerunt ferinam*, & relictis pristinis domiciliis, catervatim in sylvas sese receperunt, (**) imo *pisces* quoque in mari ac fluviis quasi inter se dimicantes videbantur, ita ut non pauci ipsorum

(*) Vid. *Anon. MSt.* von Schleitz.

(**) Vid. WIDEMANNUS l. c.

ſorum mortui aquas ſupra nataverint, quod idem de avibus quibusdam A. 1481. apud nonnullos quoque memoriæ proditum eſt. Vid. WIDEMANNUS l. c.

Sed cuinam hæc omnia tandem erunt uſui? num forſan curioſitatis tantum modo gratia in medium prolata ſunt & collecta? num vero alium iſthæc habent finem? Et ſane poſterius hoc utique cogito. Penitiori ſcilicet rerum naturalium quam ab imperita expectari poteſt plebe, ejusmodi inſerviunt obſervationes cognitioni, hincque ad laudem infiniti Creatoris deprædicandam, ejusque ſapientiam ac Majeſtatem decantandam nos invitant, utpote cujus opera miratu digna & ſtupenda permulta nos adhuc latent, quæ vero hiſtoria ejusmodi animalium naturalis clariſſime hoc modo omnibus aperit & manifeſtat.

OBSERVATIO LXX.

DN. JOH. GODOFREDI BüCHNERI.

De

Floribus inſueto anni tempore peſtem minime prænunciantibus, deque arboribus bis in anno fructus ferentibus.

Volumini tertio horum Actorum Phyſico-Medicorum nuper beatus Dn. Dr. LIMPRECHTUS *p. 193.* peculiare quoddam inſeruit exemplum, vulgarem ruſticorum, in Saxonia præcipue inferiore, opinionem confirmans, quaſi arbores tempore autumnali ac hyemali flores protrudentes peſtis inſecuturæ eſſent ſigna, idque â *pyro* deſum-

desumsit *sylvestri* A. 1708. circa festum Michaëlis novos producente flores, quo facto simul A. 1710. pestem Prentzlaviæ sævire cœpisse ibidem quoque memorat (*).

Fateor omnino sub horum perlectione non levi perfusum me fuisse admiratione, ulteriusque in veritatem hujus prognostici inquirere haud immerito statuisse. Quare Annales statim evolvi rerum in Voigtlandia quondam gestarum, ibique non sine voluptate aliquod pariter inveni exemplum, observationis hujus veritatem non minus roborans. Ita enim ZOPFIUS *in Chronico* scribit *Geraviensi ad ann. 1624.* **In diesem Jahr ist so ein warmer Herbst und Winter gewesen, daß an etlichen Orten die Pflaumen-Bäume und Rosen-Stöcke geblühet.** Et paulo post ad A. 1626. hæcce habet: **Die Stadt Gera ist wegen der Pest in solche Gefahr gerathen, daß auch etliche Dorfschafften sich gescheuet ihre Leichen auf dem Stadt-GOttes-Acker nach Gewohnheit zu legen**, quod urbi Schleiz tunc temporis quoque accidit. Vid. *MSt.* **von der Stadt Schleitz.**

Atque hic suspensus sane diu hærebam, animoque nunc huc nunc illuc fluctuabam, nescius quæ mentem victura tandem sit sententia. Primum enim in memoriam revocabam, imperitum quidem vulgum observationes sæpius instituere, cumque istæ nonnunquam eodem sese habeant modo, statim inde formare regulam, quanquam sufficientibus ex inductione inde concludendi non sit instructus exemplis. Hinc etiam incerta plerumque sunt om-

(*) Rosas quoque proliferas pestis itidem ex vulgi opinione esse prognosticon refertur *Annalibus Medico-Physicis Wratislaviens. An. 1719. Mens. Jun. Class. IV. Artic. 6. p. 718.*

omnia, dum imaginaria tantum nituntur experientia, causæque cum effectu nulla datur connexio. Id enim, quod semel accidit, necessario non semper accidit, nisi causa quadam ad id impellatur operativa, quæ vero hic plane cessat.

Secundo etiam cogitabam, quasdam ejusmodi observationes ad minimum certiores esse iis, quæ ex regulis petuntur astrologicis, siquidem cum naturalibus causis istæ nonnunquam connexionem habent, quales autem hic iterum videre non poteram.

Ad ulteriorem igitur postea confugiebam experientiam, utpote testem hac in re omni exceptione majorem, quam mihi pariter modo citatus suppeditavit ZOPFIUS *P. II. l. c. p. 35. de 1558.* referens: Im Herbst dieses Jahrs fiengen etliche Bäume wieder an zu blühen, daß man auch in den Gärten hübsche Blümlein / und um Michaelis frische Erdbeere, auch im Wein-Monath schöne Rosen fand. Et paulo post subjungit de A. 1619. In diesen Jahr blüheten die weissen und rothen Rosen zweymahl, als erstlich um Pfingsten, und hernach zum andernmahl zwischen Michaelis und Martini (*). Idem quoque refert de rosis *Dr. Alischer* ex Silesia de ann. 1721. pariterque *Dan. Sinapius* unacum *Dr. Reimanno.* Et *Engelhardus Guhrius* hoc quoque affirmat ex Hungaria de cerasis ab eodem anno (**). Similiter etiam Pyrus in horto Hohenlohe-Schillingsfürstiano bis anno 1728. & flores protulit & fructus (***), quod non minus Berolino quo-

(*) Vid. etiam SPANGENBERG. *Chron. Saxon. ad ann. 1557.* it. WIDEMANN. *Chron. Cur.*

(**) Vid. *Annal. Medico-Physici Wratislaviens. Ann. 1721. mens. Septembr. Class. IV. Artic. 7. p. 296.*

(***) Vid. BüCHNERI *Miscellanea Physico-Medico-Mathemat. An. 1728. mens. Mart. Class. IV. p. 943.*

que de malis quibusdam eodem anno literis transcriptum est (*).

Imo, dum hæcce adhuc scribo, in oculos mihi forte fortuna incidunt rosæ in horto vicino mense Septembri lætissime altera vice florentes. Ast carent priora hæc exempla effectu superius allegato; siquidem pestem paucos post annos in hisce regionibus esse insecutam, nusquam inveni. E contrario variis quoque temporibus, annis scilicet 1316. 1482. 1575. 1591. 1597. 1607. 1610. 1626. 1627. 1630. 1632. 1636. 1637. 1640. &c. permulta in Voigtlandia loca peste fuisse vexata ex iisdem pariter perspexi Annalibus, licet flores ejusmodi nullo insueto anni præextiterint tempore.

Ut ergo tandem dicam, quod res est, sæpius observavi, flores hujus generis inprimis frequentius nasci, autumno existente mitiori, et quando aër plus solito ultimis anni mensibus, humiditate aliquali interdum permixta, est serenus, jucundaque cœli fruimur clementia, tunc enim plantæ, præsertim vegetiores, novas recuperant vires, uti tempore fieri quoque solet verno, quæ omnia autem pestis insecuturæ nexum minime præbent causalem.

SCHOLION.

PAtet itaque ex dictis, 1) allatam superius rusticorum regulam, quemadmodum Physicam eorum generatim, certo nullatenus niti fundamento, multasque adhuc admittere exceptiones, inprimis cum nostro in casu res ipsa naturæ excedere videatur vires, Deumque ejusmodi multis ad

(*) *Ibid. p. 1005. & 1337.* ubi exemplum extat de Nuce ex Hungaria.

ad ministerium suum usurum esse concionatoribus, haud sit præsumendum.

2) *Magnus* itaque verè, ut *Ludovicus Vives* (*) sapienter scribit, *erroris magister, populus*, cujus genius ac indoles plerumque eo tendit, ut de rebus inconsuetis perquam facile, tam justo majorem concipiat admirationem, quam etiam præcipitanter nimis sibi formet prognostica; hinc enim tot ex simplicitate atque superstitione oriuntur prædictiones incertæ, quæque exinde interdum non leve accipiunt pondus, quando ex accidenti expectationi eventus interdum respondet, licet prudentiores haud difficulter perspiciant, emergens quoddam malum quidem antecessisse, minime tamen destinatò id præsignificasse, utpote cujus permultæ aliæ dari possunt causæ externæ. 3) Ex dictis quoque apparet, hyemem â sapientissimo Creatore, ratione plantarum, inque illarum quietem præcise non esse ordinatam: earum enim vires cæteris paribus dupliciter in anno fructibus sufficere ferendis, non modo supra allegata, sed & plura ê regionibus calidis petita abunde satis evincunt exempla. 4) Absurdum minime videtur, quædam arborum statuere genera, quæ rosarum instar menstruarum plusquam una vice suos uno anno ordinarie edant fructus, ut itaque eo minus exinde aliquid necessario sequi oporteat præternaturale, siquidem alibi quotannis fere idem accidit. Ita enim SEYFRIED (**) testatur de Anglia: In der Provintz Oxford sind zweyerley Geschlecht Birn-Bäume die jährlich zweymahl Früchte tragen. Et de Pomerania refert, *p. 659.* zu Pölitz in Pommern stehet ein Apfelbaum, welcher wider die Art dergleichen Bäume jährlich

Mm 2

(*) *Introduct. ad sapient. p. 3.*
(**) *Medull. Mirabil. Natur. p. 665.*

lich zweymahl Früchte bringet, cujusmodi arbores in America quoque reperiri affirmat DAPPERUS (*) his verbis: Der Mamoa-Baum wird nur in der Insul des H. Creutzes gesehen. Er giebt einen guten Geruch, und bekommt alle Monath neue Früchte. ---- Die Kalebasse-Bäume bekommen alle Monden neue Blätter und Frucht.

OBSERVATIO LXXI.

DN. JOH. GODOFREDI BüCHNERI.

De

Arbore quadam in Voigtlandia, una nocte & virente & florente, simulque fructus tempore hyemali proferente.

CElebre in Voigtlandia, non procul ab urbe *Weida*, quondam extitit cœnobium, ab adjacente pago *Cronschvvitz* nomen suum habens, ac per nobilem & illustrem Dominam *Juttam*, *Henrici*, Advocati & Domini in Gera Conjugem, jamjam A. 1239. fundatum, multisque deinde atque eximiis successu temporis donationibus ditatum (**). Hæc vero bona, cum tempore Reformationis quæ A. 1526 ibidem insecuta est ad seculares converterentur usus, (***) plurima quidem ædificia relicta sunt

(*) *Exotic. Curios. p. 70. 71.*

(**) Vid. Erläut. Voigt. *p. III. p.* 23?.

(***) Vid. *Monach. Pirnens. ap. Mencken. scriptor. rer. German.*

ſunt vacua, murique collapſis tectis diu ſteterunt nudi, niſi, quod in uno eorum arbor quædam excreverit, mirandæ utique qualitatis, ceu mihi à teſtibus ſæpe relatum eſt ocularibus.

Non enim fide *Chronici* cujusdam *Schleizenſis*, nec etiam autoritate BERCKENMEYERI (*) ſolum eram contentus, ſed monaſterium iſtud, vel potius ruinas ejus, ipſe adii, remque ita utique olim ſeſe habuiſſe, certo comperi. Scilicet, præmemoratam iſtam arborem paucis abhinc annis ibidem adhuc viſam fuiſſe, ſingulisque annis circa feſtum nativitatis Chriſti nocte una & viruiſſe & floruiſſe, fructusque etiam tuliſſe.

Ne vero credas, Lector benevole, fabulam me narrare, resque proferre, omnem ſuperantes fidem, perpendere mecum velis, rogo, dari, omnino certum genus ejusmodi arborum, aliisque in locis id non plane eſſe incognitum. Tradit enim ZEILERUS in Itinerario, in Comitatu Catzenelnbogen malum reperiri, nocte Chriſti natali juxta ſtylum veterem ſponte florentem ac ſimul etiam mala proferentem, magnitudine fabam æquantia, eaque propter curioſitatis gratia iſto tempore permultos ibi convenire homines, quo nimirum miraculum iſtud naturæ ſuis intueantur oculis, hacque in re ad teſtes provocat coævos, Baronem nimirum quendam, ut & Conſiliarios nonnullos Moguntinos & Darmſtadtinos aliosque Nobiles, idem quoque affirmantes (**).

(*) Hic ſequentia hac de re annotavit: Eine Meile von der Stadt Gera im Voigtlande iſt ein Dorf, welches wegen eines Baums, ſo in der Chriſt-Nacht Aepffel träget, wohl bekant iſt. Vid. *Curieuſer Antiquarius p. 6.*

(**) Conf. etiam *Saur. in parvo theatro urbium*, & *Freherus P. II. Orig. cap. 5.*

Non procul ab oppidulo *Græfenberg* quæ Jurisdictionis est Norimbergensis, ut & in suburbio, ejusmodi quoque inveniri arbores, eodem florentes tempore, simulque poma producentes minora, cerasorum instar, testatur CAMERARIUS *in horis subcisiv.*

Nec minus idem pariter accidit in pago *Altenstadt* prope *Byruthum*, ut & in vico Anspacensi *Schœnberg*, 2. milliaribus â Norimberga distante (*); Ast referunt nonnulli, arborem istam, quod nostræ etiam fuit fatum, fractis nimirum tot ab ea ramis, alibique, licet frustra, transplantatis, tandem exsiccatam fuisse, quamvis id nostrates paulo obscurius hisce enuncient verbis: **Sie hätten den Baum immer geschabernacket.**

Sed quid multis hac in re mihi opus est verbis, siquidem citatus modo SEYFRIEDUS testis adhuc mihi restat pariter non fallax ac credulus, qui de Ducatu Sultzbacensi idem quoque testatur, (**) simulque affirmat, *J. S. Rudolph* de hisce pomis peculiare evulgasse scriptum, quod autem videre mihi nondum contigit (***).

Tandem coronidis loco hic quoque addere libet, quæ in Baronis VALVASOR **Ehre des Hertzogthums Crayn** lib. I. c. 26. p. 579. de ejusdem indolis quadam refertur arbore, his verbis: **Eine teutsche Meile von Triest trifft man einen sehr wunderlich gearteten Nuß-Baum an, denn derselbe wird biß Johannis Abend gleichsam gantz dürre, indem**

(*) Vid. SEYFRIED. *Medulla Mirabil. Natur. p. 6*6.

(**) l. c. in præfat. ubi hæcce leguntur verba: Also auch sind wenig Meilen von hier einige wilde Aepffel-Bäume, die zwar wie andere umherstehende jährlich ihre Früchte bringen, in der Christ-Nacht aber blühen, und kleine, doch aber vollkommene Aepfflein tragen.

(***) Conf. *Carlovvitz. Sylvic. oecon. P. II. C. 11.*

indem seine bezweigte Collegen und Assistenten, die andern Nuß-Bäume nemlich, so mit ihm auf einen Boden und an einem Orte um und um, nur etliche Schritte von einander stehen, nicht allein längst allbereit ihr Laub, sondern auch schon Frucht tragen, aber gleich in dieser einigen Nacht begrünet sich dieser bißhero kahle Baum und gewinnet zugleich Frucht in gleicher Grösse, als wie die andern Bäume zuvor auch gehabt. Ubi & hæc omnia non tantum ex relatione Domini *Johann. Hervvati*, *Comitis de Latzenstein*, sed & sui ipsius inspectione confirmantur oculari, ac simul alia ejusmodi exempla in Anglia & alibi locorum obvia, in medium proferuntur, ut ita de hujus certitudine dubitari nullo modo queat. Quis vero hæcce rite perpendens animo secum non cogitaverit: Heu! quantum est quod nescimus!

(Erfurto Altorfium transmissæ d. 20. April. 1734.)

OBSERVATIO LXXII.

DN. D. JOH. HARTMANNI DEGNERI,

De

Febre quartana anomala, vel si placet, duodecuplici, anticipante, ac tandem quater intra nycthemerum recurrente.

FEbres juxta SENECAM *Epist. 95.* innumeras aut potius nondum enumeratas, si statuas, non est quod obji-

objici posse nobis videtur. Silentio enim missis febribus, quæ atypicas & corruptas nominamus, ut & iis, quæ sub genio suo Proteiformi varios interdum affectus, e. gr. spasmos universales, colicas & diarrhoeas, &c. simulare consueverunt, aut quæ secundum potiora, seu potius specialia sua symptomata modo singultuosæ, asthmaticæ, modo oscitantes, syncopticæ appellatæ sunt; nunc eas tantum considerabimus, quæ secundum varias suas species earumque subdivisiones diversas, per diversa tempora, typos ac periodos paroxyzantes, varios sane, raros & admirandos, imo innumeros excitant morbos. Causam hujus rei primariam prisci æque ac moderni Medici uno ore nobis inculcarunt Metaschematismos illos morborum in praxi medica adeo frequentes, ubi acuti modo in chronicos, modo hi in illos iterum conversi annotantur. Nec sane hæc est cautela levioris momenti, sed eo attentiori potius studio perpendenda, quo magis ex provida aut inconsiderata affectuum horum intricatorum curatione tota utique ægrorum pendet salus. Non placet hic omnes febrium transformationes enumerare, hoc observationis limites excederet. Adducam tantummodo exempla duo, quæ ad scopum nostrum aliquantum facere possunt. Rarus est affectus, quem recenset TULPIUS *Lib. IV. c. 45.* febris tertianæ quadruplicis, ubi intra bidui curriculum, quatuor circuitibus, bis nimirum in die incipiendo, & bis in die desinendo, febris recurrit, durante quolibet paroxysmo horas circiter sex. Rarum æque in Actis nostris Naturæ Curiosorum *Vol. III. obs. 46.* recensetur exemplum febris quotidianæ quadruplicis, quæ quater redibat per diem, singulis paroxysmis sex circiter horas durantibus. Dolendum est, æquo breviores quoad totam historiam esse has narrationes. His vero addam aliam historiam febris quartanæ anomalæ, quæ *duodecuplex* nominari potest & spontanea

sua

ſua palindrome una quaſi ſerie in varios febrium typos & periodos circumacta, quater tandem per diem redibat. Matrona nobiliſſima, Domini *F. R. van Lothum*, qui Zutphanenſis civitatis Magiſtratui ab actis eſt, uxor dilectiſſima annos jamjam 42. nata, temperamenti ſanguineo-melancholici & habitus ſpongioſi, ſucculenti, trium liberorum mater, & quidem 29. Aprilis anno 1726. ultima vice puerpera facta, a juventute rite & largiter ſemper menſtruata, diætæ lautæ & vitæ magis ſedentariæ quam mobili dedita, neque diætæ, neque animi erroribus craſſis multum indulgens, & quoad formam externam optime ſana & vegeta apparens nulli graviori morbo obnoxia fuit, (niſi quod febre intermittente leviori, verno inprimis tempore recurrente, nonnunquam laboraverit) aliquot abhinc annis de difficili admodum reſpiratione pedumque tumore vago, conquerebatur, ſub exitum anni 1729. ſubito corripitur ſumma laſſitudine per univerſum corpus. Acceſſit lumborum dolor â pedibus aſſurgens, præcordiorum anxietas, & tandem pectoris anguſtia ſeu compreſſio adeo violenta, ut ſpiritus fere omnis includi, ægraque in momento ſuffocari videretur. Extrema frigebant, pulſus erat intermittens, aderant cardialgia & ſingultus frequentes, durabatque hic paroxyſmus per aliquot horarum ſpatium. A Medico ordinario, D. D. *Weultjes*, Zutphaniæ Practico clariſſimo, nil omiſſum fuit, quo ægra ſtatu hoc periculoſiſſimo levaretur, variaque pro varietate ſymptomatum, ut ipſi viſum fuit, adhibita fuere medicamenta, inprimis venæſectiones largæ ipſo paroxyſmo ſæpius repetitæ, antiſpaſmodica, aperientia, pectoralia, ſaponacea, ſuccinata, caſtorina, tandemque acida, præſertim citri, ut & acetum vini ipſum. Superato itaque hoc inſultu frequentioribus tamen ſubinde capitis, dorſi atque lumborum doloribus; pectoris anguſtiis & oppreſſionibus levioribus vexabatur

 ægra,

ægra, donec menſe Octobri & Novembri anni 1730. idem aſthma ſpaſmodico-convulſivum cum omnibus ſuis ſymptomatibus maxima cum vehementia recurreret, ſupra dicta methodo & remediis profligandum. Obſervatum autem hic fuit, paroxyſmos præceſſiſſe ſomnolentiam, oſcitationes frequentes, mammarum totiusque thoracis compreſſionem externam, & dolores admodum moleſtos. Quandoque etiam ſentiebantur motus inteſtinorum convulſivi, ſingultus, nauſea, imo actuales vomitus, qui modo præcedebant, modo ſequebantur paroxyſmum. Fixam aſthma non ſervabat periodum, ſed â minimo frigore externo, tempeſtate humida, animi turbis excitari & augeri videbatur. Menſium vero nullæ tunc obſervabantur turbæ, ipſoque etiam paroxyſmo large fluebant, alvus vero tunc magis adſtricta erat. Hoc in ſtatu cum ægra in ſummo mortis periculo non ſemel verſaretur, circa initium anni 1731. ſuper hoc morbo conſultus, non neglectis conſiliis univerſalioribus, præſervandi æque ac curandi ſcopo inprimis præſcripſi pilulas ex extractis amaris, gummatoſis, pulveres nitroſo-cinnabarinos, ſulphur antimonii anodynum, mixturam ex tinctura antimonii acri, eſſent. ſuccini & ſpiritu cornu cervi, pro ratione temporis & circumſtantiarum ad ductum naturæ & artis legitime adhibendos; ex quibus optime ſe habuit ægrota, ſimulque effectum eſt, ut ſtatus ille violentus ejusque frequentior recurſus non ſolum ſufflaminatus fuerit, ſed & congeſtio hæc aſthmatica leviſſime tantum recurreret, brevique tranſiret, atque ægra medicamenta modo dicta pro circumſtantiarum ratione aſſumens, ſui ipſius quaſi miniſtra fieret, perque annos 1731. & 1732. ſatis tolerabiliter valeret, donec die 21. menſis Novembris anni 1732. ſub veſperam male ſe habere inciperet, nihil tamen ſiniſtri inde ſuſpicata, die 24. poſt meridiem prima vice verum experiretur paroxyſmum febrilem

brilem. Die 27. ſtatim â meridie revertebatur febris, ſed vehementior priori, vomitibusque mucoſis tantum non bilioſis accedentibus. Die 28. & 29. æſtu febrili in lecto detinebatur. Die 30. hora nona matutina paroxyſmus redibat majori cum vehementia, quam antea. Conquerebatur jam patiens de aurium tinnitu & ſuſurru moleſto, cum capitis, thoracis pedumque doloribus magnis, & quod maxime moleſtum fuit, accedebat nunc cardialgia & ſingultus perquam frequens, præſertim ex minimo motu, qui recruduit, quotiescunque vel corpus erigere, vel ſitum in lecto mutare aliumque leviſſimum motum inſtituere volebat, maximumque hoc ſymptoma, quod aſthma forſan ſubſecuturum eſſet, metum inferebat ægræ. Die I. & 2. Decembris ex continuo quaſi ardore febrili debilitata graviter decumbebat, cardialgia & vomitus ſæpe interveniebant, dolores dorſi, lumborum, ſingultus frequens valdeque moleſtus metum aſthmatis forſan ſuccedentis adhuc augebant. Die 3. Decemb. mane hora tertia recurrebat febris, quæ per totum diem affligebat ægram. Die 4. & 5. lenta, ſed continua fere febris aderat, cum doloribus dorſi. Hoc die 5. hora ultima, ſeu duodecima nocturna febris redibat; ex quo ſatis ſuperque jam conſtabat indoles febris quartanæ anomalæ, utpote quæ quovis paroxyſmo vehementia majore, tres quatuor vel ſex horas citius ingruebat, non vero plane deſerebat ægram, quæque ad continuam ſeu potius compoſitam in- & declinabat. Talis erat ſcena usque ad diem 19. Decemb. quo typum ſuum jam adeo immutaverat, ut tertianam ſimularet. Hoc itaque modo cum febris ſemper quatuor plerumque horis ſtatum tempus anticiparet, tandem â primo die Januarii 1733. quotidianam mentiebatur, porroque adhuc anticipans tandem poſt 20. dein poſt 16. exinde poſt 12. & poſtremo poſt 6. horas redibat, & ſic die 5. Januarii

 quater

quater intra 24. horas revertebatur, ut ne quidem per momenti ſpatium â febre libera eſſet ægra. Quamvis autem hic ſtatus eſſet admodum moleſtus & periculoſus, tamen hic recurſus febrilis poſt ſex horas rediens, nondum erat ſupremum malum, dum ſuperabilis adhuc videbatur febrilis ardor. Maxime autem ſonticum & ſtupendum erat ſymptoma illud, quod quando citius recurrebat febris, tanto crebriores et moleſtiores inſtabant vomitus, cardialgia, ſingultus, anxietas præcordiorum & dolores dorſi, adeo, ut cum initio ſexies vel decies in paroxyſmo vomeret, nunc decies ſepties, vel decies novies in eodem ſuſtinere deberet vomitus. Præterea & hoc notabile extitit, quod vomitus fere per totum decurſum indicium invaſuræ febris eſſent, quibus dein ſuccedebat frigus & æſtus. Urina per totum morbi decurſum parum deponebat ſedimenti ex albo rubri, nec ſudores fuerunt copioſi, alvus vero poſt uſum pilularum balſamicarum rite ſemper ſolvebatur. Per totum morbum ſervavimus methodum naturæ familiarem, nempe ante paroxyſmum adhibita ſunt digeſtiva, abſorbentia & incidentia; in ipſo ſtatu diluentia; ſeneſcente impetu lenia diaphoretica, tempore vero intercalari data ſunt lenia laxantia, ſtomachica, amara, gummatoſa. Non tamen his multum profecimus, rebusque ita ſemper in pejus degenerantibus, cum intervallum paroxyſmorum brevius eſſet, quam ut ægra vel noctu dormire, vel interdiu cibum aut medicamenta convenienter capere poſſet, ipſaque in extremo vitæ diſcrimine verſaretur, ut vix per biduum vel triduum morbi vehementiam, ſi ſemper eadem maneret, tolerare poſſe videretur, propoſitum fuit ad ultimum deſcendere remedium, nempe Chinam Chinæ, quæ jam in forma infuſi ad manus & uſum aderat. At cum diligentius attendiſſemus ad aſthmaticam ægræ diſpoſitionem,

ac conſpirationem variorum hujus febris ſymptomatum cum præcedenti aſthmate, graviter timebam, ne ſi febri huic peracutæ occurreremus, infido tali remedio adſtringente, idem aſthma non ſolum de novo invitaretur, ſed & exinde incurabile redderetur, & ſic poſterius malum priore majus & periculoſius evaderet. Cumque præterea remotus ſim ab ea ſententia, quaſi vita hominis nulla alia via, quam inevitabili uſu hujus corticis ſalvari ac retineri poſſit, merito id conſilium reſpuendum eſſe exiſtimabam, ejusque loco ſequens infuſum propinandum præſcripſi: Rec. cort. caſcarillæ pulveriſ. unc. duas, rhabarb. optimi pulveriſ. unc. ſem. ſal. tart. drachm. ij. Infundantur in vini albi gallici libra j. cum ſemiſſe, ſtent in digeſtione per noctem, mane colentur cum forti expreſſione. Hoc infuſum quater, ſexies, octies per diem, vel quoties febris paululum remittere videretur, cochleatim hauriendum ſuaſi. Nunquam cortex Chinæ promtiorem, nec dicam certiorem & ſecuriorem edidit effectum, quam noſtra caſcarilla cum rhabarbaro mixta. Ex horum enim uſu ſymptomata vehementiora cum febre extemplo & modo prorſus admirando mitigata ſunt, vomitusque plane ceſſarunt, in eorum vero locum lenis ſudor ſucceſſit alvusque ſoluta eſt, & ægra, licet vires plane proſtratæ membraque ceu contuſa viderentur, paulatim ex continuato hujus infuſi uſu per Dei gratiam convaluit, & jam ſatis belle ſe habebat, cum die decimo Januarii nova nunc & plane inopinata accederet calamitas. Invaſit enim eam, licet per ſex ſeptimanas lecto affixa libero aëri minime expoſita fuerit, febris illa catarrhalis epidemica per totam fere Europam tunc temporis graſſans, cum tuſſi & coryza valde moleſta, ex quo novos cruciatus patiebatur; ſed & hac profligata cum ſani-

nitate dein vires pristinæ redierunt. Primo postea Maji, septima vespertina denuo febre corripiebatur quotidiana, quæ circa vesperam quotidie recurrens illam vexabat, ad nonum usque ejusdem mensis diem, ex quo cessabat, nec usque adhuc rediit. Ipsa illa matrona vero exinde optima, imo meliore, quam antea, valetudine ad hunc usque diem usa est, & quod observatu haud indignum reputo, vix ulla hyeme, quam ipsa illa novissima, melius vitam egit, siquidem ne levissima quidem asthmatis hyemali tempore alias ipsi semper adeo fatalis, sensit incommoda. De reliquo monendum utique adhuc est, quanta circumspectione & quam provido moderamine intricati, confusi & complicati tales affectus debeant tractari, & pro singulari sensibilitate, debilitate & conditione ægrorum nonnisi lenissima medicamenta adhiberi; præsertim in casu nostro, ubi dispositio asthmatica non solum cognita, sed & analogia symptomatum febrilium cum asthmate perpesso conspicua erant, sicut & id eventus luculenter probavit, dum hoc modo bini hi affectus sunt profligati. Crepant Medici nil nisi materias morbificas plus minus crassas & acidas, particulas vero salinas plus minus exaltatas vel depressas, quæ vel breviori, vel longiori tempore subigantur, corrigantur & exterminentur, diversasque hoc modo febrium, cujuscunque fuerint indolis, producant species. Explicent Mechanici leges pneumatico - hydraulicas, quibus necessitate mechanica affectus talis excitetur & formetur: Suppeditent nobis formulas mathematica norma & ordine conscriptas & operantes. Credo parum ægris nostris salutis, minusque lucis arti nostræ salutari inde accessurum esse. Cum potius indoles & destinatio motuum naturæ se- & excretoriorum eorumque variæ metamorphoses rite per-

spectæ

ſpectæ & tractatæ ſecuram & rationalem Medicis & ægris monſtrent viam.

(Noviomago Altorfium miſſa d. 30. April. 1734.

OBSERVATIO LXXIII.

DN. D. CASP. THEOPHILI LINDNERI.

Abſceſſus menſenterii poſt aſſumtas 8. pilulas Stahlianas ruptus & profluvio ventris ſolutus.

VIr 63. annorum plethoricus, animi ſenſibilioris, temperamenti ſic dicti cholerico-ſanguinei; pronus immo præceps in iram; ut plurimum ad excandeſcentiam usque, a juventute durius quidem, ſed & incurius, libere & ſui juris conſuetus vivere, Natura in corpore vegeto vegete famulante, leges & regulas diætæ legitimæ ac ſobriæ qualescunque deridebat, morborum neſcius, excipias ſaltim ætatis inevitabiles & tempeſtatum univerſales, quorum tamen pauciſſimorum recordatur. Gens enim hæc morbo ſe teneri vix unquam ſibi perſuadet, niſi periculoſe decumbat, partem plurimam ætatis juvenilis & virilis dicavit Marti, ſervitiisque tranſegit equeſtribus, & hic heroem fortem & ſtrenuum ſe geſſit in debellandis naturæ præceptis, neſciens ſobrie, neſciens temperanter, neſciens caute vivere; imo nolens. Exutus caſtris, domi quidem quietior degit, gulæ tamen admodum indulgens; cumprimis nectar illud mortis, quod peſſime *aquam* nuncupant

vitæ,

vitæ, habebat in deliciis. Genuit inde dignam tanto patre sobolem, communissimum talismodi juvenilis incuriæ hæredem: Pathemata scilicet hypochondriaco - spasmodico - flatulenta, multivariarum ærumnarum autores. Prodibant inde hæmorrhoides & certe non sine levamine plorassent sanguinem, nisi de novo earum fluxui incurio & incongruo vitæ genere obicem posuisset. Ante octo, & quod excurrit annos super præcordia ejus quadriga leviter onerata transibat, sine tamen notabili & evidente sanitatis dispendio. Fiebat enim hoc in via maxime sabulosa, cujus mollior & laxior compages magis imprimi, quam sub- & comprimi patiebatur pectus. Remansit tamen abhinc, quoties ira aut poculis humores inflammaret, horumque incitaret motum, angustans, cum tussi sicca, pectoris molestia. Ad avertenda hæc incommoda venæsectiones in brachiis ipsi commendatæ sunt, quas etiam ternis, imo quaternis vicibus quotannis celebravit; magis vero ceu tumultuarias, quam urgentes & effectivas. Novum efflagitans consilium, mense Martio anni 1733. meum exoravit aditum, inveni orthostadium quidem & animo alacrem satis, admodum vero emaciatum, viribusque corporis languidum. Per vices vehementer tussiebat, & magma mucoso - putrilaginosum excernebat, gliscentis aut jam radicatæ phthiseos indicio, quam tamen ambo hac vice falso & perperam timebamus. Ante sex dies secta fuerat mediana. Pulsus erat celer & debilis, alvus pertinaciter obstructa, appetitus prostratus & stomachus ad juscula tenuia quoque sensibilis, imo dolens. Inprimis notabat æger supra pubis regionem obscurum & per intervalla invadentem dolorem gravativum atque molem quandam, instar farciminis turgidi, in cavitate abdominis jacentem. Præcipiebam, ut pleno & aperto inspiraret gutture; verum inde nec dolorem,

rem, nec resistentiam in pectoris antro se sentire affirmabat, acutas magis indicans circa partem abdominis allegatam puncturas. Suasi domesticum ad emolliendam alvum clysterem; sed extreme abhorrebat hoc remediorum genus. Autor ergo fui, ut vesperascente die octo ingereret pilulas Stahlianas & sequente diluculo totidem cum additis sex laxantibus, superbibendo singulis vicibus, ad deliquandas eo facilius obstructiones, sufficientem potum infusi tepidi herbæ Theæ. Ast quis inopinatus effectus? Nunciabant sequente meridie agnati, jam pilulas præterita vespera deglutitas ultra septem copiosas protrusisse sedes & mane assumtas continuum fere alvi excitasse profluvium. Eventum hunc, adhibitum innoxium & plane mitissimum insecutum remedium, magis ego mirans, quam formidans, solicite quiritantium animos erexi & spe sola fretos absque medicamine remisi, dejectiones has aut adstringentibus, aut sopientibus præmature cohibere non consultum ducens. Visitanti ægrum, ipse mihi narrabat plane eadem, insuperque addebat: sub prima vespertina alvi solutione cum nisu & conatu maximo duriora aliquot ipsum dejecisse scybala, quibus mox liquidiores successere dejectiones, quibus materia prius albuminis ovorum inconcti & minutim concisi æmula, nunc vero purulenta, sanguineis intermixta striis, excernebatur. Judicabam abscessum interius absconditum disruptum, cujus genesin & causam occasionalem ipse patiens lapsui supra baculum obtuse acuminatum non incongrue tribuebat. Admonui de novo illum, ne suppressionem harum insolitarum excretionum alvinarum anhelaret repentinam & præcipitem, cum per has natura ab interitu latente maxime & efficaciter liberaret corpus. Monitis parens, & perpendens, quid sibi vellet tam inimica, tam tetra, tam abominabilis quæ in abdominis penetralibus huc usque latitabat materia, admodum patienter, diarrhoeam hunc sustinebat, eoque constantius, cum inde in-

infarctum illum abdominis sensim mollescere, rarescere & imminui persentisceret. Conquerenti tamen, senescente hac vespera secunda, de ardoribus abdominis, intercurrente æstu & superveniente hæmorrhagia largiore narium, propinati sunt duo pulveres nitroso - absorbentes citrati, cum levamine, quos hac eadem de causa sequente die reiterandos necesse habui. Reliquum apparatum pharmaceυticum subimplevit mixtura ex essentia alexipharm. *Stahlii* & succini & inprimis decoctum *Paracelsi* ad mentem *Stahlii* correctum. Durarunt secessus alvini per integram septimanam & ultra, indies, modo post tertium rariores, dilutiores, magis naturales & tandem ordinariis evadentes. Et licet tam efficaciter repurgatum corpus ferme elumbe relinquerent; valuit tamen revertens cum viribus appetitus, ut æger spe citius restitutus, negotiis suis rursus præesse posset, nec tam vehementer amplius tussiens, nec pus aut pulposum, ut antea secreans mucum Huc usque bene! cum vero elapso trimestri spatio, nescio an incuria diætæ, an injuria tempestatum? in febrem incideret sub - acutam pneumonicam, sub alienis auxiliis & impatiente regimine semper in deterius ruentem, inveni tandem ego accersitus ægrum morti propinquum, plane anxie & non nisi erecta cervice situque prono respirantem, atque extremum fere vitæ halitum ducentem. Quadrabat huc mihi Medicorum tritum illud; Manum de tabula.

SCHOLION.

ABscessum hic cavitatis abdominis subfuisse, materiæ inprimis sanguineo- purulentæ uberior confirmat proventus, quam alvus diarrhodes adeo copiose deposuit. Num ille vero sedem fixerit in mensenterio' num in canali intestinorum, num in tractu vasorum hæmorrhoidalium, num in alio viscere, non tam evidenter & aperte conjectare licet. Mallem prius; tum ratione fluxus copiosioris pro-

prodeuntis, tum ratione clandestinæ & fere indolentis factæ congestionis & maturationis, tum ratione texturæ & fabricæ ipsius mesenterii, quod uti aliis mineris morbosis, ita & talismodi tumoribus suppurascentibus gignendis, fovendis & alendis, data levi occasione, aptissimum, ceu inter perplurima testimonia literis divulgata monstrat pererudita disputatio Illustr. *Friderici* HOFFMANNI *de febribus mesentericis Halæ 1728. 8vo.* Nec desunt specialiora clarissimorum Medicorum exempla. Agmen ducat ex veteranis *Benedictus* SYLVATICUS *Consil. & Respons. medicinalium Cent. II. Cons. 87. Genevæ 1662.* maximam partem quidem hæmorrhoidum statum indigitans, apprime tamen scribens: *Mesenterium sæpe fit sentina multorum excrementorum, ac obtusi sensus cum sit, diuturnas tolerat affectiones, & in quo non raro suboriuntur apostemata suppurantia, qualia frequentissime à me fuerunt observata, quæ tandem subsidebant per dejectiones purulentas; iterumque statutis temporibus recurrebant & oblitescebant denue per similes dejectiones, non raro cruentas, ita ut imposuerint quibusdam, illas pro dysentericis habentibus.* Vadum premat *Jodocus* LOMMIUS *Observat. medic. p. 160. Jenæ 1719. Inflammatione*, inquiens, *etiam mesenterium rapi solet. - - - Orto abscessu pus album defluit, sæpissime alvi permixtum excrementis, interdum etiam sincerum magna copia dejicitur, utique si morbus versus novissima vergit intestina. Certissimum est, id genus puris à solo ferri oportere mesenterio, quoniam ab aliis locis descendere sine dolore, vel sine mixtione, vel sine febre vehementiore non potest.* Comitem addat *Matthæus* MARTINI *in Tr. de morbis mesentericis abstrusioribus, Halæ 1525.* variarum quoque passim abscessuum injiciens mentionrm, quem adeat, cui volupe est. Ex recentioribus hæ ipsæ *Naturæ Curiosorum Ephemerides* sparsa præbent testimonia, quorum saltem aliquot indicabo. Sic fidem faciunt *D.* BECKER *Dec. I. ann. II. p. 55.* abscessus mesenterii per uterum pendulum enormem quanti-

titatem purulentorum fundentis; (nisi hic uteri compages sola suppurata in culpa fuerit,) *D.* DOLÆUS *Dec. II. ann. X. p. 128.* Abscessus interni abdominis â purgante disrupti. *D.* HARTMANN *Dec. III. ann. IX. & X. p. 194.* Mesenterii in tumorem sanguinolento - suppuratum conglobati; *D.* VERDRIES *Vol. I. p. 242.* Lienteriæ ex abscessu mesenterii magno. Quid? quod huc spectat, licet indirecte, ad minimum historiæ conformitatis & dubium ætiologicum movendi ergo, curiosa observatio *D.* APINI *Dec. III. ann. IX. & X. p. 315.* de abscessibus tunicæ intestinalis glandulosæ & restagnante sanguine hæmorrhoidali diarrhoeam purulentam largiorem cientibus. Imprimis biga observationum hujus argumenti legi meretur, quam citatus HOFFMANNUS in allegata *disp. 26. seqq.* habet, cui tertiam addit *Tom. IV. Part. I. Medicin. ration. system. p. 583. seqq.* subjuncta epicrisi, quæ mihi, pace hujus magni Viri, ad superius data magis stabilienda, sequentia mutua dabit verba: *Hypochondriaci & hæmorrhoidarii in mesenterii morbos, inflammationes & abscessus delabuntur facile. In his enim jam tum meseraica vasa sanguine farcta & humoribus sunt distenta, tardissimusque per eadem commeatus. Parva autem suppuratio brevi potest ampliari & latius progredi in mesenterii compage, largiter obsessa pinguedine, quæ in liquamen saniosum facile liquescit.*

Genesin primordialem hujus nostri abscessus in indicatum lapsum illum supra baculum acuminatum cadere, mihi admodum videtur verosimile. Inde enim ex contusione orta est prius levior stasis & congestio quam dictis ex causis facilis sequi potuit suppuratio. Aperturam, aut si mavis, rupturam ejus, unice fere datis deberi pilulis Stahlianis totus persuasus sum, sive enim stimulando naturam, sive incidendo & cum potu emolliendo fæces, sive ex solo ideali præconceptu purgatorio exturbationem alvi effecerint, pansus tamen hac occasione post priorem cona-

tum

tum & propreſſionem ſcybalorum duriorum & compactorum, vel ſub hac, materiæ in abſceſſu nunc maturiſſimo purulentæ exitus. Sed cur, ac proprie in antra tractus inteſtinalis eadem delata fuit? quare non in cavitatem abdominis? Hoc non determinando, nemini bilem, nemini ſalivam movebo. Arridet tamen cit. HOFFMANNI *l. c. Tom. IV. p. 584.* Sententia: *Quod purulenta materia alvo expurgetur, tribuendum naturæ beneficio.*

(*Hirſchberga Altorfium miſſa*
d. 12. Maji 1734.)

OBSERVATIO LXXIV.

DN. D. JOH. ADAMI LIMPRECHTI.

Verbis, non herbis, domatur atrocitas vermis.

VIr quidam ordinis equeſtris in Sileſia, temperamenti ſanguineo-melancholici, quinquaginta & quod excurrit annorum, militiæ nunquam deditus, cujus inteſtina undique vermibus tenuibus obſeſſa videbantur, (ſiquidem ſæpius in globulos implicati, inſtar parvarum pilarum, cum quibus verno tempore pueri ludere ſolent, excrementis etiam non commixti per anum exitum ſibi quærebant,) falſa ex delirio melancholico laborabat imaginatione, Heidelbergæ ſe degere, cinctamque obſidione eſſe hanc urbem á Gallis, ita ut ex eadem nullus in patriam ipſi pateret regreſſus. Omnem equidem movi lapidem, ut hunc ægrum ſanitati priſtinæ reſtituerem & varia methodo varia medicamina propinavi & applicavi ex herbis & lapidibus, in quibus magna & dicitur & reperitur ineſſe virtus, regno animali non neglecto, oleum autem & operam perdidi, usque dum in verbis forſitan aliquid virtutis adhuc latere ſuſpicarer, cui ex alto forſitan benedictionem ſuam

 largi-



largiturum sit summum numen. Curam ergo, eamque in exitu satis felicem, sequenti modo aggressus sum:

Inter familiares ægroti centurio quidam erat, eques Silesius, ex Hungaria redux, ubi inter copias Romani Imperatoris LEOPOLDI summa cum laude stipendia diu meritus erat, homo judicii acuti, cum quo propterea consilium inibam, ut in suscipiendo opere fideliter mihi adsisteret, idquod etiam optime præstitit. Notum enim mihi erat, ægrotum viri hujus experientiam militarem adeo magni facere, ut persuasissimus esset, vix ac ne vix quidem parem in patria inveniri, unde occasionem arripui, mentem meam ægroto aperiendi, de felici ex urbe Heidelberga in patriam transitu, ad quem obtinendum & promovendum mihi quidem nemo hoc centurione aptior videretur. Perplacuit ipsi hæc mea propositio, statimque â me desideravit, ut data occasione illius mentem hac de re explorarem. Accepta hinc centurionis responsione, hoc negotium admodum quidem difficile sibi videri, non tamen prorsus impossibile, maxima æger perfundebatur lætitia, promissaque exactissima obedientia, quod ne latum quidem unguem â consiliis centurionis recedere vellet, media æstate cum hoc comite carpentum ascendit circum circa tectum, tempore, quo alioquin somno meridiano indulgere solitus erat, & ita uterque per portam prædii posticam vehitur in sylvulam vicinam.

In hoc itinere plurimum temporis spatium dormiendo consumsit æger, reliquum ad solis usque occasum sermonibus & confabulationibus cum supra nominato centurione. Declinante tandem in vesperam die, peregrinantes nostri in idem prædium, ex quo egressi erant, revertebantur, sed per aliam ejus portam, anticam scilicet, ibique jusseram, ut subditorum plurimi, unacum ordinario Judice, assessoribus suis stipato, primum revertenti suo Domino hæreditario obvenirent, eumque ex tam longin-

quo

quo itinere feliciter adventantem pro more suo plaudentes & congratulantes exciperent; ad interiora vero pergenti domestici occurrerent, omnique quo possent, modo & voce & corporis gestu gaudium, de felici Domini sui reditu conceptum, manifestare allaborarent, ac tandem conjux cum filia sua simili lætitiæ affectu maritum patremque in domicilium suum introducerent, quod cum iste, gratulationibus fere obrutus, ita intraret, non amplius dubitavit feliciter sic ex obsidione liberatum & in securitatem translatum esse, summasque ideirco Deo T. O. M. pro salvo ac incolumi reditu suo in Silesiam, persolvit gratias. Cum dein de me sollicitus esset, quid agerem, responsi loco accepit, per nuncium jam tum significatum mihi esse ipsius reditum, brevique adfuturum me fore. Accedens postmodum ad ipsum, exposita singulari animi mei lætitia de felicissime confecto longinquo itinere concepta, varia vitra, in quibus portio quædam medicamentorum adhuc restitabat, per fenestram confestim projicio, ægro persuadens, durante longiore illo temporis spatio, quo in itinere constitutus fuisset, omnia illa corrupta esse. Et hac ratione, divina adsistente gratia, sæpe memorati centurionis ope, tandem *verbis* obtinui, ut ægrotus hic, si non sano corpore, mente tamen sana, adhuc per menses aliquot vitam duxerit. Posse autem â vermibus mentis alienationem produci, præter alios suo jam ævo observarunt & annotarunt splendida illa Medicorum sidera, *Petrus* FORESTUS & *Jodocus* LOMMIUS.

OB-

OBSERVATIO LXXV.

DN. D. JOH. ADAMI LIMPRECHTI.

De

Paroxyſmo apoplectico, ſingulis diebus Dominicis certo tempore tertium recurrente.

VIx ſeſquiannus elapſus erat poſt factam ſanæ mentis reſtitutionem in ægroto prius deſcripto, cum ille ipſe ſubito ac prorſus inopinato, dum die quadam Dominica in vicino pago campana primum dabatur ſignum ad inchoandum cultum divinum, gravi quodam apoplectico tentaretur inſultu. Ego, qui ultra dimidium milliare tunc temporis ab eo vix aberam, de ſtatu hoc certior factus, confeſtim advenio, ipſumque ſine ſenſu ac motu in lecto jacentem deprehendo, dato autem emetico ex mercurio vitæ & conjunctis ſimul externis neceſſariis medicamentis, brevi iterum per Dei gratiam ab iſto vitæ periculo libero, ut circa veſperam menſæ aſſidere cœnamque cum familia ſua capere potuerit. Proxima die Dominica ingratus & minime invitatus hic hoſpes eodem tempore ac hora redit, ad quem debito modo excipiendum ego quoque illico accerſitus compareo, ſummique numinis auxilio, juxta modo recenſitam methodum, feliciter iterum noſtrum ægrotum abinde libero, ita ut ne quicquam etiam paralytici remanſerit, prognoſin tamen hanc ſimul ſuperaddo, me ſimilem medicamentorum effectum vix ac ne vix quidem promittere aut expectare poſſe, ſi tertia forſitan vice idem recurreret malum, quod etiam triſtis brevi poſt confirmivit eventus: Sequente enim die Dominica, eadem fere hora, apoplecticus iſte ſubito irruebat inſultus, & quidem tanta cum vehementia, ut nec propinatum quicquam efficeret emeticum, nec per externa denuo in auxilium voca-

vocata medicamenta excitatio qualiscunque obtineri potuerit, quin potius, sub stertore singulis momentis ingravescente, brevi post placida subsecuta fuerit analysis.

(Berolino missa Altorfium d. 20. Maji 1734.)

OBSERVATIO LXXVI.

DN. D. OTTON. PHIL. VIRDUNG ab HARTUNG.

De

Monstroso Gemello.

ANno 1734. die 31. Martii rustici cujusdam cognomine Seehüter, incolæ pagi Unter-Aurach dicti, propeque Bambergam siti, uxor, elapso gestationis tempore gemellos in lucem edebat â maxillis inferioribus ad umbilicum usque ita concretos, ut eorum figura amplexum repræsentaret conjugalem. Alter horum major atque maturior sexus erat sequioris, alterius vero sexus, ob partium genitalium defectum, quarum loco foraminulum parvæ lentis magnitudine, ac impervium, (quo vitio anus etiam laborabat) oculis se offerebat, definiri non poterat. Os, quod hiabat, atque collum, utrique fœtui erant communia, duabus vero præditi erant linguis, non in medio, prout decet, sed in dextra oris parte in quolibet ipsorum sitis, ita quidem, ut altera alterius ori inserta videretur; non minus & quilibet suum habebat umbilicum. Monstro hoc cultro anatomico subjecto, coalitisque partibus dissectis, in utroque statim fœtu sensibus erat obvium cor, aspera arteria cum dextro pulmonum lobo, deficiente sinistro; œsophagus, ventriculus lympha repletus, quique in medio coalitus videbatur, item pylorus, intestina, utrique fœtui erant communia, quilibet vero eorum proprio gaudebat hepate, in illo sexus sequioris longe majore, vesicula fellea, liene & unico rene, in dextro latere sito. Denique vesica uri-

naria atque uterus in puella deprehendebantur, quibus vero partibus alter fœtuum erat deſtitutus.

OBSERVATIO LXXVII.
DN. D. OTTON. PHIL. VIRDUNG ab HARTUNG.
De
Perverſa febris intermittentis curatione, vomitus cruenti, Arthritidisque auctore.

ANno 1733. civis quidam Bambergenſis, comæ ſubdititiæ textor, 28. annos natus, temperamenti ſanguineo-cholerici, cum tempore vernali ſuorum negotiorum gratia Herbipoli aliquamdiu commoraretur, febri corripiebatur continua, in intermittentem, adhibitis remediis, degenerante, qua detentus, exantlatis aliquot paroxyſmis, die quadam apyrexias Bambergam rurſus petens ibidem Medici implorabat auxilium, qui alia inter febrifuga electuarium antifebrile, corticem Chinæ largius accipiens, per quindecim ſeptimanas in uſum vocabat, citra tamen qualemcunque febris mitigationem, nedum plenariam curationem. Æger hinc impatiens, miſſum faciens Medicum ordinarium, varios in conſilium adhibebat empiricos, ſuique curationem his demandabat, quos inter quidam balneator corticem Chinæ in pulvere devorandum, largius iterum propinabat, tantum vero abeſt, ut intento potitus eſſet fine, ut potius malum in pejus rueret. Ineunte tandem anno 1734. ægro vitæ ſuæ fere pertæſo rudis quidam ruſticus neſcio quale vomitorium exhibebat, quod præter ſaburram bilioſam, elapſo biduo magnam ſanguinis, tum floridi, tum coagulati, copiam ἄνω exturbabat, & parum abfuit, quin cum latice purpureo animam quoque profudiſſet. Noctu igitur accerſitus, patientem alte-

alterum pedem in Charontis cymba habentem, & vomitu cruento adhuc graviter laborantem deprehendi, quare omnes statim intendebam nervos, ut huic appropriatis obviam irem medicamentis, quæ inter: nitrum, infusum conserv. flor. balust. ad instar infusi herbæ Theæ hauriendum, pulveres laxantes rhabarbarini atque clysteres, maximum ægro adferebant levamen, & 14. dierum spatio memoratum vomitum sistebant. Succedebat autem huic, & vix abinde liberatum ægrum infestabat gravis manuum pedumve Arthritis, quæ licet remediorum pharmacevticorum vim eluderet, aquis tamen mineralibus Kitzingensibus, tam instar balnei in usum tractis, quam potus loco per quatuor septimanas haustis, morem gerebat, & hac ratione patiens pristinæ restituebatur sanitati.

OBSERVATIO LXXVIII.
DN. D. OTTON. PHIL. VIRDUNG ab HARTUNG.
De
Imprudenti titillatione & vaginæ uteri extensione, abortus & mortis causa.

ANno 1730. rusticus quidam robustus, statura procerus, pagi Schweisdorff appellati incola, subditusque Bambergensis, nomine Joh. Schüz, cui res angusta erat domi, quodam mensis Julii die circa noctem cum uxore sua, tertio mense gravida, de penuria quam cum sua familia ægre ferebat, rixatus, eam verbera metuentem, hincque post fornacem se occultantem, ab illo vero deprehensam, in cubiculum adductam, vestibus exutam, in lectum conjecit, ejusque genitalia digitis suis moleste titillavit ac vellicavit, concubitum vero non celebravit. Uxor postquam altero mane surrexerat, confectis ordinariis negotiis domesticis, suam adibat matrem, & apud hanc de vehementibus

 pu-

pudendorum doloribus conquesta, domum brevi post revertebatur, nihilque mali metuens indies vero debilior facta duodecimo a peracta illa violenta titillatione die mane, in agone fere jam constituta, abortum gemellorum est passa, ac circa vesperam obiit. Cum vero, duabus hebdomadibus post ejusdem,more christiano factam sepulturam, Satrapa Scheslicensis ex rumore intellexisset, demortuam duobus ante obitum diebus quibusdam mulierculis atque matri revelasse, quod maritus, cum ob paupertatem prolium multitudinem alere non potuisset, ad abortum provocandum dextra sua manu utero intrusa funiculum umbilicalem abripuisset, ille, examinatis curatius omnibus circumstantiis, huncce casum cum Bambergensi communicavit regimine, mandatum sibi expetens, qua ratione in re tam intricata sit procedendum. Eo igitur obtento maritum in carcerem includendum, ac sepultam ejus uxorem effodiendam curavit, ut Medicus, Physicus & Chirurgus juratus in mortis causam inquirere possent, qui vero præter tumorem carnosum ex pudendis propendentem, prolapsui uteri non absimilem, nihil, ob putredinem, advertere valuerunt. Maritus â judice interrogatus, an ipsi fuisset animus embryones extrahendi & occidendi, hocque facinus patrasset? negando respondit, quod tantummodo uxorem placandi, appetitumque venereum excitandi causa uteri vaginam suis titillasset digitis.

Judex igitur in re tam ardua tamque abdita dubius quid faciendum, ex regiminis consilio memorato Physico, Chirurgo atque mihi sequentes proponebat quæstiones decidendas:

Quæst. 1. An orificium uteri internum fœminæ tertio mense gravidæ tantam admittat distensionem, ut robustus rusticus sua manu ad carpum usque in ejus cavitatem penetrare, funiculum umbilicalem lacerare, & hoc facto, fœmina tamen altero mane domesticos labores, v. gr. hypocau-

pocaustum calefacere, lintea lavare, licet magnis sub doloribus, peragere & obambulare possit?

Quæst. 2. An funiculo umbilicali utriusque embryonis rupto, hi tamen ad duodecim dies absque putredine in matris utero retineri potuerint, vel an potius ipso abortus momento dictorum funiculorum laceratio sit facta?

Quæst. 3. An læsioni, violenta manus in uteri vaginam intrusione inductæ remediis succurri potuisset, vel an illa absolute & simpliciter fuerit lethalis? Responsiones nostræ sequentis erant tenoris:

Ad primam: Ex anatomicis constare, uteri figuram extra graviditatis statum esse parvam atque compressam, ejus cavitatem vix amygdalum capere, & internum illius orificium ægre calamum admittere scriptorium, factaque conceptione, hoc sese arctius constringere, teste *Francisco de le Boe* SYLVIO, *de gestatione fœtus læsa Cap. IV. §. 10. p. m. 528.* his verbis: *Statim â conceptione uterus totus arctius sese corrugat & constringit;* & *Bernhardo* VALENTINI *Pandect. Medic. Legal. Part. I. §. 7. p. m. 805.* de procuratione abortus putatitia ubi sequentia extant: *De cætero ante orificii uteri interni aperturam, & priusquam aquæ sponte se trudant, & ita ante partum instantem obstetrices ad hanc aquarum ruptionem ob uterum ita occlusum devenire non possunt, multo minus possibile est, secundinam cumprimis eo in loco, ubi placenta uteri matrici firmiter adhæret, separare.* Hinc in propatulo esse, si ante instantem partum in uteri cavum penetrare sit impossibile, id multo minus tertio â conceptione mense fieri posse, licet maxima adhibeatur vis; & si hæc tanta supponatur, quæ etiam ossibus pubis diffringendis par extitisset, fœminam utique altero statim mane domesticis suis laboribus jam memoratis præesse haud valuisse.

Ad secundam: Probata, in proxime præcedente responsione, manu in uteri cavum penetrandi impossibilitate, sponte

te concidere imputatam funiculorum umbilicalium abruptionem, & hac vel maxime supposita, sed non concessa, non potuisse fieri, quin duodecim dierum spatio putredinem embryones subiissent. *Vid. Paul.* AMMANNI *Prax. vuln. lethal. p. m. 472. Decad. VI. Hist. 8.* Hat aber die Nabel-Schnur nicht wie sonst so schön und weiß ausgesehen, sondern gelb und lappigt, so ist zu vermuthen, daß das Kind tod von ihr kommen. Abortus vero paucis ante mortis articulum horis facti autores extitisse terrorem, iram, tristitiam, violentam abdominis gravidæ depressionem, imprudentem vaginæ uteri extensionem, & unguibus digitorum vellicationem, harum videlicet nervosarum summeque sensibilium partium inflammationem, gangrænam ac denique mortem post se trahentes.

Ad tertiam: Fœminam & dubio procul etiam embryones servari, abortumque, licet circa finem tertii & initium quarti mensis magis metuendum, præcaveri potuisse, si in tempore appropriata in usum ducta essent remedia. Harum ergo circumstantiarum intuitu maritus, sumtibus solutis, pristinam obtinuit libertatem.

(Bamberga Altorfium missa
d. 12. Sept. 1734.

OBSER-

OBSERVATIO LXXIX.

DN. D. JOH. FRIDERICI HENCKELII.

Hæmorrhoides mucoſæ albæ enormes, cum exulceratione colli veſicæ complicatæ.

VIr 50. annorum, habitus corporis carnoſi, non æque ſucculenti, temperamenti ſanguineo-cholerici, gulæ & veneri nimium quantum indulgens, vinoſus, athletice valens, ante duos annos, ab inebriatione enormi, & hanc poſtero die inſecuta vehementi diarrhoea, infeſtatur fluxu hæmorrhoidali largiſſimo, quem verſus veſperam ultro emanentem diarrhoea eadem rurſus excepit, atque abhinc duos forte poſt dies fluxu ventris etiam plane ceſſante, introitus in tragicam illam, de qua dicam, ſcenam factus eſt.

Nimirum venter vix fluere deſierat, ex quo ſpaſtica in inteſtino colo & in centro meſenterii, & ê regione ejus in dorſo iſtum prehendit tortura; irrepentibus pedetentim in partibus muſculoſis & artubus, motibus magis magisque doloroſis, moleſtis, ad anxietates & lipothymias ſubinde increſcentibus. Neque ita multo poſt, vel ſi æger rectius meminit, illico invaluerunt, extraordinariæ turbulentæ, jam parciores & ſegniores, jam copioſiores & celeriores, nullo non die numeroſæ teneſmodes alvi dejectiones. Urinæ progreſſus liber, ſufficiens & conſtanter ordinarius, ſucceſſive tandem exhibens ſedimentum flaviuſculum, albicans, ſubtus glutinoſum, haud vero, quod experimentum per ignem mihi probavit, calcareum, ſine ullo hactenus dolore proveniens, neque gonorrhoeæ virulentæ lucu-

lentum

lentum testimonium exhibens. Ceterum plerumque in orthostadia adhuc constitutus æger atque officii sui & peregrinationum satis molestarum subeundarum subinde capax, hinc admodum securus, atque tum Veneri tum Bacho, esculentis & potulentis exquisitis, generosis, imo, quæ conquirere ullibi potuit, aphrodisiacis strenue indulgere & inhiare perrexit.

Tandem interea, quæ hactenus subinde passus fuerat, elapso annuo circiter spatio, erupit morbi furiosa facies, nempe spasmus in abdomine dirissimus, alias transitorius, & ut plurimum tolerabilis, nunc adeo rigidus & continuus, ut graviter abinde decumberet. Motus hic non modo interne in jam dictis, quæ primum occupaverat, locis, sed etiam in manibus, pedibus & circa scapulas hic inde ita ipsum vellicabat, & torquebat, ut de doloribus acerbissimis & anxietatibus intolerabilibus per tres fere septimanas conquereretur. Appetitus tunc plane prostratus, & stomachus selectissimis quoque ingestis reluctans apparebat. Ceterum insomnis, emaciatus, debilis erat patiens, ast sine febre. Alvus prædicto modo varians, fæcibus, utut plerumque paucioribus, scybalosis, per intervalla tamen nimium lubricis, oleo quasi inunctis, sedibus plus justo semper numerosioribus. Flatus indomiti, jam incarcerati, pressorii & molestiores, jam borborygmodes, ad spasmotum & lipothymiarum causam, non dicam alterum tantum, multum tamen facientes. Denique partim medicina, partim expectatione per hunc atrocem eluctatus decubitum miser, non vero sanatus, imo ne quidem ad priorem tolerabiliorem reductus orthostadiam, nempe & materiæ malignitate manente & spasmis per intervalla sævientibus, imo ingravescentibus, ita, ut non modo muneri fungendo, sed & suavioribus legendis, vel audiendis impar & morosus redderetur.

Tum

Tum ego in consilium advocatus, offendi utique miserrimum, spasmos inter & anxietates, brevi morbo descripto graviter conflictantem, decumbentem. Quod primum in recensione sua fuit, alterum & ultimum, conqueri maxime consuevit, partes sibi aliquas in ventre vellicari, contrahi, torqueri, glomerari, angustari; versus regionem umbilicalem digito semper monstrans; pariter & ex hac regione in dorso non aliter sibi esse, quam si valde fricaretur, & versus os sacrum quidpiam deraderetur, id quod & pedetentim de loco ad locum progredi, promoveri, & versus os dictum descendere non obscure sentiret; porro in intestino recto â curvatura coli ad orificium ani usque, tantummodo, uti ægro primum videbatur, ad fæces proprimendas, sed quod ego ipse animadvertebam, etiam post alvi plenariam evacuationem, motu quodam tenesmode molesto, irritari, urgeri & premi; motus autem hosce jam in aliquibus locis sedari, jam imminui singulos, jam plane omnes evanescere. Neque ulli fere parti, excepto capite, pepercit spasmus, jam brachium, inprimis dextrum, jam manum dextram, ibique præcipue minorem digitum, jam dorsum, scapulas; jam crura & pedes, jam regionem ischiadicam, modo seorsim, modo simultanee afficiens. Somnus & appetitus, ubi dolor remittebat, semper redibant, imo non raro hic insatiabilis. Hæc probe perpendens omnia atque inprimis materiam urinæ duplicem considerans, non poteram non agnoscere statum morbi complicatum, & quidem primo apparere *fluxum hæmorrhoidum mucosum album*, secundo *colli vesicæ exulcerationem* subesse. Quod enim primum spectat, demonstrat illud 1) natura materiæ limpidæ glutinosæ in urina subsidentis, 2) motus spasmodicus ad vasa hæmorrhoidalia maxime tendens, 3) tenesmus, 4) morbi initium, quod purum hæmorrhoidale fuit, 5) diarrhoea præcedanea, & inse-

 quens,

quens, 6) excrementorum oleoſa lubricitas, inſuper 7) probabile illud reddit diæta lauta, opipara, vinoſa, quam plethora, ſanguinis pinguedo & inflammabilitas ejusdemque per ætatem verſus inferiora conſueta & ſtimulata congeſtio non potuit non inſequi.

Quod ad alterum attinet, elucеſcit ex materia, glutini memorato immixta & ſupernatante, purulenta, albo-flava, quam minime calcaream per ignem deprehendi. Neque iſtam pro tali, qualis in gonorrhoea virulenta prodit, habere potui, quia nimis copioſa erat; quamvis utique illud largiar, quod ſemen benignum confluxerit, quale per contactum puris jam exiſtentis corruptionem facile augere poteſt. Æger pollutiones nocturnas ternis quaternisque diebus hactenus & poſtea experiebatur, atque ſemen etiam interdiu ſibi adeo præſto eſſe ſenſibiliter neque raro animadvertebat, ut quando forte glandem penis manu tranſitorie ſolum tangebat, titillatio, atque hanc ſeminis emiſſio ſtatim inſequeretur.

Ex hac hiſtoria & ſententia quilibet cordatiorum facile videbit, quid egerim, quid valuerim, quid prædixerim, dummodo mihi confidat, nec me neſcire, quid in humano corpore, adeo afflicto, egregii, de alterando, evacuando, & roborando præſtent tituli. Lapidem movi, non promovi; neque herba neque emplaſtrum avertere potuit, quo minus corpus hoc, non integrum, utut aliquoties tolerabilius ſe habens, relapſu graviore in deterius, idque per varias periodos & nova ſchemata rueret. Nil certe memini, niſi ſolius betulæ ſucci ex arbore ſponte exſtillantis, qui ad minimum contra urinæ ardorem, nonnihil levaminis attulit.

Prima notabilior periodus â vomitus emanſione definiri debet, verſus finem Auguſti ſubito eveniente, quem contra major in dies alvinarum excretionum numerus, at-

que

que excrementorum ſenſibilior & oleoſa lubricitas, adeo preſſo pede inſequebatur, ut in ſententia confirmarer, motus vomitorios, ſicuti contractiones reliquas omnes non â proprio ſtomachi vitio, ſed longinquius â ſyſtematica aliqua fibrarum ſtrictura profectos eſſe.

Sub initium Octobris urinæ materia glutinoſa, cui hactenus ulceroſa præponderabat, in largiore copia fluere cœpit, â glande penis ad fundum matulæ per cubitos ſe extendens, & unica mictione 2. 3. unciarum pondus facile æquans incredibili cum difficultate & ardore. Hic fluxus, quod nemo fere crediderit, interdum diem unum, interdum alterum admiſit vacuum, plerumque autem ſtata ſua tempora, & quidem horas meridianas & veſpertinas, ſervavit; atque ubi paululum remittebat, motu quodam in perinæo, ut dicebat, coctorio, vellicante, & irritante continuo fere ægrum moleſtavit. Contra ab eo tempore ſpaſmus ille in abdomine, qui alias graviſſime & perpetuo illum excruciabat, imminuebatur. Inde etiam alvi excretionum frequentia ac lubricitas notabiliter ſimul decrevit, quod ſatis oſtendit, materiam mucoſam per urethram emiſſam non aliam ac hæmorrhoidalem fuiſſe & via ſaltem erraſſe.

Ab initio anni ſequentis hæc iterum ad annum devolvebatur, hæcque tertia erat periodus. Abhinc enim urina adeo tenuis, excepta tantum aliqua puris portione, muci expers, imo quandoque plane clara, qualem antea non obſervavi, prodire incipiebat, diuque ita continuabat, phænomenon ſane ſpecioſum lætumque fere prænuncians exitum, quod materia in tramitem non modo redire, ſed etiam in eo permanere velle videbatur. Inopinato autem ſpes iſta nos iterum decipiebat, imo plane decollabat. Tunc enim ſpaſmus in meſenterio tanto magis recrudeſcebat, & aliquot dies poſt materiæ iſtius hæmorrhoidalis ad

urethram iterum tranſitus ſenſimque totalis fiebat revolutio.

Tandem febris acuta ipſaque mors ſcenam hanc claudebat. Quid ergo inde? Practici certe perparum, prudentiæ vero prognoſticæ, quæ ſola Medicum interdum facit, non parum: Morbum enim incurabilem fuiſſe liquido exinde conſtat. Quatuor alia ejusmodi exempla mihi non ita multo poſt occurrentia quamvis mitiora, id ipſum comprobarunt.

OBSERVATIO LXXX.

DN. D. JOH. FRIDERICI HENCKELII.

De

Zinco.

ZInci mineram propriam & determinatam, ſicuti metalla ſuis gaudent ſingula, non novi, neque Goslaria, unde maximam partem ad nos proficiſcitur, atque vulgaris de ejusmodi certa minera opinio pervenit, neque Pannonia, Zinci non plane expers, terram aliquam vel lapidem ſpecificum exhibet, quo illud, prout v. g. plumbum ex galena, excoquatur, multo minus, quod natura ſuum vel purum putum ſit, ut de arſenico & ejusmodi metallis volatilibus conſtat.

De mineris Indiarum Orientalium, unde non parum iſtius ad Britannos & Batavos devehitur parum mihi cognitum atque perſpectum eſt. Solus lapis calaminaris supereſt, qui ejusmodi minera appellari meretur, quod probat Orichalcum, & tinctura, & ponderis acceſſione, & metallici characteris permanſione, utpote â Cupro per Zincum

cum tincto, essentialiter non differens: Illustrat experimentum illud meum, quod *in Pyritologia* de sistendo Zinco substantiali memini: Insinuat idem spes non inanis, illud ex isto lapide, forte & sine adjumento molybdænæ, (quod Anglus quidam, qui nuper Bristolio huc advenit, experientia suorum conterraneorum testatur) debito carbonum flamantium contactu, copiose obtinendi.

Quæ hactenus de peculiaris hujus materiæ origine, empirice saltem, habemus, non nisi casu, & aliud agendo ex furnis minerarum fusoriis acquisivimus & cognovimus, â theoria rationali non parum adhuc alieni. Interim certum hucusque est, quod in veris metallorum venis, quales nostræ Misnenses, Rammelsbergenses, Pannonicæ harumque plures sunt, neque lapis calaminaris, neque ejus quippiam analogici neque aliud Zinci determinatum, sub quocunque schemate illud concedam, ullibi ostendi possit; ê contrario quod, quantum mihi innotuit, lapis calaminaris terræ corium amet, ibi stratim, vel glebæ & ramenti instar obvius, & sicubi in venam coëat tortam, vel plane descendentem, eam solam sibi vindicet, neque cum aliis metallis communi vinculo contineatur. Plumbi mineram alicubi comitem habet, quod ipsum pro mea militat opinione, plumbum huc convenire; qui exceperint & Martem, illis mirum istud haud videbitur, si perspectum habent, hunc undique occurrentem hospitem nec hic peregrinum, vel potius totum globum terraqueum ubique ita ferreum esse, quo minus metalla reliqua evitare Martis contactum queant, quin imo, ut plura dem, etiam in lapide calaminari quandoque intime mixtum delitescere, quod inter alia Vitriolum Martis, inde resultans satis comprobat.

Hisce dictis contradicere videtur Zincum, quod ex venis metallicis Goslariæ & alibi in furnis fusoriis large provenit.

venit. Quodsi autem minerarum, quæ ibi fodiuntur & funduntur, genera considero & examino singula, non nisi nota ordinaria plumbea, ferrea, arsenicalia, argentea & sulphurea sunt, quæ sola & per se nihil Zinceæ substantiæ vel efficaciæ produnt, neque in iis minutissimum, quod per se Zincum sapiat, deprehendo. Illud, quod Rammelsbergæ pro minera istius venditatur, purus lapis ferri est, quod mihi experto credat lector. Inde sequitur, Zincum dictis in fusionibus emergens, alicujus totius separatam partem haud esse, sed pro prole ex concursu plurimorum corporum producto vel genito haberi debere.

Accedit & hoc, quod nec Schemnizensium fusiones, ubi pariter emergit, aliæ atque familiares plumbi, cupri, argenti, arsenici, ferri, sulphuris mineræ ingrediantur. Ceterum in furnis, inprimis plumbariis plurimis metallicis in locis draconis huius combusti cineres vel flores, Cadmia fornacum, germanicè Ofen-Bruch, Ofen-Galmey, appellati, habitu metallico exuti, ob heterogenea sibi implicita difficulter reducibiles, virtute, autem tinctoria sua & cum cupro metallisabili substantia prædити deprehenduntur. Tandem illud & in nostris aliisque furnis, metallo-fusoriis, ubi Cadmia dicta apparet, procul dubio & jam in metallica optima forma obtineri posset, si in opere fusorio, præcipue plumbari, tum ratione ignis, quod Goslariæ nycthemeron, apud nostros vero quinque dies durat, tum ratione furni structuræ, cui illic â pariete antico peculiare latibulum, contra ignem destructorem munimentum, quod sellam Zinci vocant, aptatum est, adhiberentur aut adhiberi possent.

Definire autem, utrum nominata mineralia omnia aut quo ordine ac modo huc conferant? quis genitor, quæ mater?

mater? quod inſtrumentum, quæ materia ſit? non adeo facile eſt. Pariter, qua Zincum primo forma in igne appareat, utrum florum ſublimatorum inſtar, qui carbonum contingentium phlogiſto & flatu celerrimo reficiantur & metalliſentur, an vero in ipſa ſtatim metallica ſubſtantia generetur & præſto ſit? Illud valde probabile videtur, materiam, ſi non omnem, plurimam tamen, ſi non ſemper plerumque tamen & convenientiſſima molybdenæ deberi, martem agere inſtrumentum, forte & aliquatenus immanens, minimum præparans, minimum præparans modificans, expellens.

Nam, 1) lapis calaminaris, qui totus fere intrinſece Zincum eſt, molybdænam comitem præ aliis metallis ſuffert 2) Zincum inopere fuſorio, præſertim plumbari ſe exhibet, uti & de illo, quod Troiza Ruſſorum, in Nardzinsky ſuburbio, Chinæ finitimo, manu fida mihi miſſum eſt, ſimul relatum habeo 3) per ſe vitrificatur, quod de aliis metallis, excepto plumbo & regulo antimonii, ita non novi; etiamſi eatenus, qua ignem requirit longe fortiſſimum, majorem cum regulo quam iſto analogiam præ ſe ferat 4) ex lapide calaminari, adjumento molybdænæ, vel ex hac ope iſtius ſiſtitur, ſi iſtius & hujus partes æquales, carbonum parum, in vaſe figulino denſo, igne fortiſſimo urgentur, &, quod bene notari debet, vas caſu fiſſuram patitur, ut carbones commixti inflammati in magma dictum debite operari queant.

Zinci ſubſtantia metallica eſt, at quod contra omnem metallorum naturam peculiare animadvertendum, ad inſtar ſulphuris inflammabilis. Utrum ejus phlogiſton pars conſtitutiva, an vero ſolum modificatio totius ſit; porro num hoc â ſulphure proficiſcatur, aut an hic metallicæ particulæ (prout metallorum v. g. auri, argenti, plumbi,

vola-

volatilisatio certo succedit,) sine sulphure in statum sulphureum convertantur, imo ad Zincum phlogiston concentratum omnium metallorum sit, nondum est, quod enuntiem, aliorum de hisce judicium expectaturus.

Singularia istius sunt: 1) Inflammabilitas, jam prædicata, 2) Quod perquam facile solvatur, non solum in aceto vini, in odores narcissinos suavissimos erumpens, sed etiam per certam encheiresin & appropriationem, in acido salis communis, ejusque utrinque in forma sua metallica constituti, limat. 3) Quod hisce modis etiam in chrystallos abeat. 4) Incalescentia & spumescentia cum argento vivo evenies. 5) Quod igne anemio vehementissimo, celerrime in vitrum se converti sinat, quam operationem alias non nisi speculo caustico attribuere voluerunt curiosi. Vitrum inde resultans semi-opacum, lapidis nephritici seu recentiorum olivarum instar, atque ita coloris prasii. 4) Altum de ejus examine in scriptis extans silentium, cum tamen credibile haud sit, quin multi exactam ejus analysin chymicam susceperint, aliqui etiam forte invenerint, quod mysteriose celent.

Coronidis loco historiolam addam: Quidam Salisburgensium, qui anno præterito per Misniam emigrarunt, secum habuit pulverem eximie rubicundum, cujus granis quatuor tinxit cupri libram unam in flavum, non aurum, id quod mihi mirum minus videretur, sed orichalcum, profecto admiratione dignissimum, hoc modo inauditum. Medicus, qui vidit & mihi retulit, fide dignus est.



OBSER-

OBSERVATIO LXXXI.

DN. D. JOH. FRIDERICI HENKELII.

De

Succino fossili in Saxonia Electorali.

ANno præter lapso â Regia sua Majestate, Domino meo Clementissimo, jussus, ut succini fossilis, non procul â Torgavia in præfectura Pretschana, prope Schmidebergam, non ita pridem detecti, historiam & naturam recenserem investigaremque, inspexi locum natalem, circumspexi adjacentia, effodi ipse, quantum per sabulosam tellurem ubique corruentem & per minas cuniculi subdialis jam acti, potui, atque jam rem non modo pro patriæ honore, sed etiam pro historiæ mineralis incremento, quæ publicæ scientiæ, dijudicationis atque utilitatis fieret, dignam judicavi.

Regio succinosa plana, per parum hinc inde acclivis. Solum arena minuta, Tripsand, constans, stratim lapillis & lapidibus siliceis, subinde corneis, conspicuum, profunditatis duarum, trium & plurium orgyiarum, hinc inde ita excurrens, ut aliud strati vel telluris genus emineat, sicut inter alia versus Schmidebergam, oppidum, terra ferri rubra & ejusmodi saxi ramentum in aprico est. Stratum subtus jacens paludosum, bituminosum, vitriolicum & aluminosum deprehendi, longè lateque se extendens, quod officinæ vitriolico-aluminosæ Schmidebergenses, Trossinenses & Dubenenses, per milliaria dissitæ testantur. Ab hoc strato sulphureo-metallico & sulphureo-calcareo etiam illud Vitriolum, quod supra

in ſtrato ſabuloſo ſe manifeſtat, ſcaturit, vel ſi mavis, ab acclivitate cum aquis ſubdialibus ſolutivis devolvitur.

In hac arena perfodiuntur inprimis duo ſtrata diſtinctiora, pariter ſabuloſa, quorum tamen ſuperius in fragmentis & minutiis ſubſtantiæ lignoſæ & ligniformis bituminoſæ, ſubnigræ, qualis alias telluri aluminoſæ familiaris eſt; inferius in terra, gryſeo-viridiuſcula, vitriolica, Miſy antiquorum, conſiſtit. Aſſurgunt & declinantur pari modo illa, quemadmodum de ſtratis ſeu venis horizontalibus notum eſt, non quidem valde torta, obliqua vero, cauda vel capite cum ceſpite ſubinde terminalia; inclinantia potiſſimum â pago Groswik ad pagum Reinhards, h. e. â meridie verſus ſeptentrionem.

Strata dicta, indiſcretim accepta, maxime vero quantum perveſtigare mihi licuit, inferius ſuccinum continent, fruſtulatim & ſparſim, fabarum, raro nucum juglandium magnitudinis, nunquam continuum, neque tamen lateribus attritum, ſed ita comparatum, ut difficulter credendum ſit, per inundationes aliunde huc conjectum, ſed potius appareat, ejus geneſin in loco, ubi reperitur, factam eſſe.

Colore gaudet ut plurimum hyacinthino aureo, raro lacteo, quod in Pruſſia *Komſt* vocant, â braſſica capitata deſumta ſimilitudine; brevi: Eſt verum Succinum, id quod per deſtillationem 1) phlegma acidum, 2) oleum ſubflavum, 3.) oleum empyrevmaticum, 4.) ſal volatile acidum, 5.) cineres reſtantes ſatis mihi comprobarunt.

Terra ſabuloſa vitriolica ſine dubio conſanguinitatis vinculo cum iſto continetur, utrum autem inſtar matris an ſororis, non liquet. Fragmenta lignea, quæ ſuccinum comitantur, tanquam haud obſcura regni vegetabi-

lis

lis vestigia, hic utique terræ prædictæ denominationem matricis speciose satis disputare atque sibi vendicare possent; cum pinguedo Succini non obscure videatur esse naturæ vegetabilis, atque ligna hic sepulta certius, quam Vitriolum & Alumen, Succino præ extitisse existimandum sit, ac denique Succinum nostrum in confinio imo contactu eorum non raro inveniatur.

Quæstio ergo locum hic meretur: Utrum Succinum cum Vitriolo & Alumine simul, an vero successive, nempe bitumen â salibus hisce, quibus involutum est, ducat originem. Nam, quod sæpius inculcavi, duo in terris juxta se posita, vel clarius, quorum unum altero continetur, necessario non involvunt subordinationem & dependentiam. Si quid interim determinare ausim, dicerem, pyritem, summe honorandam illam protomineram meam, nudato capite semper salutandam, sicuti Vitrioli & Aluminis simul, (istius quidem ab utraque & acidi & metalli, hujus tantum ab acidi parte,) ita & Succini genitorem esse; siquidem illud tum ratione acidi, tum terræ inflammabilis cum Sulphure non paucam præ se fert similitudinem & analogiam. Quemadmodum enim hoc in ceteris & adjacentibus observatur & deprehenditur, quod eadem arbor ferat differentes fructus (aut potius eadem tellus differentes arbores) pyrites nempe non modo Vitriolum, sed & Alumen; ita mirum haud videbitur, quod acidum Sulphuris & pinguedo ejusdem certis circumstantiis modificantibus in aliud mixtorum genus coëant. Non parum speciosa reddi posset hæc opinio, per potabilem illam glebam, Harzgerodæ ê vena quadam productam, cui Succinum verum lacteum adhæret, quam inter alia possideo.

 Neque

Neque vero pyrita me ita occoecatum sibi imaginetur quispiam, ut in ejus infallibilitatem, sicuti Medicus ille in suas pilulas, jurem. Mea nihil refert. Zelus insuper, quem quidam dubitatione sua, quod, uti alias scripsi, Succinum in spiritu vini totum solvi possit, in me accendit, me hic pro illustranda Succini cum acido Vitrioli consanguinitate, eo adigit, ut manifestem, illud ipsum acidum esse, quod solutionem dictam adjuvare debet. Cetera encheiresis habet.

De reliquo omnium minime mirum sit, quod fodiatur, quia verum minerale est, & plurimis in locis terræ continentis jam effossum esse, inter omnes constat. Potius quæstione dignum illud est, unde ad Prussiæ ora per mare veniat & adpellatur, maxime, qui fiat, quod effluat, & quo medio fluidum redditum sit, cum fluidum nullibi reperiatur, & tamen fluidum fuisse illud Prussicum, insecta & alia peregrina inclusa satis evincant.

OBSERVATIO LXXXII.

DN. D. JOH. FRIDERICI HENKELII.

De

Topasio verâ Saxonum, orientali non inferiore.

MOntem Variscorum, *Schenckenberg* vocatum prope vallem *Tannebergæ*, duo milliaria ab *Auerbaco*, oppido, situm, gemma hæc certo incomparabilis nobilitat. In ejus summitate pedetentim assurgente eminet rupes, turris initar â tellure, quæ abruptis fragmentis

mentis valde exaggerata eſt, altitudinis forte 80 pedum, latitudinis inferioris triplo majoris, naturæ plane peculiaris, nec ſiliceæ, nec ſabuloſæ, neque margodes nec ardeſialis, ſeu ſciſſilis, multo minus ejusmodi mixtionis ſiliceo-micoſæ, qualis ſaxum noſtrum communiter eſt, ſed planè diverſæ, cujusmodi nullibi vidi, grani omnium longe durioris, inprimis valde aſperi.

Saxum hoc innumeris parvis cavernulis notatum eſt, ad inſtar caſei vermibus exeſi, quæ chryſtallulis veris gemmatæ, ſæpius inter ſe, ſæpius juxta ſe Topaſios, easque pariter in cavitate continent; itaque ſuperius liberas, inferius Saxo adfixas, non erectas, ſicuti chryſtalluli, ſed jam plane, jam oblique jacentes; ceterum terra aliqua margea ſubtiliſſima, ochrei coloris, interdum pallidioris, ad baſin circumdatas, nonnunquam penitus circumvolutas exhibent.

Nunquam circum circa liberas & ab omni latere complanatas, ſicuti de lapillis Jovis & Pyrita novimus, ſed ab ima parte diffractas ſemper offendi. Quare falſum eſt, iſtas nucleorum inſtar in cortice contineri, ſaltim â fractione vehementi & concuſſoria facile eradicabiles & dilabentes, quoniam radices non adeo, ac cryſtalli, altas, ſed ſuperficiales agunt, atque ſtructura conſtant facile diſſiliente, nempe lamelloſa. Hinc inferius plerumque turbidæ, in ſummitate pellucidæ aut pellucidiores ſunt, ſicuti etiam in cryſtallis id deprehendimus.

Structura gaudent bracteatâ, neque vero ita molli & friabili, quod de fluoribus ſic dictis amethyſtinis, hyacinthinis, ſaphirinis, ſmaragdinis, verbo ſeleniticis cognitum habemus, ſed profecto maxime compacta & ita ſtricta, ut ad naturam gemmarum primi ordinis, quales

Adamas & Sapphirus ſunt, proximè accedant; unde eſt, quod etiam fulgurent. Topaſius ſpuria vero, Bohemica dicta, quæ non niſi chryſtallus nigro tenuiter colorata eſt, in venis metallicis, inprimis ſtanneis obvia, porro chryſtallus montana ipſa, amethyſtus noſtras, vitream tantummodo & glacialem pelluciditatem præ ſe ferunt, quarum totum vero eſt continuum, fluidum quaſi congelatum, ex lamellis minime conſignatum, ſeu plurimis tenuiſſimis corpuſculis ſibi ſuperimpoſitis conſtans, quod cum duritie debita requiritur, ſi refractio lucis atque hinc proficiſcens fulguratio deſideratur.

Figura earum priſmatica apparet, laterum quatuor inæqualium, angulorum obtuſorum, nunquam plus quam unius acuti; in ſummitate plana, ibique angulis etiam obtuſis, ſed inæqualiter talibus, ſicuti adamantes ad fulgurandum, ſecari ſolent. In quo ſicuti & quoad lamellas & ſitum obliquum, imo planum, vidi Smaragdum orientalem ipſis plane ſimilem.

Proinde ſæpe longiores, præcipue minutiores & non raro duplo tales, quam latæ, nonnullæ tamen, minimum ab uno latere latiores, quam longi, imo abhinc quandoque ita breves, ut ſummitas ibi ſaxum fere contingat.

Colore flaviuſculæ, communiter pallidi vini inſtar, nunquam tamen plane albæ. Flava rarior & omnium optime fulgurans, quæ merito Chryſolithus audiret magis, quam illa moderna Chryſolithus, nihil minus quam aureo, ſed flavo-viridiuſculo corruſcans

Brevi: Eſt gemma non patriæ ſolum, ſed & multorum regnorum ſine pari, qualem nec vidi, nec aliis de-

ſcriptam

ſcriptam legi. Exteri melius norunt iſtam, quam noſtri. Tanquam orientalis venditur & noſtris.

De origine quædam meditaturo notandum eſt: 1) Topaſium noſtram cum natura ſaxi, cui inhæret, convenire, minimum multo propinquiorem, quam Chryſtallum adjacentem habere cognationem; quia Saxum iſtud gemmæ ſecandæ poliendæve optime inſervit, ſicut adamas adamanti. 2) Chryſtallum montanam comitem plane eundem, ac lapidem ſiliceum diaphanum, in ſua natura eſſe, adeoque â Topaſio valde diſcrepare, id quod ignis, quo hic difficillime vitreſcibilis, quin ad calcem magis tendens eſt, confirmat.

Quæ in ſchediaſmate de lapidum origine ediſſerui, adhuc immutata repeto: Nimirum eo modo, quo ſalia ex liquore in corpora mathematica coëunt, imo ſalia differentia juxta ſe in diverſas formas ſucceſſive abeunt, gemmam hanc oriri valde probabile eſt; germinativum ſibi concipere ortum omnium difficillimum eſt. Ex eodem agro propullulant quidem diverſæ arbores ſed unum ſemen ex ſe gigni non patitur diverſos fructus. Saxum hoc ager unius indolis eſt; Topaſius vero & chryſtallus montana toto cœlo inter ſe differunt. Taceo dubia, quæ in lapidum geneſi non niſi Coralliis marinis, & cuidam Oſteocollæ germinationem adjudicant.

Terra marga ambiens & nonnunquam incumbens utrum tincturam Topaſio conciliaverit, antea determinare non teneor, quam ſolutas videbo quæſtiones, utrum illa tempore prior Topaſio fuerit, vel an cum hac ſimul exiſtere cœperit, an denique Topaſio jam conſtitutâ, in cavernulas influendo, ſupervenerit? Tertium omnium minime mihi arridet, quoniam chryſtalli adjacentes

centes

centes nullum inde nactæ colorem sunt, quo minimum externe omnino contaminari debuissent. Alterum speciem aliquam præ se fert cum ista subtilissimas ejus fissuras intraverit, id quod non adeo obscure significat, jam tum, ubi gemma tenera fuit, terram præsto fuisse. Cui ratione primi affirmativam amplecti animus foret, illi incumberet certe operosa probatio, neque, etsi daretur, sufficeret consequentiæ inferendæ. Plura enim, quod jam dixi, juxta se posita non semper aliquam inter se causalitatem, sed causam communem sæpe, aut utrinque aliam agnoscunt.

(*Freyberga Altorfium missa d. 22. Mart.* 1735.

OBSERVATIO LXXXIII.

DN. L. JOH. SAMUELIS CARL.

De

Mensium & hæmorrhoidum fluxu simultaneo quidem & tamen salutari.

MAtrona generosa, circiter 40. annorum, temperamenti sanguineo-cholerici, habitus mediocris, & constitutionis sensibilioris, faciei floridæ, in diæta lauta constituta, inque sterilitate vitam degens, mensium fluxu largo & simul hæmorrhoidibus fluentibus subjecta est, statis & certis lunæ quadrantibus. Plura ejusmodi exmpla vid. apud FERNELIUM *caus.* 39. SOLENANDRUM *Sect.* 4. *cons.* 20. DOLÆUM *in Encyclop. Med. Lib. III. cap.* 10. HOLLERIUM *Lib. I. de morb. internis*

ternis cap. 51. *in Act. A. N. C. Dec. I. anno III. obs.* 22. & *Analect. ad Ann. III. pertinent. Ann. V. p.* 299. *Dec. II. ann. V. p.* 22. nec non *Dec. I. ann. VI. VII. observ.* 63.

OBSERVATIO LXXXIV.

DN. L. JOH. SAMUEL. CARL.

Critica ſanguinis excretio ex Naſi apice in viro.

SIngularis plane admodum rara obſervatio nuper mihi occurrebat in viro, qui alias ex temperamento melancholico - ſanguineo, habitu corporis ſtrictiori gaudebat, ſimul hæmorrhoidibus cæcis, indeque variis dorſi, ani aliarumque partium, arthriticis vagis adflictionibus ac rhevmatiſmis ſæpius laborabat: Hoc enim notabile miratuque dignum in eo obſervabatur, quod tempore æquinoctiali vernali & autumnali ipſi ſemper apex naſi cum inſigni rubore intumeſceret, & tandem per factam levem compreſſionem aliquot guttulæ ſanguinis floridi inde emanabant, hacque obtenta excretione aliæ corporis adflictiones ſtatim adquieſcerent, vel minimum ſenſibiliter remitterent. Hanc criticam excretionem ferè â juventute ad ætatem ſenilem usque ſtatis temporibus ſemper ſuſtinuit; donec anno ætatis ſeptuageſimo illa ſponte diſparebat, ejusque in locum mictus cruentus impetuoſus ingruebat, qui ſpatio duorum annorum vitæ tandem finem imponebat. Monſtrat ergo hæc Obſervatio, non univerſaliter veram eſſe regulam

istam, *quod nullum criticum sit paucum*, cum paucarum etiam sanguinis guttularum excretio in hoc subjecto vel plenariam cessationem, vel ad minimum notabilem remissionem symptomatum satis gravium procuraverit.


OBSERVATIO LXXXV.

DN. L. JOH. SAMUEL. CARL.

De

Medii digiti tribus articulationibus cum tendine & nervo violenter avulsis.

CUm Hombergæ ad Ohmam Physici munere fungerer, mihi similis fere casus cum eo, qui in *Act. A. N. C. Vol. III. obs. CXVIII. p.* 371. adducitur, occurrebat in viro, qui in mola olearia per trabem, qua semen contunditur, medium digitum in dextra manu amisit, siquidem hic digitus adeo violenter conquassatus & avulsus erat, ut simul tendo cum nervo ad plus quam dimidiæ ulnæ longitudinem extractus fuerit, quas portiones modo dicti tendinis & nervi Chirurgus cum avulso digito abscindere cogebatur, vulnus interim debite tractatum paulo post plenarie consolidabatur, nihilque mali præter amissionem digiti relinquebat.



OBSER-

OBSERVATIO LXXXVI.

DN. L. JOH. SAMUEL. CARL.

De

Noxio radicis Solani furiosi usu in Arthritide.

QUanquam & in vulgus noti sint effectus deleterii Solani furiosi, sive Bella-donnæ, ac â Medicis hinc inde effectus ejusdem tragici annotentur, Empiricorum tamen temeraria conamina ubique adhuc dum annotari merentur, siquidem eorum audacia eo usque processit, ut in arthriticis quoque affectibus radicis ejusdem usum intrepide commendent, quo vero cum effectu, calamitosi casus abunde docent, Noto notius est, quanta pericula baccarum Solani esus & usus hinc inde concitaverit, testantibus id ipsum PLINIO *lib.* 27. *cap.* 13. MATTHIOLO *Comment. in Dioscor. lib. IV. cap.* 69. MERCURIALI *lib. I. de Venenis cap.* 13. SENNERTO *lib.* 7 *Pract. Med. part.* 7. *cap.* 9. FEHRIO *Tract. de Scorzon. p.* 132. VALENTINI *Dissert. de maniacis nuperis Giess. â Solano furioso. Miscell. A. Nat. Cur. Dec. II. Ann. X. Dec. III, Ann. VII. & VIII. obs. CLXI. & obs. CLXXVI. & Fabro in Strychnoman.* quorsum etiam conferri meretur Observatio 85. Volum. III. Actor. A. Nat. Cur. *de Baccarum Solani furiosi, sive Belladonnæ effectu vehementi quidem, ast fere ridiculo.* De Radicis usu & qualitate deleteria meretur legi *Act. A. N. C. Vol. II. obs. CXIX. p.* 274. cui sequentem observationem ad latus ponere lubet: Mulier

rustica LIV. annorum, temperamenti ſanguineo - melancholici per longum tempus arthriticis pathematibus adeo excruciata erat, ut quaſi contracta jaceret. Huic adflictæ ab empirico quodam ordinatur Radix Solani furioſi in decocto cum cereviſia, vix vero aliquoties pauxillum hujus aſſumſerat, cum ſtatim miræ geſticulationes excitarentur, & modo videretur avolare velle, modo manibus varias & inſolitas motitationes inſtitueret, ſemperque in cachinnos ſolveretur, quæ omnia per 24. horas ita indeſinenter continuabantur, inſequentibus dein ardoribus internis, cum virium inſigni proſtratione gravique mali exaſperatione, nullo dein modo, nulliſque remediis iterum mitiganda.

Aqua deſtillata ex radice & herba ſolani, notum equidem eſt, quod tam externe ad lavandos, ſeu fovendos artus arthritide adflictos, quam interne commendetur & adhibeatur, quodque illius internus uſus nequaquam adeo ſonticos & triſtes exſerat effectus, id quod exinde evenire auguror, quoniam venenum ſolani magis participat de Sulphure narcotico expanſivo, quam de ſale corroſivo, ſicque ſub deſtillatione aquæ vix minima illius pars extrahi poteſt. Externe vero adhibita iſta aqua ex hoc fundamento itidem magis nocet, quam prodeſt, quoniam poros nimium obſtruit & tranſpirationem diapnoicam, in hoc affectu adeo ſalutarem, retardat & impedit. Cum ſemine ergo Daturæ releganda eſt Belladonna ex foro medico, quoniam ab utroque hocce ſimplici vix unquam utilem ac felicem, certiſſime vero infauſtum atque funeſtum expectare licet effectum.

OBSER-

OBSERVATIO LXXXVII.

DN. L. JOH. SAMUEL. CARL.

De

Lethali Podagræ retropulſione per remedia chymica.

ECcleſiaſtes in vicinia, 40. annorum, ſanguineo-cholericæ complexionis in junioribus annis licentius vivens, ex hæreditate maturius podagricis inſultibus frequentiorihus adfligitur. Cum ergo ante aliquot annos rurſus inſultum quendam levem podagricum tempore hyemali experiretur, nec tamen propterea officium ſuum negligere vellet, eaque propter tumor in pede â frigore ingraveſceret, tanta cum inflammatione, ut tandem circa talum in ſuppurarionem & ulcus degeneraverit, quod, quoniam ſtatim mali moris erat, aliquandiu Chirurgorum diligentiam ſtrenue exercuit, donec tandem conſolidationem admiſerit. Altero inſequente anno iterum Podagra tanto majori cum vehementia recurrebat, unde ſuaſu aliorum celebrem quendam empiricum, qui, neſcio quo fato, Chymicus, ac demum ſingulari pietate glorioſus Medicus evaſerat, unacum ſuis ita dictis arcanis chymicis advocabat. Hic ſtatim cum chymico aliquo vomitorio, mole quidem parvo, ſed vi draſtica ſatis gravi, atque aliis ſuis ita dictis pulveribus ſingulariter roborantibus, per vices hunc morbum oppugnabat, aſt infelici certè cum effectu: Materia enim podagrica retropellebatur, & ſuccedebat metaſta-

ſis ad pectus, quam febris hectica cum anhelosa reſpiratione & tuſſi gravi excipiebat, cui omnigena ventriculi debilitas, calor præter naturalis, ſitis intenſior, ac virium ſumma proſtratio tandemque mors ipſa ſuccedebat, tanquam teſtis infauſtus Chymici hujus imprudentis, & indocti, ejusque pernicioſæ ac irrationalis medendi methodi.

(Berleberga Altorffium miſſa d. 25. Martii 1735.

OBSERVATIO LXXXVIII.

DN. D. PETRI ANTONII MICHELOTTI.

Atrociſſimorum ventriculi dolorum Hiſtoria.

ILluſtriſſima quædam Matrona, ætatis conſiſtentis habitusque corporis carnoſioris, Calendis Septembris anni proxime elapſi vehementiſſimis ventriculi doloribus â pyloro ordientibus, & inde per totum ventriculi fundum ſeſe extendentibus, extemplo matutinis horis corripitur. Citatim ergo vocari me jubet, & interea *Laudanum liquidum Helmontii* ad guttas X. ex aqua ſucci Lactucæ, ſine ulla prorſus dolorum mitigatione aſſumit. Adveniens dein ipſamque de ſumma dolorum atrocitate indeſinenter conquerentem deprehendens, Olei Amygdalar. dul. recentis, ſine igne expreſſi unicas quatuor cum modica portione juſculi calidi ex gallinaceis pullis mixtum, aſſumendum præbeo, indeque primo notabilem

lem cruciatuum istorum remissionem, & tandem circa vesperam plenariam ipsorum cessationem insecutam fuisse percipio. Postero die cum in vesperam hic ipse flecteret, recrudescunt dicti dolores, (forsitan quoniam pastæ frumentaceæ exiguas particulas in præfato jusculo coctas in cibum sumserat Nobilissima Matrona,) & hinc Oleum istud iterum assumitur: Cum autem illos abinde nihil mitigari, quin potius circa secundam noctis vigiliam magis adhuc exasperari deprehenderet, iterum supra memorati Laudani guttulæ XX. in eadem adducta aqua exhibentur, ac non solum brevi post, quoniam sub concurrentibus frequentissimis vomendi conatibus statim rejectæ fuerant, reiterantur, sed & ob pertinacissime continuantes vomitus elapso horæ spatio tertium propinantur, sicque tandem his quadantenus complacatis, quiete inter somnum & vigilias media reliquum noctis consumit. Paulo post solis ortum resuscitantur dolores, eaque propter nunc Clysterem ex Mellis Rosar. solut. vel Violar. solut. Ol. Amygdal. dulc. ana unciis quatuor, Ol. Rutac. baccar. Laur. ana drachmis tribus, Philon. Roman. drachma una & recentis ovi vitello paratum, injicere jubeo, unde iterum dolores notabiliter remittunt; vix autem per inferiores partes redditum erat hoc medicamentum, cum statim post primam noctis vigiliam denuo exasperarentur, superveniente tandem morbo regio, ex fortissima canaliculorum bilem se- & excernentium constrictione inducto, ciborumque universali fastidio ac molestissimo totius corporis pruritu, unde ea nocte, ad somnum procurandum (interposito cibo tenui, ex vitello ovi cum dimidio cochleari succi Limonum in gallinaceorum pullorum calente jusculo

ſculo diſſoluto,) atque humorum per inviſibilia cutis ſpiracula excretionem promovendam, anodynam quandam tincturam, opium inter alia, ſal volatile tartari & crocum orientalem recipientem; cujus inventor vulgo *Helvetius* ſenior prædicatur, ad guttulas XXX. cum aquarum lactucæ & violarum unciis quinque præſcribo, unde etiam quies cum multo ſudore ea ipſa nocte ſequitur. Altero mane, ad ſiccam alvum emolliendam, clyſterem iterum injicere jubeo, ex unciis ſex Decocti Flor. Chamom. Malv. & Violar. cui Caſtorei in petia ligatæ drachmæ tres additæ erant, Syrup. de long. vita *Helvetii* unicas VII & butyri recent. uncia una paratum. Die quinto lene laxans exhibeo, ex Rhabarbaro diſſecto cum ſcrupulo uno ſalis Abſynthii fixi & Tartari, in Aquæ Agrimoniæ unciis quatuor per noctem infuſo & dein percolato, additâ ſeri lactis aſinini, cum Herbis Hepat. nob. & Meliſſæ depurati libra dimidia; cum vero effectus huic medicamento non reſponderet, alvusque adſtricta maneret, alium in ſubſidium vocare cogor clyſterem, conſtantem ex Syrupi modo dicti de longa vita unciis octo, cum Oleis Amygdal. dulc. Rutac. & baccar. Lauri, nec non Decocto herbarum emollientium & Caſtorei, in quo Salis cathartici Epſamenſis drachmæ XII. ſolutæ erant, nec tamen convenientem abinde obtinebam alvi apertionem, quare die proxime ſequenti, ad bilem, in propriis ſuis ductibus & receptaculis ſtagnantem, paulo efficacius commovendam & in canalem inteſtinorum deducendam, matutinis ſtatim horis ægræ iterum propino modo deſcriptum laxans infuſum, ita tamen immutatum, ut Rhabarbari doſis ad dimidiam unciam aſcenderet, â cujus uſu etiam ſaburram mucoſo-

coso-biliosam satis copiose dejecit; circa noctem vero, ad tollendam molestam illam ventriculi & cum ea consentientium præcordiorum constrictionem spasticam, supra descriptam coralliorum tincturam anodynam *Helvetii*, cum lactucarum & violarum aquis ad guttas XXX. remixtam, haurire jubeo, citra tamen evenientem somnum. Sequenti die pulsum cordis & arteriarum inæqualem ac intermittentem deprehendo, cumque interruptis ejusmodi motibus sanguiferorum horum canalium ægram nostram nobilissimam nunquam antea obnoxiam fuisse, certo mihi constaret, nec ulla etiam signa læsionis cujusdam in structura ipsorum occurrerent, merito hinc inæqualitates & intermissiones istas pulsus vel â biliosis humoribus intra cor & propinqua viscera magis conclusis, vel ab hysterica passione in cardiacos nervos abdita quadam ratione agente, deducendas esse autumavi, & propterea remediis cum adversus morbum regium directis, tum etiam mulieribus hystericis ordinarie opitulantibus pugnare constitui. Catapotia igitur præscripsi ex mithridatii, sambuci extracto & hyacinthinæ confectionis sine moscho granis X. nitri succinati & feculæ bryoniæ granis V. cum aqua totius citri assumenda, paulo antequam panis contritus, in junioris gallinæ jusculo bene solutus & coctus coenulæ loco ingeratur, utque insimul alvus modo Clystere illo acriori postremo loco præscripto, modo Infuso Rhabarbari sollicitetur, imperavi.

Dum hæc geruntur, decimo die, posteaquam ficedulam assatam, coctum persicum paululumque ex pasta cibi prandii loco assumserat nobilissima ægra, consuetis iisque acerbissimis ventriculi doloribus circa vesperam

iterum affligitur: Catapotia igitur ex Ægagropilæ pollinis drachma & modica Julapii ex Coralliis rubris parte parata præscribo, quorum unum quum deglutire conaretur, eorum, quæ manducaverat, vomitus exoritur, hocque finito tormenta in totum desinunt. Interim luteus quidem color in superficie corporis multum diluitur, sudorque interdiu ac nocte ultro promanat, pulsus autem inæqualis & intermittens nihilominus continuat. Sanguinis ergo missio proponitur, satius vero esse reputo, ut proxime instans menstrua purgatio expectetur, an ea forsitan cardiacam hanc passionem depellere possit, quam ut sanguine misso stomachum bile inquinatum & corpus vitio hujus jam male affectum in præceps dejicerem. Hinc sequentem cachecticum præscribo pulverem: Margarit Orient. præparat. Ocul. Canc. præparat. Fecul. rad. Bryon, & Aron. Croc. Mart. aperit. ana ℥ß. Cort. Cinnam. pulverisf. ʒij. Cinnab. nat. ʒiß. de quibus omnibus mixtis & in pollinem redactis drachmam dimidiam ex jusculo, in quo herba hepaticæ nobilis paulisper ebullierat, per plures dies offerebatur, ad removendas morbi regii reliquias. Neque etiam omittebantur potiones ex Nucerina aqua naturaliter frigida, quæ ad sitim mitigandam bilemque diluendam per totum morbi decursum hauriebantur. Modo allegato autem pulveri, reserationi viscerum vasorumque obstructorum apprime inservienti, subinde lenem interponebam purgationem, per Catapotia ex Gumm. Ammon. Succo Rosar. soluti ℈ij. Aloës Socotrin. ℈j. Millepedum præparat. gr. XV. & Syrup. Absynth. tantillo parata.

Primo supra vigesimum morbi die summe atroces illi ventriculi dolores pomeridianis horis redeunt, ad quos

quos ſedandos confugio ad conſueti Laudani liquidi guttas XX. cum aquæ ſucci lactucæ unciis quatuor hauriendas, hisque nihil proficientibus Philonium Romanum ſubſtituo, cujus drachmam unam in duobus ovi vitellis bene ſolutam & intra tepiduli ex dulcibus Amygdalis olei libram conquaſſatam, Clyſteris loco injicere jubeo, unde elapſâ unâ alterave hora dolores penitus ceſſarunt, menſtrua naturali quantitate & ordine redierunt, cordisque & arteriarum pulſus proxime ſubſequentibus diebus naturalis & moderatus apparuit. Recurrebat quidem Icterus, ſed brevi iterum tollebatur uſu ſeri lactis aſinini depurati & infuſi Rharbarbari ſæpius memorati, remittente menſtruorum fluxu ordinato, conjunctis inſuper ſæpius Catapotiis rhabarbarinis ſupra adductis, dimidio Salis Tartari ſcrupulo acuatis, & Tincturâ Abſynthii, ſemel quotidie ante prandium exhibitâ.

SCHOLIUM.

TRiennium nunc elapſum eſt, ex quo præſtantiſſimam illam, de qua hactenus ſermo mihi fuit matronam, annis ſuperioribus perquam frequenter nephritide vexatam, & modo deſcriptis ſtomachi doloribus, cum morbo regio conjunctis ad exitium fere deductam, modo recenſitis medicamentis & curandi ratione feliciter jam jam reſtitui, ita tamen, ut ſimul primis cruciatuum diebus vomitum drachma unica pollinis Radicis Ipecacuannæ excitaverim, & ventriculum hac ratione â collecta forſitan ibidem ſaburra liberare tentaverim. Pulſus neque intermiſſionem, neque inæqualitatem eo tempore paſſa eſt. Cur ergo, poſtquam menſe noviſſime elapſo iidem

ſtomachi dolores redierunt, ejusmodi admodum inordinatæ commotiones cordis & arteriarum ſimul ſupervenerint, diſpiciendum nunc erit. Nulla utique evidentia indicia ſtatus cujusdam præter naturalis canalium iſtorum ſanguiferorum hoc in ſtatu adfuiſſe, ſupra jam notavi, in eaque me eſſe opinione ſubjeci, quod extraordinarii illi cordis & arteriarum motus, vel â biloſis humoribus verſus præcordia confluentibus & naturalem horum motuum ordinem interrumpentibus, vel â graviori quodam ſimul concurrente inſultu hyſterico, inducti fuerint. Quemadmodum vero prior ſententia confirmari & illuſtrari mihi videbatur exemplo illorum, qui cardialgiâ ex bile in ſtomachum regurgitante, aut intra illum graviter fermenteſcente, laborant, inſimulque utplurimum pulſum debilem, tardum & fere intermittentem monſtrant; ita etiam de ejus veritate dubitandi occaſionem ex eo obtinebam, quod neque in noſtra matrona ægrotante, alias morbo regio graviſſime laborante, neque in ullo ictericorum hactenus curæ meæ concreditorum, ſimilem intermittentem pulſum obſervaverim.

Ut ergo, arterias noſtro in caſu ex Utero inæqualiter contractas ac dilatatas, imo ſæpius dilatationis prorſus expertes fuiſſe, certius mihi perſuaderem, ſequentes potiſſimum in cauſa fuerunt circumſtantiæ: Subita illa pulſus intermiſſio, præſente jam morbo regio, ſeptimo die poſt obortos ventriculi dolores, cum moleſta quadam mammarum tenſione eveniens; proxime inſtans menſtruorum recurrentium periodus, & tandem venereæ lymphæ, ſeu liquoris genitalis ſub jucundiſſimis inſomniis profuſio involuntaria, quæ omnia conjunctim ſumta

ta plane me convincebant, quod ſæpe memoratæ pulſus intermiſſiones â liquoribus in generationis organis impetuoſius commotis, nervosque cum ramulis ventriculorum cordis nervoſis conſpirantes ad motus inordinatos diſponentibus, inductæ fuerint. Poſſem etiam cauſis hiſce annumerare ſingularem Tincturæ Coralliorum anodynæ *Helvetii*, ex Camphora, Benzoes floribus & Opio compoſitæ, odorem, quem fœminis in hyſtericam pasſionem inclinantibus nocere pleraque Medentium pars exiſtimat, niſi levioris illum hic eſſe momenti facile præviderem: Præterquam enim, quod illa ipſa virtute ſomnum inducendi potiſſimum gaudens Tinctura, prima vice oblata nullam omnino noxam ægrotæ noſtræ intulerit, etiam in *Maria Regina Zenobia*, Moniali quadam, olim graviſſimis inſultibus hyſtericis, vomendique conatibus diu afflicta & in tabem præcipitata, eadem per plures dies ſummo cum fructu, citra ullam pulſus cæteroquin naturalis immutationem, adhibita fuit.

Interim hoc loco expectandum non eſt, ut iis, qui ex opio, quod modo nominatam ingreditur tincturam, illa pulſus vitia ſuſcitata fuiſſe clamarunt, reſpondeam: Non enim is ego ſum, qui certorum Criticorum, opii naturam & medicas virtutes, millies, ut ita dicam repetitis experimentis comprobatas, nequaquam, aut ad minimum non ſatis callentium, tangar vociferationibus, ſiquidem quantum judicare poſſum, quantumque ex meis colligere mihi licet obſervationibus, crebrâ & aſſiduâ per viginti quinque annos facta reiteratione firmatis, medicamenta opiata, iteratis etiam vicibus, neceſſitate ita flagitante, in debita doſi exhibita, vix unquam cordis & arteriarum naturales motus turbandi, aut


per brevia temporis intervalla ſupprimendi facultate gaudent. Confirmat id ipſum, meo quidem judicio, inprimis Illuſtris ac Excellentisſ. *Vict. Delphinus*, qui graviſſimis ventriculi doloribus ante undecim circiter menſes ſæviſſime excruciatus, incaſſum prius adhibitis variis ex opio confectis medicamentis, tam ſiccis, quam liquidis, quin & ſæpius hactenus memorata Coralliorum Tincturâ, in conſuetis & ordinariis doſibus, deſperatis demum rebus, ſexaginta guttas modo nominatæ tincturæ ex unciis quinque aquæ, in qua meliſſæ herba parumper ebullierat, cum notabili dolorum remiſſione, ſemel atque iterum ex meo conſilio, aſſumſit, citra ullam arteriarum pulſus mutationem, nedum qualemcunque intermiſſionem. Teſtatur idem quoque Vir, in hac potentiſſima gubernanda Republica, fide, probitate & ſapientia maxime conſpicuus, *Laurentius Theopolus*, Eques ac Ædis D. Marci Procurator ampliſſimus, cui eodem, quo ſupra laudata ægrotabat Matrona, tempore, ſæviſſimis podagricis, iſchiadicis chiragricisque doloribus, ad ſuperiores usque dextri lateris coſtas ſe ſe extendentibus, cum continenti febre vigiliisque ſimul conjunctis, afflicto, liquidum *Helmontii* Laudanum, ad mitigandos vehementiſſimos dolores, bis aut ter exhibere coactus fui, nulla tamen ſubſequente in arteriarum pulſibus inæqualitate, vel intermiſſione.

Non minus quoque magnam huic meæ ſententiæ fidem facere poſſet Matrona, cum inſignibus titulis, tum magno ſuo merito ornatiſſima, *Maria Maurino-Bragadina*, quæ Cholera, priusquam in Italiam proficiſceretur, autumno nimirum anni 1720. cum extremarum partium frigore, ſumma pulſus debilitate & crebrioribus lipo-

lipothymiis vehementer vexata, assumto cydoniato *Helmontii* Laudano ad guttas circiter XV. ex aqua tormentillæ, pristinam sanitatem (multum adjuvante tenui vino odorato, cum aquæ frigidæ partibus tribus mixto,) obtinuit, & tamen superato statu adeo ancipiti nullas plane pulsus mutationes unquam passa est. Porro, præter complures alios, quos huc adducere non vacat, Illustrem sisto virginem, ex Patritia Justinianorum gente, monialium Cœnobii, cui Sanctorum omnium imposuere nomen, alumnam, quæ acutissimis ventriculi doloribus, cum temporaria ischuria, dum has adjicio animadversiones, afflicta, licet noctu eodem liquido utatur Laudano, nihilominus tamen neque de cordis, neque arteriarum inordinatis deficientibusque conqueritur motibus. Sic & eodem mense, quo matronæ istius, cujus morbi historiam supra protuli; curam gerebam, ad Patricium Virum, Senatorii ordinis meritissimum, *Molinum* cognominatum, invisendum vocabar, eumque immanibus ventriculi doloribus, crebrisque dejectionibus laborantem, & præcipue vomitu sero nimis & perperam â priori Medico excitato, in Ileum, acutissimam febrem malique odoris dejectiones conjunctas habentem, præcipitatum invenio. Mortem subesse præsagiens, eaque propter sanctorum sacramentorum usum ante omnia commendans, sola remedia, ventriculi & tenuium intestinorum vehementissimam tensionem spasticam, indeque oborientes cruciatus mitigantia, in usum â nobis vocari posse subjicio. Helmontiani igitur Laudani guttæ XX. ex aquæ succi Lactucæ quaternis unciis offeruntur, & eodem tempore unciæ Vj recentis vaccini lactis, unacum similis butyri sextante ac binis ovi vitellis, in illo tepente reso-

resolutis, adjecto oleo ex dulcibus amygdalis, clysteris loco injiciuntur, ast omnia incassum, siquidem Nobilissimus æger â gravissimo hoc tenuioris intestini morbo victus, circa solis occasum ex hac vita decessit.

Consimilem casum, non sine magna commiseratione, tribus abhinc annis observare mihi contigit in juvene Patritio, ex familia *Foscarena* præstantissima: Huic enim ex coli doloribus, usu extracti ita dicti panchymagogi cum mercurio dulci remixti, magnopere exasperatis periculosissime laboranti, Laudano tali, utpote remedio in quibuscunque dolorum generibus alioquin, præsertim si mature adhibetur, fere divino, nequaquam succurrere nullumque levamen procurare potui. Ex his ergo cum mea medendi methodo collatis, liquido apparet, ægris, ventriculi, intestinorum aliarumque corporis nostri partium doloribus divexatis, minime remedia, acria, carminativa & irritantia convenire, sed potius stricturas membranarum nervosarum, partes istas constituentium relaxantia & demulcentia, humores noxios per superiora aut inferiora, pro causarum evidentium aliarumque circumstantiarum varietate, corrigentia & evacuantia iisdem ordinanda esse.



OBSER-

OBSERVATIO LXXXIX.

DN. D. PETRI ANTONII MICHELOTTI

Historiæ, de Saliva Sacchari ad instar dulcissima, continuatio.

MAtrona illa Patritia, egregiis animi dotibus ornatissima, quam dulcissimam exspuere salivam ante decem circiter menses retuli, hyeme novissime exacta increscente, & quod exinde sequitur, tenuiorum humorum, ex invisibilibus cutis spiraculis, durante secunda valetudine jugiter emanantium, ordinaria transpiratione insigniter decrescente, denuo salivæ, nauseosum sacchari Saturni saporem referentis, profluvium patitur, cui præter Coryzam, bronchum ac rhevma, adeo graves spirandi difficultates, non multis ante primam lucem horis, cum tussi ab sibilantibus in- & exspirationibus invadentes, supervenerunt, ut partim, ad totum corpus purgandum, potionem, Mannæ ℥v. & Tartari solubilis ʒij. recipientem, partim, ad avertendam suffocationem imminentem Venæsectionem in pede administrandam ordinare coactus fuerim. Satis validis hisce præsidiis, ad incidendos ac educendos crassos nimisque mucosos humores, versus bronchia potissimum confluentes ac iisdem tenaciter adhærentes, subjunxi non solum oxymel, atque vinum Rhenanum squilliticum, semel, iterum tertiumque de die cochleatim assumendum; sed & Millepedes cum Aloe & Gummi Ammoniaco, suc-

co rosarum soluto, remixtas, sub exiguorum Catapotiorum forma, quotidie, aut alternis diebus, matutinis horis exhibui, conjuncto insuper Spiritu Trifolii fibrini & essentia ex pini recentissimis conis, ope Spiritus Cochleriæ extracte, quam mixturam in ore, ad gingivas consolidandas & salivæ saporem, quantum fieri posset, immutandum, detinere jussi. Proinde etiam tentare non omisi usum decocti calidi herbæ Anagallidis, in aquis crescentis, & potum vini calidi, quo per totam hyemem sub prandio & cœna utebatur. Mense Majo viperarum juscula ordinabam, hisque nihil proficientibus, aquam destillatam ex Lactis vaccini recentis & aquæ fontanæ partibus æqualibus, Radice Chinæ, Avena & Anagallide aquatica, potus ordinarii loco mensibus sequentibus itidem frustra adhibuit: Licet enim tussis & antelucanæ anhelationes cum sibilis rarius recurrerent, & saliva in minori copia, quam durante hyeme, profluerret, nihilo tamen minus cum ejusmodi mitigationem & remissionem quoque anni superioris æstate, sub ordinarii sudoris copiosori eruptione vidissem, illam potius ad anni tempus æstivum uberrimos in hac Matrona sudores eliciens, referre, quam modo recensitis auxiliis adscribere poteram, quoniam ex historia secretionis humorum in corpore animato liquido jam constat, quod salivæ, urinæ, aliorumque fluidorum se- & excretio sub copiosiori sudoris profluvio plerumque supprimatur, aut ad minimum notabiliter imminuatur.

Diebus canicularibus thermalem aquam in Euganeis montibus scaturientem, quam beatæ Virginis vocavere majores, trium quatuorve librarum mensura, per quindecim circiter dies Patavii potavit, eamque partim per alvum,

alvum, partim per urinam reddidit. Quod autem adeo parvam hujus aquæ quantitatem præscripserim, hæc potissimum erat ratio, quoniam etiam in naturali statu ægra nostra, licet pinguioris, carnosi & succulenti fuerit habitus, urinam parcissime profluere, & nucerinam aquam alias usurpatam, sudorem magis, quam urinam movisse, mihi narrabat; unde ad præcavenda damna, quæ ex ejusmodi aqua ad sextarios epota præsente jam parciori urinæ excretione, emergere potuissent, eandem in minori potius quantitate & cum drachmis duabus Tartari solubilis, urinam magis, quam alvum, præcipue si modica dosi assumatur, movere valentis, remixtam, propinare constitui. In patriam dein urbem, sextili mense reversa, reliquum æstatis, propterea quod sudore quasi diffluere pergeret, sine notabili respirationis difficultate, & sine copioso quidem salivæ effluxu, ast non sine dulcis ingratique saporis in ore sensu, transegit. Adventante autumno, cum sudor imminui inciperet, humor dulcem salivam constituens copiosius ad glandulas salivales defertur & congeritur, unde succus recens ex Anagallide paulo ante commemorata expressus, consilio Viri præclarissimi, Dn. *Jac. Cicognini*, in Patavino Archilyceo Theoriæ Medicæ Professoris primarii, ad uncias sex mane & vesperi, per sedecim, & quod excurrit, dies hauritur, citra tamen qualemcunque effectum laudabilem, ruri nunc degens nobilissima Matrona eodem succo uti pergit, absque tamen ulla dulcis Ptyalismi mutatione, unde si huc redierit, ad alia necessario transeundum erit.

SCHOLIUM.

NOn desunt, qui hunc dulcis salivæ effluxum ad ea mala, quæ *Stomacaces* titulo PLINII temporibus â Medicis insigniebantur, referendum esse existimant. Ast, si ad constituendam Stomacacen & Scelotyrben, *nautici* vel *scorbutici* morbi nominibus â Medicis recentioribus donatam, compagis gingivarum solutio, totius corporis lassitudines, membrorum distensiones, tumores hydropicis similes, pulsus inæqualis, febriles insultus, cordis palpitationes, lipothymiæ, maculæ purpureæ in cruribus, dorso, pectore, aliisve partibus, vagæ atque anomalæ arthritides, artuum torpores, atrophiæ, alvi fluxus, ulcera surarum, linguæ, faciei, potissimumque gingivarum tumor, livor, hæmorrhagia, dentium vacillatio orisque fœtor, requiruntur, num quid morbosa, de qua nobis sermo est, salivæ affectio in vero scorbuticorum numero reponenda erit? quod sane iis, qui scripta *Sever.* EUGALENI, SENNERTI, WILLISII, CHARLETONI, LISTERI, aliorumque, qui de scorbutica passione egregie commentati sunt, pervolverunt, dijudicandum relinquo.

Me quidem haud fugit, ptyalismum, gingivarum consumtiones, præcordiorum constrictiones difficilemque admodum respirationem, quibus eximiam nostram Matronam hyberno præsertim tempore affligi notavi, inter scorbuti signa ab EUGALENO & CHARLETONO numerari; verum quod ad respirandi difficultatem attinet, eam *absque stertore, sibilo ac tussi* occurrere, in suo de Scorbuto libro singulari modo allegatus CHARLETONUS animadvertit, cum contra in nostro casu

ſpirandi difficultates, matutinis horis, conſurgentibus inprimis & prædominantibus ſeptentrionalibus ventis, accedentes, ſenſibiles in aëris ductibus ſtrepitus & fere continentem tuſſim habeant comites. Hinc etiam Patritius Nobiliſſimus, *Petrus Barbadicus*, Matronæ ſæpius merito laudatæ fratris filius, qui, cum eſſet biennis, gingivarum tumore, livore, fœtore, hæmorrhagiis, febre, Lienteria, verbo, Scorbuto vero laboravit, ſimulque macie ferme extrema confectus fuit, nullum plane anhelitum & difficultatem ſpirandi paſſus eſt. Pariter quoque nec in Patritio puero, *Antonio Donato*, â ſcorbutico morbo legitimo ad extremam tabem duo de viginti circiter abhinc annis deducto, neque in ejus fratre *Bartholomæo*, neque in alio quodam, *Cerchialli* cognominato, ab exquiſita ſtomacace, cum profundis ulceribus, linguam inprimis turpiſſime defœdantibus, ad mortem fere præcipitatis, eaque propter ab experientiſſimis Medicis jamjam derelictis, auxilio tamen divino & mea qualicunque opera tandem reſtitutis, nullam unquam reſpirationis anguſtiam aut difficultatem obſervavi.


Ad argumentum, â gingivarum exeſione deſumtum, reſpondeo, me nulla in lingua palatove ulcuſcula, â peculiaris generis ſalibus hic illic inducta, ſed ſaltem gingivarum carnem quadantenus exeſam, prout ex hiſtoria ſupra recenſita liquet, obſervaſſe. Quod autem ad ſalivæ profluvium dulcemque ejus ſaporem attinet, haud ignoro, quod caſus illi, quos *de ſaccharina ſaliva ad nauſeam usque dulci* in Inclytæ Naturæ Curioſorum Academiæ Ephemeridibus, Clariſſimi artis medicæ Magiſtri, *Olaus* BORRICHIUS, *Salom.* REISELIUS & *Jo.* BURGIUS protulerunt, quique aperte demonſtrant, ægros

 illos

illos re vera ſcorbuticis paſſionibus male affectos fuiſſe, etiam confirmare videantur hunc meum ſalivæ præter naturam dulcis caſum ad ſtomacacen referri debere. Aſt, quoniam in BORRICHII caſu ad ſalivæ dulcedinem linguæ ulcuſcula; in REISELII ægra brachiorum manuumque impetigines ac pruritus acceſſiſſe; in BURGII vero marceſcente ægro arthritidem & hypochondriaco-ſcorbuticam affectionem, nocturnum ſudorem, corporisque laſſitudinem, cum dulcis ſalivalis humoris ſapore interceſſiſſe animadvertimus, ſimulque nuper jam demonſtravimus, ſingulos illos ægrotantes medicamentis anti-ſcorbuticis felicius, ac ea, de qua hactenus mihi ſermo fuit, matrona, eſſe ſanatos, utique minime exinde probari poterit, profluvium illud ſalivæ dulcis tanquam ſymptoma Scelotyrbes reſpiciendum eſſe.

De reliquo, ſimplicem ptyaliſmum dulcem ſcorbuticum morbum nequaquam conſtituere ad oculum demonſtrat virgo Patritia, *Helena Baduaria*, annum agens quintum circiter & vigeſimum, in Divi Coſmi Cœnobio lectiſſima Monialis, quæ alioquin ſana & bene valens, â pueritiæ jamjam temporibus ſalivæ dulcis ſaporem continuo fere perſentiſcit.

(*Venetiis Altorfium miſſa d.* 30.
Mart. 1735.)



OBSER-

OBSERVATIO XC.

DN. D. DANIELIS HOFFMANNI.

De

Cerebri violenta laceratione non lethali.

PUer annorum ſex percutitur ungula equi, cujus vi excutitur fruſtum oſſis frontis, floreni amplitudinem referens, ruptis unâ meningibus, ut conſpectui pateret cerebrum, cujus & dein portio non exigua exemta fuit, cum in putredinem tenderet. Jacuit interim puer convulſus ſine ſenſu & motu per dies quinque, rediit de hinc loquela mentisque uſus liber, admoti ſunt præter enchireſes & deligationes ordinarias, ſacculi cephalici in vino cocti, ſicque conſolidatio feliciter ſucceſſit, ſuccreſcente callo, pueroque penitus reſtituto, ac ſuperſtite ſaltem levi in fronte conſpicienda depreſſione quaſi ac fovea cranii.

OBSERVATIO XCI.

DN. D. DANIELIS HOFFMANNI.

Fiſſura ab oris angulo ad auris confinia curata.

RUſticus in venatione feris ex latibulis ſuis expellendis inſerviens, obvium habet cervum, pleno in eum curſu incurrentem, cujus vim & impetum cum evitare haut valeret, unus ex apicibus cornu cervini cavum oris

oris ruſtici ſatis amplum ingreſſus, inſignem fiſſuram ab oris angulo induxit omnium muſculorum & integumentorum, usque ad auris confinia. Facta autem vulneris recentis triplici congruaque ſutura, balſamicorum ac digeſtivorum uſu decenti vulnus adeo violenter productum feliciter absque ullo damno rurſus coaluit.

(Tubingæ miſſa Altorfium d. 3. April. 1735.)

OBSERVATIO XCII.

DN. D. PAULI HENR. GERARDI MOEHRINGII.

Pleuripnevmonia, â ſanguine menſtruo, per vomitorium thoracem verſus preſſo, oborta.

NIhil ſane magis therapiæ medicæ proficuum eſſe poſſet, ac ſi uniuscujuscunque loci practici, ſufficienter eruditi, & veritatis ſimul amantes, ejusmodi morborum litteris conſignarent hiſtorias, quæ cauſas eorundem diverſas ob oculos ponerent. Collectis enim longum per tempus hujusmodi obſervationibus, infinitæ & diverſiſſimæ morborum cauſæ remotæ melius Medicis patefierent, in quibus hodie inveniendis tantæ adhuc tenebræ quærenti obverſantur. Et quid profecto doctrinæ de nocentibus ac juvantibus, adeo neceſſariæ, quæ intacta hactenus atque ſepulta fere jacet, majorem poſſet lucem conciliare? Utinam omnes Medici

Medici celeberrimum in Anglia, dum viveret, Archiatrum, *Davidem* HAMILTON, imitarentur, qui libello, mole parvo, ast re gravissimo, *de febre miliari*, historias proponit, omnibus exemplo futuras, quibus salus ægrorum curæ cordique est. Sed dolendum, eum paucos sane æmulatores nactum esse. Præsentis remota historiæ causa, ceu mihi videtur, tam aperta est, ut non nisi ab homine frivolo negari queat. En eandem!

Virgini, XXVI. annorum, plethoricæ, textura rariori & laxa, alias alacri naturæ vi gaudenti, colorisque rosei, 1734. d. 18. Febr. & aliquot diebus ante, cardialgici ac lumbares, cum perpetua nausea, dolores contingebant. Quoniam hæc â compluribus annis de gravitate & doloribus ventriculi, ac alvo sæpius adstricta conquesta fuerat, atque vomitorium anxie â Medico suo ordinario petebat, nauseaque urgens illud exposcere ipsi videretur, hoc præscribebat: *Rec. Tartari emetici gr. iij. solv. in aqua flor. Acac. rec.* ℥ß. *add. Syr. Cort. Aurant.* ℥j. *M. detur una vice cum debito regimine.*

Ab hujus usu die 19. Febr. decies multam materiam salinam, acrem & muriaticam evomebat.

D. 24. Febr. litteras ego accipiebam, ægram sub vespera diei 21. Febr. febri continua, inflammatoria, doloribus lumborum intensis, ac pleuræ sinistræ, introrsum, & ad mammillas tendentibus, cum difficili, brevi ac celeri, spiritu, genarumque rubore, & pectoris gravitate, ac angustia præcordiorum, tussique tandem sicca, vexatam esse. Quæ ad prædictum 24. Febr. diem symptomata durantia, cum alvi adhuc constipatione, urinaque rubicunda, ac pellucida & cruda, conjungi, referebatur. Brachii præter ea venam hoc sectam die fuisse,

atque propinatis pilulis aloëticis, alvum solutam esse, ac menstrua, præterita nocte fluere iterum cœpisse, quod ante hos quatuordecim, legitimo videlicet tempore, dies factum fuerat, adjungebatur. Inopinato hoc, ast contra indicationem ab adstantibus porrecto valido nimis, & incongruo purgante, sanguinis copia in plethorica hac virgine satis imminuebatur, id quod ipsum caussam quoque præbebat, ut, circulo per vasa, seorsim autem minimas per arteriolas, liberius peracto, crisis eo facilius, adjuvantibus vegetis ægrotæ viribus, evenire valeret. Ad dolores resolvendos vesicam suillam, calido lacte nondum ad dimidias refertam, linteisque calidis duplicatis involutam, lateri adflicto imponendam, &, quoties frigefacta fuerit, repetendam curabam. Interne, ordinarii instar potus, limonadam vulgarem, ex Citri taleolis, nucleis prius demtis, sacchari ac nitro papaverino, pro gratia saporis, æstuque domando, additis, adfusisque fervidæ aquæ libris quatuor, confectam, calide & adfatim ab ægra bibi jubebam. Cui sequentem potiunculam, ad cochleare unum, alterumve omni bihorio, hauriendam, adjungebam: *Rec. Aquæ pluvialis ℥iv. Sal. Prunell. ʒj. Syr. hyssop. ℥j. M.* Monere in transitu heic lubet, minus apte â Practicis plurimis Aquas Acetosæ, Acetosellæ, Portul. C. B. Nymph. Lactuc. Endiv. Plantag. Borrag. Bugloss. Cichor. Fragor. fl. Til. Scorzoner. Scord. Galeg. Ulmar. Beccabung. Bellid. Card. Mar. Geran. Scabios. Millefol. Saxifrag. Absynth. Artemis. Verben. Scord. Tussilagin. Heder. terrestr. Sanicul. Torment. Equiset. Burs. pastor. Taraxac. Capill. vener. Pap. rh. Prunell. Pœon. Marrub. alb. aliasque complures vulgari pharmacopolarum modo destillatas,

tas, meo quidem judicio præſcribi, quin eas omni ſane virtute ſua aquæ pluviali puræ ſimiles habeam, cum nec ſapore, nec odore ab invicem diſcerni poſſunt, variæque aliæ, quæ, modo paratæ, aliquo odore ſaporeve gaudent, haud ita tamen multo poſt, nunc citius, modo tardius, crebra vaſorum, in quibus adſervantur, apertione, aquæ pluviali adſimilantur. Sed ad hiſtoriam!

D. 25. & 26. Febr. morbi quinito & ſexto, computo ab 21. Febr. qua pleuripnevmonia incepit, inſtituto, omnia ſymptomata, quoad cunctas circumſtantias, ad aucta eſſe, vires tamen ægræ parum modo frangi, alvumque bene apertam eſſe, ac menſes moderata adhuc in quantitate fluere, adnunciabatur. Jubebam, ut externe cum veſica, interne autem ſolo cum Limonadæ adſiduo potu continuaretur. Quum enim vires ægræ vegetæ permanerent, menſtruaque adhuc, haud nimia in copia, fluerent, criſin ſequenti die exſpectabam, nec corporis vaſa nimium ſtimulare, atque irritare animus erat. Neque ſpes me fallebat.

Die enim 27. Febr. morbi ſeptimo, *horis veſpertinis*, tota cutis, quæ antea ſicca fuerat, madida reddebatur, dolores ceſſabant, ceteraque phænomena adeo minuebantur, ut d. 29. Febr. nil prorſus mali ſuperſtes eſſet. Ex quibus omnibus judicandum erat, inflammationem tam pleuræ, quam pulmonis, quod raro ſane fit, reſolutam eſſe, quum nulla prorſus puris per trachæam ejectio fierit. Eam vero ipſam reſolutionem, ſupervenientibus, præmiſſa venæ ſectione, menſtruis, â duplici iſta, cui purgatio addi poteſt, ſat notabili evacuatione adlevatam fuiſſe, cenſeo.

COROLLARIUM.

Modo enarrata in historia *Nitrùm papaverinum* adduxi; quod, quia an ullibi descriptum sit, dubito, brevibus ejusdem simplicissimam naturæque convenientem elaborationem cum lectore benevolo communicare animus est. Nitrum purum contunditur, in succo florum papaveris erratici, nondum perfecte apertorum, solvitur, filtratur, inspissatur, atque in crystallos iterum redigitur. Auctorem hæc præparatio, quantum ego quidem scio, virum in arte egregium, b. D. D. FELTRUP, serenissimi Principis Anhaltino-Servestani quondam Archiatrum, civitatisque ac dynastiæ Jeveranæ physicum ordinarium habet. Ceterum illud manifeste saporis, coloris, ac virtutis papaveris rhœados particeps est.

OBSERVATIO XCIII.

DN. D. PAULI HENR. GERARDI MOEHRINGII.

De

Aurigine.

Minus historiam hancce in lucem protraxissem, quoniam nihil peculiare in sinu suo fovet, sed auriginem, sive Icterum flavum, sanatam fideliter tantum exponit, nisi ob sequentem morbi periculosi historiam hanc quoque necessariam reputassem, ut omnia in ordine suo naturali, ceu decet, adparerent.

Paro-

Parochiæ cujusdam paganæ minister publicus, & Ecclesiastes, plethoricus, obesus, sermone profundo ac forti cuncta eloquens, facilisque digestionis, annos aliquot supra triginta vitam vivens, 1733. *autumno*, ingenti mentis ægritudine, mœrore, inquam, animi, ac intermista ira clandestina diuturna adficitur. Post quarumdam septimanarum spatium, animi adfectu adhuc durante, in auriginem incidit, quæ ex bile flava, totius superficiem corporis, inprimisque tempora, & utriusque oculi bulbos perfundente, coloreque suo aurantio partes hasce inficiente, cognoscebatur. Mentis aliqua obnubilatio, capitis dolor, calorque siccus, ac sitis, morbum augebant. Insignis aderat membrorum lassitudo; febris nulla evidens; urina cassa, turbida, ac sedimento deposito, crocea; alvus porro clausa; cardialgia ingens, premens; nauseosi, biliosi, pingues ructus; sapor amaricans; adhæc turgens, ex acri ac pingui materia, ventriculus; somnus fere nullus, & si quis, inquietus; præcordiorum anxietas; difficilisque tandem ab aucto corporis motu spiritus. Indicabatur igitur primum canalis totius alimentorum evacuatio, dein adfectus, moeror nimirum, ac ira, pro viribus compescendi erant, ac demum bilis corruptæ expulsio, per varia loca excernentia, fieri debebat. Ut primam obtinerem indicationem, sequens propinari jubebam emeticum: Rec. *Tartari emet. gr. iij. Crem. Tartari ʒj. Solv. in pluviali aqua ℥ij. M.* Detur mane una vice.

Quo sumto evacuante generali, præcipiebam, ut per vices ægrotus Theæ Boy infusum biberet, post singulos nempe vomitus, duo ad tria usque vascula, intra semi horæ ferme intervallum, superbibendo. Quin-

quies ἄνω, & sexies κάτω, tempore antemeridiano, sine ullo tamen incommodo, purgabatur, & nausea, post meridiem remanens, sola aqua Cinnam. s. vino, ad duo cochlearia exhausta, supprimebatur. Fiebant hæc omnia a. d. 31. Octobr.

Nocte sequenti bene æger dormiebat, *dieque* proximo 1. Novembr. optume se habebat, unde reliqua medicamina adspernabatur.

Sed 5. Novemb. subito me vocari jubebat, quumque advenissem, vires ægri prostratas, inquietudinem summam, omniaque symptomata, supra dicta, graviora deprehendebam. Color aurantio pressior, atque decocto Coffee similis, mox aderat, mox visui se subtrahebat. Urina turbida, brunna, crassa erat. Multum comederat æger, & flatulenta, ac pinguia, ingesserat, aërique, vento africo valde commoto, frigido, pluvioso ac nebuloso, per intervalla se exposuerat. Suadebam diætam magis systematicam, & ad *Sanctorianam* perspirationem augendam, bilemque foras propellendam ordinabam: *Rec. Ess. Alexipharm. D. Stahl.* ℥ß.| Sumantur ter in die XL. guttæ.

Ex cujus usu optimam ille restitutionis spem nactus, atque re ipsa post dies quosdam ad majorem sanitatis gradum evectus, a. d. XI. Nov. non solum ab esu variorum flatulentorum, copiosoque succo aquoso turgidorum fructuum horæorum, plantarumque ejusdem indolis, itemque quantitatis largæ petasonis, verum etiam ab aëre frigidiore, pluvioso, ac â vento procelloso inquieto, *sequenti* adeo adficitur *nocte*, ut dolores insignes, acutos, pungitivos, subinde quoque gravativos ventriculi totiusque intestinorum canalis, ac diaphragmatis,

is, qua parte cum ſpuriis coſtis jungitur, antrorſum & ſurſum, inprimis circa umbilicum, totaque, quæ â xyphoide incipit cartilagine, linea alba, ad finem usque umbilicalis, ac principium hypogaſtricæ regionis, miſerè torqueretur.

Qua commotus re infelici geſta, accedente per vices calore fugaci, inſolitaque inquietudine moleſta, *veſpertino tempore diei* 12. *Novemb.* ut aliquantum doloris exceſſum temperaret, aliquas de Eſſentia Aurant. â circumforaneo emta, ac Elixirio quodam ſtomachico, fortiter calido, aromatiſato, guttulas aſſumit. Fere autem dimidio horæ præter lapſo, lenem ſentit vomitum, dum cetera per *totam* ſubſequentem *noctem* ſymptomata eodem gradu remanerent.

Ex vomitu vero concludens, alimentorum tubum pati, *eadem veſpera*, ſine omni tamen proſpero effectu, ſuppoſitorium non ſolum ano immittendum curat, verum altero etiam d. 13. *Novemb. horis matutinis*, mira facilitate, idem, quod ab initio ſuaſeram, vomitorium ſumit. Sed nares ægri nimis ſubtiles, ac nauſeabundi eventum minus felicem prædicunt; quod etiam effectus teſtatur. Vix quippe uno alterove momento elapſo, totum, qua data ſurſum porta, ruit emeticum, levi nauſea ſuperſtite.

Tum vero anxius valde æger, ſibi ſuoque conſilio ſpontaneo parum amplius tribuens, per nuncium cunctorum, quæ recenſui, phænomenorum certiorem me reddebat, ſimulque, ut quam celerrime fieri id poſſet, ipſum viſerem, rogabat. Cauſa itaque omnium, quæ ſupervenerant, malorum expenſa, conſulebam illi, ut ad dolorem profligandum, parteſque illas blando roſci-

doque

doque calore emolliendas ac fovendas. vesicam, calido lacte fere semi plenam, subjecto prius duplicato calido linteamine, regioni umbilicali imponeret, idque, quoties lac frigefactum, toties repeteret auxilii genus. Ad calorem autem totius corporis mitigandum, &c. sequentem dabam potionem: *Rec. pluviæ puræ* ℥vj. *Syr. Violar. acetosit Citr. ana* ℥j. *Syr. Granat. acetosor.* ℥ß. *Nitr. antimoniat. inspiss. tantum, Tartar. Vitriolat. ana* ℈ij. Hauriat hora sexta dimidiam partem.

Ut alvum porro, de cujus adstrictione conquerebatur, apertam haberet, usum *Eclegmat. cholag. SYLVII* ad ℥iij. felici eventu suadebam.

His itaque adhibitis, symptomata omnia mitiora videbantur, ac d. 14. quidem Novemb. iterata vice *Essent. alexiph. b. D. D. STAHLII* optimo cum successu usurpabat, proprioque nisu *Chelidonium majus*, Theæ instar bibebat. Unde post 4. dies exoptata sequebatur sanitas.

OBSERVATIO XCIV.

DN. D. PAULI HENR. GERARDI MOEHRINGII.

Pleuripnevmoniæ epidemicæ Species, à vociferatione, in peripnevmoniam desinens.

Vir plurimum reverendus, ex nupera Aurigine (*vid. Obs. præced.*) feliciter restitutus, beneque & constanter, ac integre cunctas illas actiones, quæ absoluto

ſoluto partim animæ demandatæ imperio, ac partim per vim propriam corporis mechanico-hydraulici atque fabricam, motu indivulſo, jugique, ac perennanti ſanguinis ceterorumque humorum circumrotatione, ſuccorum ſeparatorum in tubulos ultimos protruſionem, indeque pendentem nutritionem ſalutarem, ac vitalem vigorem promovent, animo ad hilaritatem reducto, perficiens, cum vicibus aliquot majori, quam par erat, impetu, publice pro ſuggeſtu peroraſſet, atque motu hocce, quo pulmonis præſertim uterque lobus, ac integer thorax valde commoventur, nimium defatigatus, *Sanctoriana* perſpiratione ad modum aucta, qua tamen domum reverſuro, in via, â venti ſævitie, aëreque frigido confeſtim ſuppreſſa, cauſam heic ſubſequentis poſtea mali, ſatis duri ac diuturni, occaſſionalem, ſive pro catarcticam dabat, ipſis *Calendis Januarii* 1734. *matutinis horis*, horripilationem, tremoremque integræ corporis ſuperficiei, cutisque inſtar anſerinæ, extremitatum ac papillarum nerveo-tubuloſarum corrugationem, cum inſigni laſſitudine omniumque artuum gravitate ſentiebat. Nullum vero exinde incommodum ipſum conſecuturum eſſe, credens, iterum hacce die concionabatur. Sed media in ſermocinatione major reddebatur horror, qui poſtea in ſudorem largum, tantamque præcordiorum anxietatem, ac ſubitaneam præterea ſpiritalis viæ excalefactionem commutabatur, hæmoptoës invaſionem ut metueret. Domum interim, concione ad finem perducta, repetentem, eadem, qualis paulo ante recenſita eſt, ſudoris, eadem ex cauſa, ſuppreſſio invadebat. Neque hac ſola, quæ ægrum noſtrum timidum reddere poterat, adflictio manebat, ſed ab inſtanti

illa rurſum horrore, vehementique nauſea, preſſo pede cingebatur, quibus, morbi mox ſequuturi, nunciis diem hanc noctemque proxumam abſolvebat.

Circa veſperam autem ejusdem diei adpetitum deperditum, ſive anorexiam, ac vehementem æſtum, lumborumque & dorſi, atque membranæ pleuræ, prementem ac quodam modo punctorium dolorem, vigilias porro & inquietudinem obortas eſſe, obſervandum eſt. Alvum tamen naturalem deponebat.

D. 2. Jan. morbi ſecundo, iisdem remanentibus ſympromatibus, dolore obtuſo ac gravativo pulmones occupante, ſanguis ê vena dextri brachii, in latere videlicet morboſo, educebatur, qui eandem, ac in pleuritide, indolem ſervabat. Quo facto, lateris lumborumque ac dorſi dolor evaneſcebat, ac poſt unam alteramve horam, ſputum paucum, flavum, cruentum, ſpumoſum, ab repetita ſæpius tuſſicula facile dejectum, ſequebatur.

Ad reliquorum, jam aliquot abhinc horis adparentium ſymptomatum hiſtoriam veniam. Quæ hoc fere tenore recenſita velim teneas. Dyſpnoeæ ſpirituique calido, ac frequenti, gravitas pectoris, ſine externo tamen ad parente dolore, rubor porro genarum tumens, ac pulſus in ſuper æqualis, mollis atque undoſus, ſed nonnunquam intermittens ac frequens ſubjungebatur. Quibus adde phænomenis alvum apertam linguamque adhuc puram.

Nox ſimili fere cum moleſtia tranſigebatur, niſi quod æſtus & pervigilium, cum inquietudine creſcebant.

D. 3. Jan. morbi tertio, ego in auxilium tandem vocatus, enarratam morbi hiſtoriam percipiebam, at-

que

que Peripnevmoniæ jam præſentiam declarabam, quæ tum temporis in pago hoc, cui ægrotus verbi divini miniſter præerat, epidemice oberrabat. Accedebat quorumdam ante oculos volitantium flocculorum imago, quos tamen manibus nondum colligebat. Binas itaque indicationes nactus eram. Quarum alteri ut ſatis facerem, i. e. ut expectorationem, quæ per νυκτήμερον jam duraverat, promoverem, factamque in pulmonum præcipue lobo dextro arteriarum minimarum ſanguiferarum ruptionem impedirem, ac vulnuſcula ſucceſſive, ſuppuratione prius facta, conſolidarem, hunc ad cochlear. 1. vel 2. omni bihorio ſumendum ordinabam Linctum: *Rec. Ol. Amygd. d. rec. ſ. Igne ℥v. Aqua Chærefol. rec. & Violar. rec. ana ℥ij. Sacch. alb. ℥j. ſucc. Citr. ʒiß. M. f. l. a. Linctus.*

Alteram porro indicationem expleturus, ſanguinemque in circulo ſuo valde turbatum, ac ejusdem curſum auctum, incipientemque in minimis pulmonum arteriolis ſtagnationem inflammatoriam ſublaturus, potum ordinarium, calide bibendum, præſcribebam: *Rec. Citr. num. j. diſcind. in taleolos, exemtisque accurate nucleis, adde Sacch. q. ſ. ad gr. ſap. His adfund. Aquæ fervidæ lib. IV.* ſeponatur, ut potio calida maneat, bibantur ſic, quoties ſitis, febrisque, ac æſtus magnitudo eam requirit, aliquot unicæ.

Circa veſperam ſymptomata remiſſiora videbantur. Abſtinentiam ab omni cibo præcipiebam. *Nocte* quietus jacebat, ac per intervalla levius dormitabat.

Altero *diei* 4. *Jan.* morbi quarti, *mane*, ſputum cruentum rurſus evadebat, quod verſus *meridiem* magis flavum adparebat, *veſperi* autem totum flavum reddebatur, & mediocri ſaltem copia exſpuebatur. Tum-

que ſymptomata egregie minuebantur, quid? quod alvo naturaliter laxa exiſtente, labiisque ſponte exanthematibus cruſtaceis obſeſſis, medicaminum ulteriorem uſum, ſanatum ſe credens, renuebat, ac corpore frigefacto, pedibusque ê lecto detractis, cerevisiam lupulatam, frigidam affatim hauriebat.

Nox admodum inquieta & turbulenta ſequebatur, ipſeque per minora quidem intervalla dormiſcebat, interea tamen variis phantaſmatibus vexabatur.

D. 5. *Jan.* morbi quinto, *horis matutinis*, reſpiratione paululum difficiliore reddita, ægrum magna cum moleſtia, ſæpeque tuſſire, ac materiam purulentam, magis ſpiſſam evadere, vixque â bronchiorum, ac trachææ ductibus decedere, ſymptomata porro eo jam iterum in gradu. quo d. 3. Jan. fuerant, verſari, nunciabatur. Reprehenſa ægroti ſecuritate, linctum priorem paucis mutabam: *Rec. Oleum Amygd. d. rec. ſ. Igne ℥viij. Aqua Chærefol. rec. Veron. recentiſſ. Hyſſop. ana ℥iij. ſucc. Citr. Man. Chriſt. per lat. ana ʒiij. Laud. opiat. gr. iij. M. f. Linct. D.* 5 Bruſt-Safft, wovon alle anderthalb, höchſtens 2. Stunden eine halbe Thee-Taſſe voll zu nehmen, und von der Limonade etwas nachzutrincken.

Veſperi ægroti vires minuebantur, pulſus debilior evadebat, ac diarrhoea levis ſponte ſuperveniebat. Noctem eamdem, (*vid. d.* 4. *Jan.*) tranſigebat.

D. 6. *Jan.* morbi ſexto, *horis antemeridianis*, diarrhoea ingraveſcebat, reliqua ſymptomata, quæ d. 3. & 5. Jan. recenſui. eodem in ſtatu erant. Lateris dolor obtuſus prorſus evaneſcebat. Gravitas pectoris magis moleſta erat, ſputo tamen flaveſcente, vix ſtriis ſanguineis notato paululum facilius ex ſcreato. Æſtus externus

nus haud adeo ingens deprehendebatur: ægro tamen egregiam Infusi tenuis Coffeæ, ac cerevisiæ calidæ, multum aquosæ, copiam bibente, calor internus vehemens indicabatur. Cui tamen æstui hoc opponebam: *Rec. Pluviæ* ℥vj. *Syr. fl. Tunic. Syr. Acetosit. Citr. ana* ℥j. Hora quavis hauriat unum alterumve cochleare. Diarrhœa sponte cessabat, totumque corpus sudore continuo, acidum spirante, in facie præsertim magnis guttis collectis, statimque frigefactis, perfundebatur.

Nocte aliquantum dormiscabat, levibus tamen, de solitis rebus, deliriis conjunctis. Inquietus quoque jacebat.

D. 7. Jan. morbi septimo, vires valde fractæ, respiratio adhuc difficilis, sputumque, cum dextri lateris dolore gravativo, nec nisi sumto linctu, & adeo moleste excernebatur, ut aliquid semper in pectore remanere æger sentiret. In intestinis quoque obmurmurationes, â flatibus proveniebant. Ceterum urina, per omnes præcedentes dies, citrina, cruda, sine sedimento. permanebat. Labia adhuc eo in statu, quo d. 4. Jan. fuerant, esse nunciabatur. Medicamenta, Linctus scilicet d. d. 5. Jan. & Julepus d. d. 6. Jan. continuabantur. Alvus aperta erat, febris internam sævitiem ex viribus supra descriptis coniicere licet.

Nocte nullus somnus, & deliria, apertis oculis, rebus de peregrinis, æque minus facies inverecunda, oculique rigidi accedebant.

D. 8. Jan. morbi octavo, omnia phænomena recensita augebantur, viresque magis lapsæ adparebant. Sputum materiæ æqualis, ex albo flavescentis, paucum excernebatur. Linctum æger continuabat, cui hoc ana-

lepticnm ſubjungebam: *Rec. Pluviæ ℥viij. Aqua Cinam. ſ. & cordial. Herc. Sax. frigid. ana ℥j. Confect. Alkerm. incompl. ʒij. M. & edulcor. manib. Chriſt. perlat. q. ſ. circiter ℥ij.* Sumat cochleare unum, urgente neceſſitate. Omnia jam acida præcedenti, & ſequentibus poſtea diebus vitanda cenſebam, quoniam ſudor acidus & frigidus, adſiduo ê toto corpore promanans, dyſcraſiam acidam oſtendebat.

D. 9. *Jan.* morbi nono, eadem ſymptomata aderant, ſed graviora. Ægro in animi deliquium, ſingulis fere horis, & nonnunquam ſæpius delapſo, vini Rhenani veteris aliquot guttulis ſuccurrebam, quas, linguæ inſtillatas ſenſim deglutiebat, atque hac ſemper ratione refocillabatur. Omni hora, aut bihorio, præter relata jam remedia, Linctum & Julepum d. d. 8. Jan. prout circumſtantiæ & ægri vires id expoſcebant, vini illius Rhenani cochleare unum alterumve ore detinebat, ac poſtea deglutiebat. Atque ſane ex combinata hac medela præſentaneam virium ægri refectionem percipere poteram. Interea, ut Linctui manus auxiliatrices adderem, hoc præſcribebam Infuſum: Rec. Herb. Chærefol. Hyſſop. Marrub. alb. ana Mij. comminut. gr. m. infund. in Aqua font. ſ. q. hauriat æger quadrihorio quolibet ℥iv. calide.

Nocte ſequenti copioſum ex albo flaveſcens pus exſpuebat. Parum dormiebat, quietus tamen tota nocte decumbebat.

D. 10. *Jan.* morbi decimo, *mane*, urina citrina ſedimentum albidum, leviſſime rubens, deponebat, vires quidem fractæ erant, magis refectus tamen æger, ac diebus præcedentibus, ad parebat.

Nulla

Nulla fere *ante meridiem* expectoratio sequebatur. Medicamenta, Julepum videlicet d. d. 8. Jan. vinumque Rhenanum, juxta constitutam superius legem, continuabat. Quoniam vero Linctui praecedenti adversabatur: Oleum enim aquis supernatans, eisdem intime permisceri non poterat; eumdem hunc in modum mutandum ducebam: *Rec. Ol. Amygd. d. rec. s. Igne ℥iij. Syr. Violar. Syr. ê Symphyt. FERNELII, Vitell. ov. rec. ana ℥j. M. f. l. a. Linctus.* Detur omni biborio cochleare unum, reciproce cum Infuso d. d. 9. Jan. vel urgente expectorationis difficultate, saepius.

D. 13. *Jan.* morbi decimo tertio, dolores lateris prorsus adhuc abesse; in pulmone gravativum, excretâ copiosâ his diebus materiâ flavescente, ac spumosa, adlevari; ê contrario in lumborum regione, ubi diaphragmatis tendines dorso inseruntur, dolorem punctorium invadere; noctes aegrum pauco somno, quietoque situ consumere; alvum quotidie apertam esse; ac sedimentum urinae idem manere; viresque adhuc valde debiles esse, perscribebatur. In medicamentorum, modo commemoratorum, usu persistebat. Vini Rhenani, ad 2. triave, omni trihorio, cochlearia, haustum concedebam. Rob Ribium aeger, ad bina pauca cochlearia, refectionis aestusque febrilis domandi gratia in ore detinebat.

D. 15. *Jan.* ipse jam aeger haec litteris mandare potuerat: Puris excretio ê fistula spiritali; jugi fluxu, praecipue mane & vesperi, continuabat. Dolores in lumborum regione adhuc perseverabant, nondum tamen propriam medelam urgebant, nisi ad partis vexatae calorem procurandum. Alvus quotidie aperta, ac urina sedimentum

tum suum album deponebat. Somnus quavis nocte brevis quidem, sed reficiens; quietus ceterum jacebat. Adpetitus sensim revertebatur. Linctum & Infusum herbarum, d. 9. Jan. praescriptarum, continuabat. Diaetam tenuem, jusculis nimirum carnium gallinae, &c. contentus ut esset, injungebam.

D. 20. *Jan.* morbi vigesimo, haec ille: Dolor lateris dextri rursus me vexat, ita, ut soli sinistro lateri incumbere debeam. Expectoratio bene adhuc procedit. Debilis quoque adhuc sum, & appetitus in cibos vetitos nititur. Heri, circa vesperam, dolores colicos sentiebam, qui tamen, hora elapsa, evanescebant. Dormiscere quidem possum, somnus autem nondum accedit. Alvus & urina, prout fuerunt, manet. Praecipiebam itaque continuationem linctus d. d. 10. Jan. & hanc illi potionem conjungebam: *Rec. Pluviae ℥vj. Aquae Chaerefol. rec. ℥ij. Aquae Hyssop. ℥j. Sacch. cand. flav. q. s. ad gr. sap. M.* Sumat saepius calide scutellam.

His medicamentis pergebat usque ad *d.* 3. *Febr.* morbi trigesimo quarto, atque tum haec mihi nunciandi curabat: A morbo principe fere liber sum. *Heri* autem, *matutinis horis*, novo malo vexatus sum. Consistit hoc in eo, quod dolores punctorios vehementes in sinistra lumborum regione percipiam, nec nisi magna cum difficultate, ac dolore urina guttatim ex urethra destillet. *Hora* 3. *pomeridiana hesternae diei* urina adfatim, & sine ullo dolore fluebat. Confestim autem stillicidium dolorificum renovabatur; ab *hora* 9. *vespertina* naturaliter effluebat. Emissa urina instar aquae est, magnaque sitis constanter me urget.

Ex

Ex hiſce intelligebam, ægrum δυσουρίᾳ laborare. Quare hæc ordinabam: *Rec. Eſſ. Succin.* ℥j. *Eſſ. Myrrh. ſ. alkali* ℥iij. *Tincturæ Antimon. tartariſ.* ℥ij. *M.* Doſ. hora 10. antemer. & 4. pomerid. 40. guttæ. Rec. *Eſſ. alexipharm. D. D. Stahlii* ʒß. Dentur ſingulo mane, ac veſperi, ad 50. guttas usque. Bibat æger Theæ, aut Coffeæ tenuis adfatim.

D. 9. *Febr.* Morbi quadrageſimo, horum ipſe me æger certiorem per litteras reddebat: Dyſuria poſt adhibita remedia, ceſſavit, neque minus & expectoratio evanuere. Interim *heri* dolores in latere dextro rurſus obmurmurare percepi, qui ad nunc usque me vexant. Decumbenti reſpiratio facilis eſt, aſt ſurgenti e lecto, multaque eloquenti, brevior illa ſenſim redditur. Somnus, quem levem habeo, me reficeret, niſi ſudor inſignis, qui me noctibus abhinc binis torquet, vires aliquantum diſpelleret. Diæta, prout eandem mihi injunxiſti, tenui, adcurate utor. Alvus ac urina bene ſe habent: Hæc cum albo ſedimento; illa fluida quotidie eſt.

Hac phænomenorum relatione docebar, criſin demum abſolutam morbum abſoluturum eſſe. Lateris enim dolores, ceu nuncius commemorabat, exinde oborti denuo erant, quod æger aëri frigido ſe expoſuerat. Complementi igitur gratia hæc propinanda ſuadebam: *Rec. Aquæ Hyſſop. pluvial. ana* ℥ij. *prophyl.* SYLVII ℥j. *Mixturæ ſimpl. ſ. Campb.* ʒß. *Tincturæ anodyn.* ℈j. *M.* Doſ. omni trihorio, cochleare unum. *Rec. Balſ. Copayb. albiſſ. vitell. ovor. ana* ℥j. *M. adcuratiſſime, his add. pulveris Glycyrrh. pulveris Gumm. Kikekunemalo, ana*

q. s. ut s. a. f. Pil. ex ℈j. num. XII. dealb. dentur singulo mane ac vesperi tres.

Atque his quidem omnibus rite in usum vocatis, perfecta, quæ divini Numinis summa clementia erat, sanitate fruebatur.

HISTORIÆ AC MEDELÆ RATIO.

EXplicare brevibus libet, cur hæc illave symptomata in morbo hocce gravi se se mutuo exceperint, quanamve ex ratione data remedia porrigere necessum duxerim. Ut itaque ab initio exordiar; omnem morbum â nimia in progressis concionibus vociferatione, qua pulmones, eisque contigua membrana pleura, una cum organis reliquis, respirationi inservientibus, nimium commoti, sanguinem ad minimas harum partium arteriolas detrusere, quæ acceptum ac rarefactum cruorem tam repente repellere haud valentes, justo plus illo onustæ, incipiente in iis obstructione, inflammationis subseqvutæ ansam præbuerunt, *proxime* obortam esse, scire juvat. Occasionalem vero, quam procatarcticam quoque vocant, *adjuvantem* potius heic loci dixeris, causam, aëris, in historia enarrata constitutio dedit, quibus omnibus ægroti, tertio demum morbi die auxilium quærentis, nec tum quidem remediis morem gerentis, incuria adponenda. Monendum vero existimo, me sub causa proxuma, modo adlata, proximæ in inflammatione, generatim sumta, causæ, causam remotam intelligere. *Vid. diem morbi primum ad* 5. *usque.* Ex hac etiam causa derivare licet, cur Aquam Hyssopi, majorem, præ reliquis, in primo Linctu porrectis Aquis, vim obtinentem, itemque *Laudani* opiati refractam portionem,

tionem, quoniam febris ſymptomatica, nec veloci quidem adeo curſu ſe prodens, aderat, propinaverim. *Vid. dies* 5. *Jan.* Vires autem corporis, minime Oleum Amygdalinum, excitaſſe diarrhœam ſpontaneam, cuivis patet, qui ab Olei hujus continuato uſu alvum quidem apertam, non autem ejusdem fluorem proveniſſe cognoſcit. Nec criticum, qui diarrhœam excepit, fuiſſe ſudorem, ejus natura docebat. Qui quum acidum de ſe odorem ſpargeret, dominantem in ægro acrimoniam, diſcernere poteram, cujus tamen nativa & adparens indoles acrimoniæ potius alcalinæ, ac plethoræ vultum præ ſe ferebat. *Vid. dies* 6. *Jan.* Flatuum, jam ſe ſe patefacientium, cauſam facile dignoſcet, quicunque rarefacti â febrili calore aëris in inteſtinis proprietatem atque vim elaſticam conſiderat. Ad criſin porro quendam ſequenti die morbi ſeptimo impetum ad fuiſſe, nullus, niſi medicarum hiſtoriarum ignarus negabit, qui etiam ut domaretur, neceſſe non erat, quoniam ſuo tempore illum ſponte ceſſurum eſſe, vires ægri magis oppreſſæ, quam penitus ſuppreſſæ, comprobabant. *Vid.* 7. *Jan.* Ut tamen aliquo hæ modo ſublevarentur, tam potionem analepticam, quam vinum Rhenanum in auxilium vocabam. Ceterum magnitudo morbi aucta, haud ita multo poſt futuræ criſeos ſpem mihi faciebat. *Vid.* 8. *Jan.* Quæ etiam, finiente nono febris acceſſu, contingebat, dum, abſoluta exacerbatione, æger pus larga in copia exſpuebat, urina ſedimentum ſuum album præcipitabat, ſomnusque ac quies reſtituebantur. *Vid. d.* 9. *&* 10. *Jan.* Dolores adhuc in lumbis & dorſo, ac latere morboſo, exorti, quorum *d.* 13. 15. *&* 20 *Jan.* mentio facta eſt, & qui tandem *d.* 8. *Febr.* dyſuriam producebant,

ducebant, explicatu faciles ſunt, cui immorigera ægri, ex minima ſanitatis accepta ſpe, ſtatim frigori ſe exponentis, nec æquabilem omni tempore corporis ſui calorem conſervantis, indoles perſpecta fit. Quibus denique addendum eſt, criſi, largum per ſudorem, *quadrageſimo morbi die*, abſoluta, præſervationis partim, partim ulterioris quoque perſpirationis augendæ pulmonisque firmandi gratia, ultima me remedia, ſalutari effectu, commendaſſe.

(*Jeverâ in Friſiis miſſa Altorfium d. 1. April.* 1735.)

OBSERVATIO XCV.

DN. D. WOLFFG. HENRICI SCHREY.

De

Rarioribus renum, linguæ & veſicæ calculis.

INter alios maxime doloroſos ac periculoſiſſimos præter-naturales humani corporis affectus & calculum jure recenſeri, nonſolum qui dolores ex illo ſenſit, ſed & qui eo laborantibus adſtitit, experientia edocti uno ore affirmabunt. Hæc enim ex terreis, viſcoſis atque ſalinis particulis concreta ſubſtantia, licet interdum poroſa atque friabilis plus minus appareat, quandoque tamen adeo condenſata eſt, ut ſilice etiam, in corpore humano generatum calculum nonnunquam duriorem credideris. Hinc facile colligitur, quam gravativus, quam tenſivus, ac pulſatorius dolor circa anguſtiores ureterum & urethræ vias neceſ-

necessario oboriatur; meritoque illorum judicio subscribitur, qui intensissimos nephriticos dolores puerperarum & arthriticorum cruciatibus anteponunt. Nec durities solum, sed & forma, nunc angulosa, nunc acuminata, nunc hamata, nunc cuneiformis dolorem modo dictum notabiliter auget.

Sed animus non est in præsentiarum exponere historiam generationis calculorum fusiusque recensere consueta eorundem symptomata, multo minus remedia therapevtica adducere, quæ malo huic opponi solent. Trigam modo calculorum in Curiosorum Scenam producam, qui meo quidem judicio, non ultimum locum inter observatu digniores occupabunt. Omni quidem tempore a Celeberrimis medicis calculos descriptos legimus, qui ob stupendam magnitudinem, peculiarem & admirandam formam, notabilem texturam, vix credibile in corpore humano diversorium, copiosum numerum & inconsuetam denique excretionem toti eruditorum & curiosorum ordini singularum admirationem excitarunt.

Petrus BLANDINUS stupendæ magnitudinis calculum, post extractionem novem uncias ponderantem, in cujusdam juvenis, viginti quinque annorum, *vesica*, Genevæ se invenisse refert, testante Epistola ad *Fabricium* HILDANUM, (a) qui similem, ovi gallinacei magnitudinem superantem, calculum ex nobilis cujusdam matronæ vesica cum vitæ conservatione, anno 1598. die 29. Julii, se extraxisse affirmat; (b) & multo majorem, simulque inæqualem, quasi ex multis lapidibus

 com-

(a) Vid *Hildan Observ. Cent. IV. obs. L. pag.* 323.
(b) *Idem in Obs. seqq.*

compactum idem HILDANUS adducit, quem anno 1602. VITELLIUS, Lithotomus felicissimus, ex vesica juvenis viginti annorum, ast, quod dolendum, cum vitæ interitu, protraxit, qui calculus duarum & viginti unciarum pondus æquavit. (c) Alius Lithotomus *Johannes Jacobus Merkius*, teste *Gregor.* HORSTIO feliciori cum successu sub initium anni 1626. textorem â calculo, uncias octo ponderante, liberavit. (d) Æqualis fere magnitudinis, unciarum nimirum decem ponderis, calculum ipse celeberrimus HORSTIUS (e) in viri generosi *â Franckingen* vesica, post mortem dissecta, deprehendit. Et quis nescit *calculos renales Innocentii XI.* Romanorum Pontificis, sex uncias, supremique Concionatoris Aulici Dresdensis *D. Seligmanni* uncias tres totidemque drachmas ponderantes? quibus notabilem adjicio calculum, quem *Mich. Doringius*, Vratislaviensis Physicus, in demortui & dissecti civis rene sinistro ejusque infundibulo invenit, cujus forma & facies mediocri Zingiberis radici exacte respondit, in pelvi renis vero multi majusculi calculi cum haud exigua sabuli copia delituerunt, (f) quos omnes, si diutius vixisset, patiens vel in rene, vel in vesica, infelicissimis illis microcosmi lapidicinis, in unum coalitos futuros mihi firmiter persuadeo.

Optandum quidem esset, ut renes & vesica solum pro dolorosa fabrica lapidescentis Tartari â natura fuissent destinata; ast, dolendum magis est, quod in toto fere corpore, & in qualibet ejus parte, coalitos atque generatos calculos legamus. Sic

(c) *Ibid.*
(d) *In Oper. Tom. II. p. 236.*
(e) *Oper. Tom. II. L. IV. obs. XLVIII.*
(f) *Gregor. Horstius Op. Tom. II. L. IV. p. 228.*

Sic HILDANUS in puero quodam generoſo ex Familia Hazfeldorum per gradus ſcalæ ante aliquod tempus delapſo & ſyncipite gradibus alliſo, poſt perpeſſos capitis dolores demortuo, circa connexionem ſuturæ Cranii rectæ & lambdoideæ lapidem ex craſſa viſcidaque materia concretum validiſſimaque membrana incluſum ſe inveniſſe refert. (g)

Et palpebris hunc affectum familiarem prædicat *Marc. Aurelius* SEVERINUS in *Libro de efficaci Medicina.* (h)

Per palatum rejectum calculum notabilis magnitudinis apud HILDANUM legimus. (i)

Johannes Centimanus ex Principis Vibreini lingua exciſum calculum baccæ lauri forma & magnitudine exhibet. (k)

Cor, cujus motum & vehementem & continuum, ejusmodi concreſcentiis ſucceſſivis haud opitulari judicares, tamen â calculo oneratum occurrit, obſervante *Greg.* HORSTIO. (l) Sic & in fœminæ cujusdam nobilis corde diſſecto, totam cavitatem calculus implebat, coloris cineritii, corporis incurvati, in cujus apice duo quaſi roſtra prominebant; & alium in virginis cachexia demortuæ ventriculo cordis dextro, circa valvulas tricuſpidales adnatum, cujus magnitudo minoris & compreſſioris caſtaneæ formam repræſentabat, idem HORSTIUS (m) in Epiſtola ad *Stieberum* clarius deſcribit.

De

(g) *Hildanus obſ. I. Cent. V.*
(h) *Part. II p. 129.*
(i) *Obſ. I. Cent. V.*
(k) *M. A. Severinus P. II. Cap. CXXXI.*
(l) *Op Tom. II. L. IV. p. 238.*
(m) *Horſt. Op. Tom. II. p. 238.*

De calculis in ventriculo coalitis refert *Joh.* BILGERUS in Epiſtola ad *Gregor.* HORSTIUM data, quod e cujusdam nobilis; qui, cum in vivis eſſet, de dolore circa cartilaginem enſiformem conquerebatur, poſt mortem diſſecto ventriculo plus quam triginta majores & minores calculos fundo ac ſubſtantiæ ventriculi firmiter & pertinaciſſime adhærentes extraxerit. (n)

Cyſtis fellea non raro quoque ejusmodi lapidoſis hoſpitibus obſeſſa deprehenditur, qui jam Icteri, jam febris acutæ & malignæ, jam ipſius Hydropis cauſam maniſeſtè præbent: Sic in cadaveris febri maligna extincti fellis folliculo calculi in globum convoluti, inſtar globorum aſperorum thoracis teſte *Greg.* HORSTIO ſunt inventi. (o) *Bernhard. Stieberus* Archiater Brandenb. in Epiſt. ad eundem, plus quam ducentos lapillos, partim coloris cineritii, partim ſubflavi & auro quaſi micantes repertos fuiſſe nunciat in fellis veſica atrophia correpti L. Baronis *de Hees.* (p) Pariter quoque *Jacobus Horſtius* multos leviores calculos fabarum magnitudine ejectos cum excrementis, e fellis veſica deſcendentes ſenſit & idcirco obſervationibus ſuis rarioribus adjecit *Greg.* HORSTIUS. (q) Similem calculum magnitudinem juglandis nucis referentem, fœmina hydrope extincta in fellis folliculo incluſum poſt ſectionem demonſtravit, referente *Joh.* BILGERIO, Campodun. Phyſico. (r)

Hos

(n) *Id. in Op. Tom. I. p. 135.*
(o) *Ibid.*
(p) *Greg. Horſt. Opp. Tom. II. L. IV. p. 238.*
(q) *Ibid. p. 232.*
(r) *Ibid. p. 239.*

Hos quidem fellis vesicæ calculos & magnos satis nec minus dolorosos fuisse, quilibet non sine admiratione judicabit; si quis vero par illud calculorum & delineatum videt & descriptum legit apud *Fabr.* HILDANUM (s) quod sub sectione cadaveris Comitis cujusdam septuagenarii, ê fellis vesica excidit, horrore certe obstupescet. Si biliaria cisterna in adeo magna quantitate tartarum continet, quid mirum? quod si per ductum choledochum ad intestina prolabitur bilis, simul arenosa & tartarea colluvies descendere possit, quæ postmodum in coli semilunaribus valvulis diutius subsistens, mediante viscoso quodam glutine in horrendum calculum adire, circa hospitium vero tempore exitus singularem & spasmodicum dolorem excitare queat.

Horum calculorum duos, & quidem pomi majoris magnitudine, vir 40. annorum, auxiliante Lithotomo, per anum, intra biduum dejecit teste *Greg.* HORSTIO. (t) Similem *Andreas Hildebrandt*, ovi gallinacei magnitudine, glabrum levigatum colore fusco per anum vi magna exclusum fuisse notat apud eundem (u) Sic quoque referente HOLLERIO (x) mulier quinque notabiles calculos per ordinarium alvi excretorium reddidit. Copiosiori magis numero per anum excretos calculos observavit *Joh. Faber* & *Greg.* HORSTIUS, quorum ille 500. â molitoris Ingolstadiensis uxore rejectos, hic vero 233. â nobili quadragenario, gravativum circa umbilicum do-

(s) *Hildanus Cent. IV. obs. XLIV. p. m.* 320.
(t) *Op. Tom. II p.* 237.
(u) *Op. Tom. II L. IV. p.* 232.
(x) *Lib. I. Cap. XLVIII.*

lorem ſentiente, laxantibus prius propinatis, una nocte evacuatos obſervavit. (y) Quod vero hi per anum excreti calculi inprimis inteſtinum colon & ejus valvulas ſemilunares pro fabrica agnoſcant, *Bernh. Stieberus* detexit, qui Rotenburgi ad Tubarim in ſenis ſexagenarii cadavere, qui de doloribus inteſtinalibus annuis conqueſtus & tandem abinde enecatus erat, globulos quam plurimos ovum gallinaceum æquantes & colo affixos inventos fuiſſe nuntiat, qui ſine dubio in duriores calculos tractu temporis abiiſſent. (z)

Rarius legimus in Scroto calculos occurriſſe, nihilominus tamen Lithotomus *Mart. Wirzius* â *Valent. Voglero* Heidelb. calculum ex ſcroti lateris ſiniſtri doloroſo abſceſſu, ab initio unciam unam, poſt ariditatem drachmas quinque ponderantem, extraxit curam dirigente *Thom.* PLATERO Baſil. Acad. Prof. prout hoc fuſius refert *Fabr.* HILDANUS (aa)

Plura calculorum in abſtruſioribus corporis humani locis inventorum exempla qui deſiderat, evolvat SCALIGERUM *Exerc.* 108. KENTMANNUM *Lib. de Calculis.* HOLLERIUM *Lib. I. de morbis internis.* *Laurentium* JOUBERTUM & *Joh.* CENTIMANNUM *de Lapidibus.* Interim ſi tot ſtupendæ magnitudinis, admirandæ formæ, ſingularis texturæ, in tam inſolitis diverſoriis & vix credibilibus modis excretis; jam jam delineatis & deſcriptis Obſervatorum libri ſuper abundant calculis, dubitarem certe, an quoque opus foret, ut ſupra promiſſos exhibeam. Aſt, ſi ve-

(y) *Horſt. obſ. Tom. II. p.* 236.
(z) *Idem ibid p.* 237.
(aa) *Obſ. Cent. VI. obſ. LVII. p.* 571.

si verum est, quod veritas, quo plus demonstrata fuerit, eo firmior reddatur; merito proposito huic, licet quæ prius dicta sunt, certo modo repetam, firmiter inhæreo, inprimis ob circumstantias, quæ allegatis illis haud familiares fuerunt, quarumque minima totam apud Medicos rem variat.

Primus Fig. 3. & 4. Tab. VI. notatus calculus nuper ê virgine annosa hujus loci excernebatur. Nullo antea tempore hæc sabulum, multo minus calculum excretum in matula se observasse, nec circa regionem lumbarem, inguinalem, aut ipsius vesicæ tensionem, pressionem, urinæ remoram, nec qualemcunque dolorem sensisse sancte adseveravit. Ipsis autem Nonis Septembris inopinato dolore renali rodente & pulsatorio ad dextrum inguen tendente & versus vesicam premente cum torminibus circa umbilicum, vomendi conatu continuo, irritoque stimulo ad mingendum, ita excruciabatur, ut mortem ipsam instare autumarent adstantes, meque propterea illico accersi juberent. Facta symptomatum horum enarratione, nephriticos dolores adesse cum vesicæ calculo facillime intellexi. & id circo externe emollientia atque anodyna cataplasmata sæpius calefacta regionibus dolorosis applicare, interne vero tincturam meam lithontripticam, quæ singularem suam virtutem in educendis calculis & arenosis concrementis multoties probavit, propinare jussi. Altera die dolores paululum sedatos, urinæ vero excretionem prorsus suppressam esse referebat, quare fomentationes prioribus medicamentis adjunxi, indeque statim urina magis excretionem urgebat, ac tandem magna cum vehementia, & in larga quantitate erumpens, plus quam tringinta calculos pisi circiter magnitu-

 dine,

dine, ſecum vehebat, non ſine notabili dolorum levamine. Elapſo uno alterove die iterum ægra ſentit urinæ retentionem, cum inſolita preſſione, adhibitis vero ex priori conſilio fomentationibus, delineatum calculum ſolum inſequente notabili urinæ quantitate, prodire obſervavit, qui ex innumeris minoribus, piſi, cannabis, milii & papaveris ſemina magnitudine referentibus concretus, in altera extremitate acuminatus, admodum durus, aſper, coniformis, craſſitie & longitudine internodio tertii digiti annularis ſimilis, coloris in apice crocei, in reliqua ſuperficie ſubflavi erat, ac quatuor ſcrupulos pondere æquabat. Calculi hujus concretionem in veſica factam eſſe, facile comprehendi ac demonſtrari poteſt. Dum enim lapilli in pelvi renis antea generati unacum urina ad veſicam deſcenderunt, materiâ quadam viſcida in veſica habitante alter alteri ſucceſſive adhæſit, donec poſt aliquot tempus in duritiem & firmiſſimam coalitionem compacti abierint, minores vero, aliquot dies ante majoris hujus exturbationem evacuati calculi, in rene dextro & in ejus uretere, quod ex doloribus lumbaribus & inguinalibus judicandum fuit, certiſſime hæſerunt.

Interim nil magis miror, quam quod ægra uno momento exceſſivis hiſce doloribus fuerit obruta, cum tamen antea nec quicquam doloris ſenſerit, qui tamen nephriticos aliàs cruciatus antecedere ſolet. Ex hoc autem caſu manifeſte demonſtrari poteſt, quod generationem calculi inflammatio renum & ſuppuratio non ſemper antecedere debeat, nec ſanies exinde orta calculi concreſcentis medium conglutinans ſit, prout quidam Medicorum ſtatuunt, ubi enim nullus dolor, ibi etiam nul-

la inflammatio; ſuppuratio & ſanioſæ materiæ collectio expectanda eſt.

Alter quem Fig. 5. & 6. Tab. VI. monſtrat, calculus eſt triangularis, denſioris ac durioris ſubſtantiæ, minime poroſus, ex innummeris ſubtiliſſimis lamellis firmiter compactus & ita induratus, ut quaſi gypſeus, ſimul tamen levis appareat, colore albicante & ſuperficie glabra ſplendidus, qui non in ordinaria calculorum fabrica, ſed ſub lingua ſutoris cujusdam hujus loci, generatus, utique curioſorum contemplationem meretur: Dictus nimirum ſutor per viginti annorum decurſum continua in regione ſiniſtra inferioris maxillæ odontalgia vexatus, nullo remedio, quorum innumera fere adhibuit, â dolore hoc liberari potuit; tandem factum eſt, ut tumor nec inflammatus, nec ſuppurationem intendens, nec ab initio doloroſus, una nocte ortus, magnitudine ovi gallinacei externe infra baſin maxillæ dicti lateris verſus laryngem propendens, dolorem patienti levaverit, ſimul vero poſtquam ſucceſſu temporis magis durus evaſit atque ad interiora ſub linguam aſcendere cœpit, hujus motum liberum & naturalem cum dolore circa venam raninam ſiniſtram punctorio difficiliorem reddidit & fauces ob muſculorum linguæ & pharyngis motum pariter interceptum, inprimis tempore deglutitionis, cum loquelæ & maſticationis ſenſibili incommodo anguſtavit. Miſera hæc, latrante ſtomacho, deglutiendi conditio, patientem magis quam dentium dolor, reddidit impatientem; medelam ergo quærere coacto, ſuadebatur, ut ſacculos emollientes ſæpius calefactos externe tumori, pro acceleranda maturatione, ſuperimponeret, quibus per diem applicatis, veſpertino tem-

pore ſub lingua circa exitum ductus ſalivalis Warthoniani proſiliebat calculus delineatus, quem non calculum, ſed prolapſum dentem eſſe ante protractionem autumabat ſutor. Stupore ergo perfuſus ob inopinatum hunc eventum, mihi ab initio incredulo, domeſticorum ſuorum teſtimonium adducens, omnia retulit, ſimulque foramen prope dicti ſalivalis ductus orificium, quod eodem ſano nunc, hodie adhuc patet, ad oculum monſtrauit. Glandulam Warthonianam ſiniſtram materiam pro calculo formando ex maſſa ſanguinea collectam ſeparaſſe & ad ductum ſalivalem depoſuiſſe, quilibet ſine dubio facile perſpiciet; unde autem factum fuerit, ut diuturniores & intenſiſſimi denſium dolores una nocte ſedati tumorem excitaverint, cum inſecuta calculi coalitione, paulo altioris indaginis eſt. Mihi equidem videtur, materia illa viſcida atque tartarea, in vaſis ſanguiferis gingivarum & maxillæ, in ſpecie inferioris, per quam illa hinc inde transeunt, occurrens potiſſimum in culpa fuiſſe, dum nempe viſciditas progreſſum ſanguinis retardavit, acrimonia vero tartarea nervos ſtimulando & rodendo, odontalgiam excitauit; unde, quæ corporis conſervationem intendit, anima, moleſtiſſimi doloris pertæſa, motu extraordinario impuritates iſtas circa glandulam Warthonianam copioſius collectas, expellere anniſa fuit, ſub hoc autem molimine tenacior hæc materia circa ductus ſalivalis orificium firmius obhæreſcens, primo tumorem ac diſtenſionem partium adjacentium, dehinc vero, facta ſubitanea portionis ſeroſæ ſeceſſione, & craſſiorum terreſtrium viſcoſarum particularum intimiori coalitione & exſiccatione, in calculum talem abiit, qui dein muſculis linguæ & faucium libe-


rum

rum & ordinarium motum denegavit, prout hoc ex faucium constrictione, deglutiendi difficultate & loquelæ interceptione colligere licuit, tandem vero, dum ita irritati & fortius constricti hi musculi calculum subinde agitarunt, hic ipse internum oris integumentum, satis alias firmum, continuo attritu successive perforavit, sicque exitum obtinuit.

Tertius, cujus mentionem adhuc facere lubet, calculus Figura 4. Tab. VII. delineatus, prioribus his grandior majorque apparet. Hunc dono accepi â nobilissima quadam matrona, quæ in memoriam infelicissimæ matris suæ, abinde miserrime quondam excruciatæ, hoc triste monumentum servabat reconditum, cujus historiam curiosorum virorum observationibus adjicere non dubitavi. Est autem calculus oblongus, latus, crassus, ad pondus duarum unciarum, nunc plane exsiccatus, accedens, in altera extremitate subrotundus, asper & durissimæ texturæ, in altera autem, ubi friabilis & porosus existit, latioris ambitus, in latere sinistro angulum exhibens obtusum, in dextro autem in processum medii digiti crassitie, qui supra corpus multum prominet, abiens. Notabilis quidem magnitudo, notabilis textura, notabilis quoque figura est calculi hujus extraordinarii, multo vero notabilior exitus ejusdem apparebit. Dictæ enim matronæ mater, satis jam annosa, per plurimos annos nephritide laborans, via ordinaria minores antea quam plurimos excreverat calculos, arenulas atque sabulum, nunc vero continuis doloribus in vesica rodentibus, prementibus & ad mingendum stimulantibus vexata majorem vesicæ calculum subesse præsumsit, hinc Medicorum medelam internam & externam, frustra tamen,

quæ-

quærens, Lithotomorum vero operationes cane pejus & angue fugiens, Deo & fato sese commisit, mane & vesperi cochlear unum olei amygdalarum dulcium assumsit, nec nonsubinde aliquot baccas juniperi jejuno comedit ventriculo. Cum ultra sex annorum spatium, auctis indies symptomatibus; cum urinæ retentione & stillicidio dolores istos infernalibus cruciatibus fere æquiparandos, tolerasset, frustraque mortem multoties oppetiisset, factum est, ut tumor maxime inflammatus ê genitalibus, instar prolapsus uteri, propendens & pustula albicante notatus, apostematis præsumptionem excitaverit. Vocabatur ergo Chirurgus, qui purulentæ materiæ evacuationem intendens, dictum tumorem incidebat, quo facto pus sanguine mixtum insequente calculo hocce monstroso & urinæ enormi quantitate, prosiliebat, cum admiratione & stupore multorum adstantium. Inopinata hoc methodo per omnipotentis Numinis clementiam â tam doloroso tamque periculoso morbo liberata novem posthæc supervixit annos; ob vesicæ sphincteris vero aut nimiam extensionem, aut, quod propter calculi asperitatem factamque incisionem magis credendum, ejusdem dilacerationem, urinæ incontinentia per vitæ residuum laboravit.



OBSER-

OBSERVATIO XCVI.

DN. D. WOLFFG. HEINRICI SCHREY.

Lapis Bezoardicus inſolitæ magnitudinis.

IN antecedentibus lapidoſa concrementa obtuli Curioſorum contemplationi, quæ corpus humanum ita doloribus exquiſitiſſimis cruciant, ut morte majores merito pronuncientur; nunc vero etiam ex regno animali lapidem pretioſum & in ſolatium hominis â Deo datum, apponere lubet. Notum nimirum eſt, in caprarum ſylveſtrium ventriculo apud Indos lapidem leviſſimi ponderis concreſcere, quem *Bezoar* ſalutant, coloris extus atro-virentis, intus cineracei, ex multis lamellis, ſibi invicem ſucceſſive ſuperimpoſitis, conſtantem, qui in meditullio cavitate notabili gaudet, in qua pili, fibrillæ atque ſimilia alia deprehenduntur, quæ ex Auctorum conſenſu â capris dictis ſylveſtribus ſeſe lambentibus deglutita, primum, ut lapis concreſcere queat, ſuppeditant fundamentum & occaſionem. Lapidi huic ſapientiſſimus omnium rerum Creator tam ſingularem virtutem cardiacam & diaphoreticam indidit, ut omnia illa medicamenta, quæ ſimilem effectum producunt, in memoriam hujus lapidis κατ' ἐξοχήν Bezoardica dicantur; hinc pretioſiſſimus in toto regno animali jure reputatur hic calculus, licet ordinarie non ita magnus ad nos deferatur, nec facile ovi columbini magnitudinem, ſi orientalis eſt, ſuperet: In admirationem ergo abripiebar, cum *Krügerus*, Pharmacopola Dresdenſis, ad nundinas

Lipsienses profectus, ejusmodi lapidem Bezoardicum mihi monstraret, qui Fig. 7. Tab. VI. delineatus, exacte rotundus, magnitudine ovum anserinum superabant, & ob vix unquam descriptam vel visam magnitudinem, apud me aliosque suspicionem falsitatis, aut quod factitii quicquam subsit, excitabat. Ast præter colorem & lævigatam superficiem, textura ex superincumbentibus invicem lamellis constans, nec non cavitas interna, quæ factâ ad interiora perforatione sentiebatur, cum protractis ex illo pilis, ut & levitas ponderis, de genuina patria lapidis hujus Bezoardici fide dignissimum ferebant testimonium, adeoque pro raro & caro jure meritoque habendus erat.

(Delicio Lipsiam transmissa.)

OBSERVATIO XCVII.

DN. D. GEORG. LEOPOLD. HOYERI.

De

Fœmina barbata, itemque de Viro imberbi.

BArbam quidem virorum secundariam esse partem (ex iis, quæ ὕϛερα μόρια appellantur,) & singulare illorum ornamentum ac venerationis incitamentum, docet GALENUS *Lib. II. de V. P. cap.* 14. Confer. *Gerhard.* VOSSIUS, *in Etymolog. lat. lingu.* sub voce *Barba*, qui multa notatu digna adduxit: dari vero etiam mulieres barbatas, præter RHODIUM *Cent. III. obs.* 403. *& Acta Physico-Medica Academiæ nostræ Volum. III. obs.* 127. *p.* 387. sequens quoque testatur observatio,

Ma-


Matrona omni honore digna, cujus nomen & patriam jure meritoque silentii peplo involvo, barbâ colore nigra, ac si esset virilis sexus, erat prædita, μύσταξ καὶ πάππος progerminabant. & ita succrescebant, ut intra septem dierum spatium bis terve doctæ tonsoris manui se submittere cogeretur, quò in deliciis & amoribus conjugalibus marito haberetur,

Si daret amplexus, si figeret oscula grata.

Voce gaudebat gravi & ita comparata, ut virum magis quam blandam ornaret fœminam, vultus ejus totumque corpus caloris abundantiam indicabant, declarabant; (ob calorem enim cutisque pororum laxitatem pili progignuntur & erumpunt,) præterea tributum lunare non solvebat, & quamvis Veneris stimulos sæpius experta fuerit, multisque annis in matrimonio legitimo vixerit, sterilis tamen absque liberis, quinquagesimo ætatis anno completo, vitam cum morte commutabat.

E contrario vero rusticus quadraginta annorum, in pago, Reiser dicto, prope civitatem Molhusinam sito, habitans, barba prorsus caret, dubiumque est, an natura in generando ac formando fœtu errore quodam seducta, ipsi formam viri negaverit; siquidem tum forma eximia, tum voce, tum moribus ab ineunte pueritia ad finem usque ætatis juvenilis fœminis similior quam viris erat, quid? quod & omnia illi cum fœminis erant communia, vox exilis & fœminea, & corpus glabrum, nisi quod membra, quæ virum â fœmina maxime solent distinguere, discernendi difficultatem sustulerint. Ejus uxor, quamvis in refrenandis cupiditatibus restrictè contenteque viveret, hoc viro tamen non contenta, quid illam ureret, in amicorum aures exonerabat, quod

nempe id deficeret, quod conjugum conciliaret animos, tantumque abeſſet, ut conjugali ſatisfaceret officio; ut potius ſe ſocietate, ob ſterilitatem, inauſpicata ac miſera, ſine communis amoris pignoribus, ad extremum usque vitæ halitum defungi, Deum hominesque teſtaretur. Si innupto conjecturam inſtituere licet, ita hac de re judicandum cenſeo: Quod videlicet hic vir ſit frigidæ corporis conſtitutionis, ſeu caloris inopia, qui humores excitare ſolet, laboraret, nec tanta voluptatum titillatio in eo ſe exſerat, quanta ad amores requiratur venereos. Exinde porro ſequitur, ſemen ab hoc viro fuſum eo non præditum eſſe vigore ac calore, ut uxoris uterum efficaciſſime poſſit penetrare, aliàs ille ipſe, cujus adoleſcentia & juvenilis ætas nec unquam libidinoſa nec intemperans, foetui procreando idoneus fuiſſet. Etenim aliquando caſus occurrunt, ut *Levinus* LEMNIUS in Tr. *de miraculis occultis Lib.* 4. *cap.* 16. refert, quod imberbes in maritali congreſſu viros ſe præſtent, frequentius tamen illis vires languent, facultates naturales flaccescunt, ſperatoque prolis deſiderio fruſtrantur. Nunc duo hæc conſiderans exempla benevolus lector dignoſcat, quid ad ſexus conferat diſcrimina, quodnam viro ſit decoris ac roboris, quod ſexui ſequiori pulchritudinis & ornamenti argumentum.



OBSER-

OBSERVATIO XCVIII.

DN. D. GEORG. LEOPOLD. HOYERI.

De

Corrupta matris imaginatione in deformando foetu.

QUod mulier gravida, cujusdam rei imaginem animo sibi concipiens fœtui malum inferre possit, nemo ibit inficias, inprimis si oculos & cogitationes in rem aliquam, vel imaginem vertit, acriter intendit, eandem horret, in perturbationes incidit, speciem rei animo repraesentatæ fixam in memoria tenet, nec sine singulari intimoque ejus adfectu ad tenerum rudemque fœtum, mediante sanguinis materni, in fœtum penetrantis, circulatione, transfert & cum eo communicat. Quodsi vero mater imaginem negligit, susque deque habet, omnem recordationem fugit, animo sedato gaudet, tunc nec fœtui communicatur, nec hac imagine adficitur, multo minus eidem maturitati proximo nocet. Vid. *Nic.* VENETTE in Tr. *de la generation de l' home ou tableau de l' amour conjugal. P. III. cap.* 7. *num.* 2. *p.* 520. *sqq.* Sequentes vero casus præcipitantiam, facilitatem, summamque duarum fœminarum levitatem manifestabunt: paucis abhinc annis in celeberrima urbe L. mulier, non ex infima plebis sorte oriunda, æthiopem enixa est ex eo, quod æthiopem, qui inter principis cujusdam erat pedissequos, ê fenestra adspexerit. Itidem ante quadraginta annos & quod excurrit, in civitate quadam, cu-

jus nomen silentio præterire lubet, castissima fœmina ex marito gravida in virum quendam ex iis, qui se Ægyptios esse fingunt, & vulgo *Cingari* vocantur, circumlatis oculis ex improviso incidit, vultumque hujus viri flavum & cæsium seu ravum, â sole & arte quasi coloratum, aversata est; hac ex causa filius ex ea natus, ut ovum ovo simile, ob colorem ravum ad Ægyptii accessit similitudinem, & quod admiratione dignum, nati quoque, seu nepotes, quos filius hic matrimonio inito genuit, â natura eadem forma in lucem sunt editi. Plures ejusmodi casus lectu dignissimos exhibent SOLINUS, *Polyhistor. C. S. Angel.* POLITIANUS *tit. de Sperm. Lib. Problem. de infant. probl.* 2. 3. ZIMARAS *probl.* 43. *Cælius* RICCHIERIUS cognomine RHODIGINUS, *Cap.* 15. *Lib.* 20. *Lect. antiqv.* JASON. *in I. Lect. n.* 68.

(*Molhusa Erfordiam missa d. 20. April. 1735.*

OBSERVATIO XCIX.

DN. D. IOHANN TIMME.

Convulsio salutaris.

ANcilla viginti quinque annos nata, postquam per tredecim circiter mensium spatium catameniorum obstructione laborasset, multis ad hunc fontem aperiendum incassum adhibitis remediis, incidit tandem in anasarcam, quam brevi temporis decursu ascites sequitur. Depellando huic morbo non pauca ab agyrtis,

vetulis, aliisque ejusdem farinæ medicastris opponuntur medicamenta, sed frustraneo conatu. Tandem horum omnium pertæsa: ab eorum usu penitus abstinet. Elapsis aliquot hebdomadibus, quamvis de die nihil insoliti observaverat, & jusculum carnis bubulæ cœnæ loco assumserat, tempore nocturno motibus convulsivis manuum pedumque corripitur cum sensuum plenaria abolitione. Violentissimis hisce membrorum motitationibus filiola mercatoris, cui serviebat ancilla, octo annorum, in eodem lecto cum hac decumbens, non solum ê somno excitata, sed & crebris ictibus percussa, parentum implorat auxilium: Hi illico accurrentes puellam quantocyus ê lecto extrahunt, postea ancillæ, motibus convulsivis adhuc laboranti, manus præbent auxiliatrices, illam firmiter in lecto detinendo & spiritus volatiles naribus applicando, dein vocari me jubent, sed paulo ante meum accessum motus convulsivi, antehac partes externas solum occupantes, ventriculum quoque infestant, & vomitus adeo fortes excitant, ut aliquot libras aquæ mucilaginosæ rejiceret, unde convulsiones parum cessare videbantur. Ego adveniens ægrotam aphonam, convulsionibus adhuc vehementer correptam & sensibus externis privatam deprehendo, ideoque symptomatibus maxime urgentibus primo occurrendum censens, mixturam antispasmodicam præscribo. Altero die, convulsionibus nondum plane sublatis, quamvis insigniter debilitatis, mixturam reiterari curo. Die tertio, motibus convulsivis plane cessantibus, ægrorantem antea loquelâ orbatam, jam autem mecum loquentem, & de virium debilitate valde conquerentem pulveres analepticos cum antispasmodicis

mix-

mixtos adſumere jubeo, quibus per aliquot dies in uſum ductis, ipſi hauſtum emeticum ex aqua benedicta Rulandi (naturam enim, quo vergit, eo ducendam eſſe cum HIPPOCRATE ſtatuo) præſcribo, quo adſumto enormem iterum lymphæ copiam evomens, poſtea ſat bene ſe habet. Tandem poſt repetitum aliquoties hydragogorum & emmenagogorum uſum, menſes fluere incipiunt, unde poſtea Deo ſit laus, priſtinam recuperavit ſanitatem.

(Bremæ Erfordiam transmiſſa d. 8. Maj. 1735.)

OBSERVATIO C.

DN. D. JOA. CHRISTOPH. POHLII.

De

Inſigni capitis tumore, cum carie cranii conjuncto.

ANna Maria Beckin, militis cujusdam uxor menſe Novembri accerſi me curavit, mihique monſtravit tumorem inſignem capiti ſummo adfixum. Annum quadrageſimum octavum tunc temporis agebat, & mihi potiora, quæ circa geneſin & incrementum hujus tumoris obſervaſſet, ſciſcitanti, referebat quæ ſequuntur: Ante tredecim jam annos negotiis œconomicis intenta, caſu infortunato caput illidebat trabi adeo, ut vehementiſſima contuſione percuſſa & humi proſtrata, graviore lipothymia corriperetur. Symptomata in principio graviora viſa, præter dolores capitis medio-

cres

cres, brevi remiserunt, tumor vero nucis avellanæ magnitudine enatus est, quem per duodecim fere annos, in eodem ferme statu sine majori incommodo gestavit.

Anno præterito novas contusiones ex improviso perpessa & mensium simul fluxu cessante, tumor ille in dies fuit auctus tantamque adeptus est magnitudinem, quantam figuræ æneæ & sequens descriptio exhibent.

Sedem maxima ex parte quidem tumor habebat in osse bregmatis sinistro; sed suturæ sagittalis limites supergressus, occupabat quandam adhuc partem ossis bregmatis dextri, & anteriora versus, usque ad suturam coronalem porrigebatur. Tumor exterius erat, qui in chirurgia nomine *Sarcomatis* insignitur, & adeo extendebantur integumenta externa, ut peripheria tredecim, altitudo vero septem pollices æquaret. Totus tumor pilis erat obsitus, magnitudine capitis infantis recens nati haud minor visus, cum ablati capilli essent. His accurate perspectis probeque ponderatis, nunc de exstirpatione tumoris eram solicitus, utpote cum tumor non solum continuo incresceret, sed ægra etiam de cruciatibus capitis intolerabilibus conquereretur, qui dolores tum â pondere externo, tum â causis internis originem suam ducebant. Sectionem chirurgicam dissua-debant defectus virium & status cachecticus hujus miseræ. Nam licet mihi ignotum esset â dissectis ramificationibus arteriarum, integumenta verticicis percurentium, quatenus in statu naturali existunt, hæmorrhagiam subsequentem adeo metuendam non esse, nihilo tamen secius pulsus, quem manus tumori admota, utut obscurum sentiebat, sectionem suspectam ob metum futuræ hæmorrhagiæ & hinc necessario subsequendæ maximæ pro-

 stratio-

ſtrationis virium, reddebat. Præterea facile prævidi ſubeſſe cariem, eamque abſconditam altiores egiſſe radices, quam ut ferro tuto ſatis exſtirpari poſſet; hinc mediante ligatura tumorem aufferre tentare malui. Filo igitur ſerico (vid. Fig. 2. Tab. VII. bb.) verſus radicem Chirurgus me jubente conſtringebat tumorem, quæ conſtrictio quotidie augebatur, prout dolores permittebant, & in tumore obſervabantur maculæ quatuor, & loca materia quaſi ſebacea repleta, per quæ mox poſt ligaturam liquor purulentus effluebat, & hinc totidem ulcera in parte poſteriore enaſcebantur (vid. Fig. 2. Tab. VII. aaaa.) ſpecillo detegebantur ſinus per tumorem ſerpentes, & poſt quatuordecim dies, baſis, quæ uti ſupra dixi tredecim erat pollicum in peripheria, per ligaturam ad unum pollicem redigebatur; qua cultro prorſus reſecta, tumor â cranio plenarie ſeparabatur: Hic tumor reſectus quatuor libras & ſex uncias ponderabat, qui ante ſectionem ſine dubio ponderoſior fuit, quia antea ichor & materia purulenta ſumme graveolentis fœtoris maxima in copia effluxerat, ſicque magna ponderis pars tumori detracti erat. Ablato externo tumore, magna feſtucarum oſſearum copia, per ſubjectam cranii partem diſperſarum, in conſpectum veniebat, quæ ſuſpicionem cariei inſignis, parum adhuc detectæ, movebant, inſperſo vero pulvere ariſtolochiæ & aliis remediis adæquatis, caries ipſius cranii plenius in oculos incurrebat. Circa cariem hanc oſſea, quaſi corona quædam (Fig. 3. Tab. VII. a. a. a. a.) variis eminentiis, criſtæ galli inſtar, (vid. ibid. lit. b. b. b. b.) ornata deprehendebatur. Credebam ab initio cariem tantum occupare laminam exteriorem cranii, ſed ſpes me fefellit, diſceſſerunt enim etiam partes carioſæ â lamina

vitrea,

vitrea, ita, ut ſinus quidam tanquam tot ulcera diſtincta, detegerentur, qui ad cavitatem cranii internam ferrent. Inter hos ſinus præcipue anterior, quem noſtra figura Tab. VII. lit. f. exhibet, pulſum ramificationum arteriarum in dura meninge contemplari egregio ſpectaculo permiſit. Interim remediis internis nihil aliud tentare poteram, quam ut emulſionibus analepticis & nutrientibus potionibus vires quodammodo reficerem, doloresque papaverinis & aliis leniſſimis anodynis mitigare tentarem, admixtis inſuper aut interpoſitis antiſpaſmodicis, caſtorinis, ſuccinatis & aliis. Licet igitur exfoliatio ex parte ſatis feliciter ſuccederet, ſinus tamen ſupra deſcripti & inferius accuratius explicandi, deſcenſum materiæ purulentæ permittebant, atque corruptionem quandam non ſolum ſubſtantiæ cerebri corticalis, ſed etiam medullaris fatalem futuram eſſe, non uno argumento indicabant. Præterlapſis aliquot hebdomadibus ægra convulſionibus corripiebatur, quas per ſex horas in toto latere oppoſito, nempe dextro, perpeſſa, diem tandem obiit ſupremum, decimo nono Januarii, anni hujus 1735.

Die igitur ſubſequente, cum caput aperirem demortuæ, remotis externis ejusdem integumentis, caries cranii conſpiciebatur, quantam figura 3. Tab. VII. demonſtrat, quatuor pollices lata, quinque longa; circa marginem erat quaſi oſſis excreſcentis, aſt tamen maxime duri corona lit. a. a. a. a. notata, variis quidem eminentiis inſtar criſtæ galli vid. lit. b. b. b. b. ornata & aſpera, & in ſuperiore parte circa os frontis ſutura frontalis maximam partem erat obliterata. De ſutura ſagittali nullum quoque aderat veſtigium, excepta ejus

 exigua

exigua parte lit. d. indicata, ubi posterius connectitur cum sutura lambdoidea (vid. lit. ee.) id quod figura satis luculenter explicare poterit. At in media parte coronæ illius supra descriptæ irregularis figuræ tumor ossis cariosi (Fig. 3. lit. c.) apparebat, qualis in tota ferme parte vitiata laminam vitream jam occupaverat, & substantia erat fungosa, porosa, ad instar lapidis pumicis, inæqualis & aspera, insimulque coloris nigricantis, interstitia vero, ubi nimirum caries profundius paulo congressa erat, lividum & ex flavo viridescentem ostendebat colorem. Imprimis vero in anteriore parte foramen erat majus, vid. lit. f. Fig. 3. quadrangulare, digitum ferme admittens, ubi antea ramificationes pulsantes arteriarum observabantur; versus sinistram vero & exteriorem partem sub osse durior caverna quædam excurrebat semilunaris, lit. gg. indicata, quæ usque ad alterum in osse hiatum, qui jam sequitur, extendebatur. Nam in medio fere ossis cariosi loco & quodammodo sinistrorsum, foraminulum lit. h. notatum, reperiebatur, calamum scriptorium vix admittens, ast tamen duram matrem penetrans. Hæc omnia conspiciebantur cranio adhuc nondum remoto, quo vero eò melius perspici possent, horizontaliter, ut vulgo solet resecabatur cranium, ubi, licet serra jam penetraverat circumcirca ad duram matrem, attamen nec elevatorii vi tolli poterat cranium. Observatur quidem sæpe numero & præter modum duram matrem cranio adnatam in pluribus cadaveribus esse, sed hic metus erat cum cranio evellendi totum cerebrum, ast tandem, agitatione sæpius repetita, cranium feliciter remotum fuit. Ab omni parte duræ matris cariei subjectæ spicula animadvertebantur, quæ cuneorum in mo-

modum os cum dura matre connexum tenuerunt. Dura mater in reliqua capitis parte admodum sana, nec maculam, vel aliam læsionem videndam exhibebat; in loco vero sæpius jam nominato triplo crassior naturali & hæc magis tendinosa & firmior apparebat, adeoque cum pia matre & cerebro connexa erat, ut hæc separari ab invicem haud posset. Jam foramen minus, quod specillum exiguum admittere diximus, â latere processus falciformis ultra pollicem in cerebrum subjectum penetrabat. Præterea tertium erat in cranio carioso foramen (Fig. 3. Tab. VII. i.) & veluti sinus ad ambitum læsionis visus, specillum vix admittens sub quo interius maxima materiæ purulentæ copia accumulabatur, quæ cum etiam ad ventriculum tertium proserpserit, sensim sensimque notabilem cerebri & corticalem & medullarem partem destruxit & hinc convulsionem fatalium sine dubio causa extitit. Hæc materia purulenta, quæ cerebrum consumpserat fœtidissima erat, ex quibus circumstantiis descriptis facile apparet, quod omnis medela, vel etiam maxime industria adhibita, frustranea fuisset, utpote, cum potius mirum sit, quod misera illa tanto ægrotare temporis intervallo & superstes esse potuerit.

Figurarum explicatio.

Fig. 1. Tab. VII. Sistit tumoris faciem anteriorem, cujus situs & reliquæ circumstantiæ ex descriptione patent.

Fig. 2. Tab. VII. Exhibet tumoris faciem posteriorem.

aaaa. Maculæ & loca materia quasi sebacea repleta post ligaturam suppuratione in ulcera mutata.

 b. b. Fi-

b. b. Filum ſericum tumorem circa radicem conſtringens.

Fig. 3. Tab. VII. Cariei conſpectum in cranio demonſtrat.

aaaa. Corona circa cariem.

bbbb. Eminentiæ in corona hinc & inde conſpicuæ.

c. Caries in media parte conſpicua.

d. Suturæ ſagittalis portio.

e. e. Sutura lambdoidea.

f. Foramen majus.

g. g. Caverna ſemilunaris â ſinu majori ſiniſtrorſum ſe extendens.

h. Foramen minus.

i. Foramen tertium vix conſpicium.

(*Lipſia Altorfium transmiſſa d. 18. Mai. 1735.*

SCHOLIUM.

SImilem capitis tumorem, â carne fungoſa productum & cum carie cranii notabili conjunctum, Excellentiſſ. noſter *Heraclides II. Dn. D. Ioh.* SALTZMANNUS, jam olim annotavit & exacte deſcriptum communicavit *Volum. II. Actorum noſtrorum Obſerv.* 100. cum quo propterea hic præſens conferri meretur.

(*A. E. Büchnerus.*)

OBSER-

OBSERVATIO CI.

DN. GEORG. FRIDER. RICHTERI

De

Vera virium coporearum natura & varietate, disquisitio.

MUlta de *viribus*, earumque differentia & quantitate, à physicis & mathematicis disputantur, de quibus ut magis accurate judicari possit, res aliquanto altius, atque ex ipso fonte repetenda est. *Vim* propriissime vocare illud solent homines, quod in seipsis sentiunt, tum cum corpus aliquod movere conantur. Quicquid non alibi, quam in nobis ipsis sentire possumus, illud ad mentem, sive spiritum, sive animam nostram pertinet: Ut dolor, voluptas, ira. Cum corpus meum læditur: nihil quidem fit, quod idem non videre sæpius queam, in aliis corporibus mei similibus: Sed meum mihi vulnus dolet, aliud non item. Similiter, cum brachium meum moveo, vel lapidem attollo, non raro quidem alios videre possum, idem facientes: Sed eorum vim non ita ut meam persentisco. *Vis* igitur animi est. Anima corpus movet. Quod tamen nec fieri aliter, neque intelligi potest, nisi per legem naturæ, divinitus ita constitutam, uti has vires, ipso sensu satis cognitas certi corporum ac demensi motus, tanquam genuini earum effectus, sequantur.

2. Jam qui brutis animalibus veras animas attribuunt, quod, recte faciant an minus. disputare in praesenti nolo, mirum certe non est, si veras iisdem vires una concedant. Sed multo latius vocabuli hujus significatum consuetudo extendit. *Vis* enim dicitur quaevis causa motus, hoc est, quaelibet rei dispositio quae certum motum, per legem naturae, sive ordinationem divinam, efficienter praecedit, item, quaevis causa & rei dispositio, quae certum motum pari ratione impedit. Itaque etiam res inanimatae vires habere censentur: Sed vires, quae â nostris viribus haud parvo sunt discrimine separatae.

3. Postremo, cum variae ac perpetuae in mundo fiant mutationes, quarum aliae alias, secundum certum ordinem, in legibus naturae & dispositione rerum fundatum, tanquam causae, praegrediuntur, aliae, tanquam effectus, sequuntur, quod sine viribus, facultatibus, actionibus, non videtur concipiendum, factum est, ut his vocabulis sensus quidam longe amplissimus subjiceretur, ad hunc modum: *Actio* est mutatio, quae, ordini naturae convenienter, aliam mutationem producit, *Passio* est mutatio, quae producitur; *Effectus* est mutatio jam producta. *Vis* est dispositio rei, ad agendum vel patiendum necessaria: quae proinde distribui solet in activam & passivam. Dispositio, quae sola non sufficit, vel non satis determinata est, ad effectum producendum, vocatur facultas vel patientia *remota*. Eadem, si rei â natura semper inest, dicitur vis vel facultas *innata*.

4. *Vis*, de qua supra dixi, quae ad motum localem tendit, appellatur *vis motrix*: ad quam, quod nihil in cor-

corporibus fit absque motu, omnes reliquæ rerum corporearum vires ac facultates, quarum ingens eſt varietas quodammodo ſunt referendæ. Etſi enim non omnes effectus naturales in ſolis motibus conſiſtant, omnes tamen motum aliquem adjunctum habent: ſine quo ut nunquam producantur, ſupremus naturæ autor æterna lege ſanxit. Ipſæ illæ mutationes, quæ in mentibus noſtris fiunt, quas haud ſcio an minus commode *motuum ſpiritualium* vocabulo nonnulli vocant, ſemper quidem certe cum motibus vere corporeis in hac vita ſunt connexæ. Nam neque videmus, neque audimus, nec quicquam denique cogitamus, ſine corporis noſtri, vel partium ejus, definito quodam motu. Quanquam perperam ſane faciunt, qui hunc motum, vel cum ipſis perceptionibus ac cogitationibus noſtris, vel cum qualitatibus rerum, confundere conantur. Sed his nunc prætermiſſis, cum motus corporum tam late pateat, ut ejus cognitio magna Philoſophiæ pars ſit, nec ceteræ rerum vires ſine viribus motricibus exiſtant, pergamus ad naturam & originem iſtarum virium in ipſis potiſſimum corporibus inveſtigandam.

5. Corpora mota movent: Id eſt, motus corporis cujusque motum corporis alterius efficere, impedire, vel mutare valet. *Motus* igitur eſt diſpoſitio vel conſtitutio corporum, per quam agunt. *Motus* æque eſt cauſa & effectus motuum. Sed nec conſtans illa vis eſt, nec perpetuo corporibus inhæret, nec concipi ſine certis naturæ legibus poteſt. Per has leges demum, hoc eſt, per ordinationem ſolo nutu ſuo cuncta dirigentis Dei, motus id habet, ut vis ſit, ad alios motus & effectus producendos apta: vehementerque falluntur, qui

ipſum etiam motum per ſeſe, ſine iſtis legibus, motum generare, vel ex aliis corporibus in alia neſcio quomodo transmigrare, variosque edere effectus poſſe, autumant.

6. Dici non poteſt, quam longe juniores Phyſici ſuperarint veteres, poſtquam ad laudatas *motuum leges* animum advertere cœperunt. Earum, quantum ad mutuos corporum impulſus attinet, hanc fere ſummam conſtitui poſſe arbitror: *Ut corpora, in ſtatu ſuo, ſive quietis, ſive motus æquabilis, tamdiu perſeverantia, quamdiu cauſa mutationis nulla eſt, ſi ita inter ſe directe concurrunt, vel certe concurrere videntur, ut pari quovis tempore ſpatium ſolidum* (ſenſu mathematico accipiendum) *deſcribant, conſumtis per actiones mutuas viribus ac motibus ſuis, poſt concurſum videantur quieſcere.* Hinc ſequitur, ut duo corpora, in communi centro gravitatis, atque adeo iis celeritatibus, quæ maſſis propriis inverſa proportione reſpondent, directe concurrentia, poſt conflictum progredi in neutram partem poſſint: Item, ut poſt incurſum corporis moti in aliud quieſcens, ab utroque corpore tantundem ſpatii ſolidi conjunctim percurratur, quantum antea, pari tempore, percurrebatur ab uno; Item, ut duo corpora, quibusvis velocitatibus, in quovis puncto directe concurrentia, poſt conflictum, deleto motu relativo, ea directione & celeritate una progredi debeant, qua centrum gravitatis etiam ante congreſſum promovebatur: Item, ut nec poſt obliquos occurſus, celeritas & directio centri gravitatis mutari queat: Item, ut vis corporum concurrentium, & actio, & quantitas motus, cum abſoluti tum relativi, ex magnitudine maſſarum & celeritatum conjunctim rite æſtimanda ſit.

7. Me-

7. Memoria hæc tenent noſtræ ætatis Phyſici ac Geometræ, qui & facile intelligunt, me hactenus de corporibus loqui elaſtica virtute deſtitutis, vel certe ſine ea ſimpliciſſime conſideratis. Sed aliud præterea inde colligo, quod haud ſcio an minus adhuc fuerit animadverſum, ſcilicet, in comparandis valoribus maſſarum, non reſpiciendum eſſe ad ſola ſpatia, quæ corporum quieſcentium materia propria implet, ſed ad ſpatia ſolida, quæ, pari quovis tempore, â corporibus, motu æquabili deſcribuntur. Hinc enim fit, ut corpora concurrentia, quorum velocitates relativæ (quibus ad ſe mutuo accedunt) ſemper ſunt æquales, quantumvis eæ differant, quas pro abſolutis numerat ſpectator quisque, ſi in centro gravitatis videntur congredi, etiam maſſas afferre, penitus ſibi invicem æquiparandas, ideoque pari pugnare vi, cenſenda ſint. Hinc & illud conſequitur quod princeps reperit *Leibnitius*, confirmarunt *Bernoulli*, *Wolffius*, *Hermannus*, *Graveſandius*, *Polenus*, *Muſchenbrœckius*, vires corporum motorum non ſimplicibus celeritatibus, ſed earum quadratis proportione reſpondere. Nam corpus $\underline{B}$ dimidio minus quam $\underline{A}$, ſed altero tanto celerius, ob eamque rem, æquali tempore ſpatium æquale ſolidum deſcribens, nihilo minorem maſſam, hinc, propter duplam celeritatem, duplam habere vim exiſtimandum eſt: Nempe, quia cum velocitate etiam valor maſſæ paria ſumit incrementa. Itaque corpus quodvis, alteri æquale, & duplam habens velocitatem, vim habebit quadruplam. Et vis abſoluta corporis, cujus maſſa $\underline{A}$ velocitas abſoluta $\underline{V}$, ad vim corporis cujus maſſa $\underline{a}$ velocitas $\underline{v}$, comparata eſt ut $\underline{AV^2}$ ad $\underline{av^2}$

 8. Idem

8. Idem nuper ſingulari diſſertatione, in Actis Erud. 1729. ex eo demonſtravi, quod niſi vires æſtimarentur juxta quadrata celeritatum, ſumma virium poſt conflictum reliquarum, una cum ſumma virium, â corporibus non elaſticis per conflictum abſumtarum, non ſemper æqualis eſſet veræ ſuæ cauſæ, hoc eſt, ſumma virium, quas corpora ante conflictum habuerunt: Item, ex eo, quod, quoties aliquid virium ac motus, poſt conflictum, in corporibus non elaſticis reſtat, id eſt, quoties extra centrum gravitatis fit concurſus, ſemper majores eſſe debent vires abſolutæ quam tum, cum (ſumma celeritatum nihil mutata) in ipſo concurritur gravitatis centro, motu omni pereunte. Ceterum, quod in extrema illa diſſertatione ſcripſi, vires corporum, quæ ſe invicem ſuſtinent ac conſumunt, non eſſe ſemper æquales, id de viribus, quæ tanquam abſolutæ ſpectantur, non vero de relativis intelligendum eſt. Omnino enim vis abſoluta corporis $\underline{A}$, ibi expoſiti, ad vim corporis $\underline{a}$, qui cum in centro gravitatis $\underline{c}$ concurrit, eſt ut $\underline{A} \times \underline{AC}^2$ ad $\underline{a} \times \underline{aC}^2$, atque etiam ſumma virium relativarum cum ſumma illarum virium abſolutarum prorſus convenit: Nihilo tamen ſecius vis relativa utriusque corporis, & (quæ inde dependet) actio mutua; vere eſt æqualis, exponenda per hanc formulam $\frac{1}{2}(\underline{A} \times \underline{AC}^2 + \underline{a} \times \underline{ac}^2) = \underline{A} \times \underline{AC} \times \frac{1}{2}\underline{Aa} = a \times \underline{ac} \times \frac{1}{2}\underline{Aa}$. Nam relativa celeritas corporis utriusque eſt, ut dimidia linea $\underline{Aa}$, hoc eſt, ut dimidia ſumma celeritatum, quæ velut propriæ & abſolutæ conſiderantur: Et valor utriusque maſſæ, $\underline{A} \times \underline{AC}$ & $\underline{a} \times \underline{ac}$ eſt æqualis, ut antea memoravi.

9. Hactenus de illa vi corporum, quæ oritur â quantitate motus, neque alia re ab hac differt, quam no-

mine

mine & certo quodam aſpectu; ita, ut ejusmodi vis, æque ac quantitas motus, in uno & eodem corpore, prout ad corpora diverſa, diverſis celeritatibus & directionibus mota, refertur, ſimul & ſatis magna, & parva, & nulla eſſe poſſit. Nunc de reliquis corporum *viribus motricibus*, quæ paſſim â doctiſſimis Phyſicis celebrantur, videamus. Huc pertinent vis reſiſtentiæ, vis inertiæ, vis attractionis, & repulſus, vis gravitatis, vis cohæſionis, vis elaſtica, vis premens, ſollicitans, & mortua. Hæ omnes enim eo tendere videntur, ut motum vel producant, vel mutent, vel impediant.

10. *Vis reſiſtendi* in eo poſita eſt, quod corpus etiam quieſcens, vel certe tanquam quieſcens & patiens conſideratum, vim irruentis debilitat, ſtatum certa ratione mutat. Non enim quod noſtro & quarundam rerum adſpectu quieſcit corpus, idem etiam, ad corpus incurrens relatum, quieſcit ac torpet, ſed vere potius movetur, &, per leges motus, vim habet relativa celeritate æſtimandam. Sunt enim ſemper vires relativæ duorum corporum concurrentium tantæ, quantæ forent eæ, quas pro abſolutis numeraremus, ſi ipſi, pari directione & celeritate cum corporum communi centro gravitatis, inſcii promoveremur; hoc eſt, ſi, non mutata celeritatum ſumma, (vel differentia ubi directiones ſunt eædem,) in ipſo centro gravitatis fieret concurſus. Itaque *Vis reſiſtendi* non alia eſt quam ea, de qua ſupra expoſui. Aſpectus tamen alius eſt. Nam una eademque vis, vi cuivis oppoſita, cum corpus ut patiens aſpicitur *vis reſiſtentiæ*, cum vero ut agens, & motu ſuo relativo in aliud incurrens, *vis impulſus* & *impetus* appellanda eſt.

NEWTONUS, in Philoſ. nat. princ. math. defin. III. *Vulgus*, inquit, *reſiſtentiam quieſcentibus & impetum moventibus tribuit: Sed motus & quies, uti vulgo concipiuntur, reſpectu ſolo diſtinguuntur ab invicem: neque ſemper vere quieſcuut, quæ vulgo tanquam quieſcentia ſpectantur.*

II. *Vim inertiæ* nullam pono. Neque enim Kepplero aſſentiri poſſum, qui primus eam commentus eſt, ratus, in natura materiæ neſcio quam *veram* ineſſe ſeu ἀδυναμίαν ſeu δύναμιν *qua motui renitatur & ad quietem tendit.* (Epit. Aſtron. Copern. lib. I. & IV.) Neque illud me movet, quod argumenti loco affertur, corpora majoris molis minus quam minora obſequi, magisque reſiſtere impellentium motibus. Non enim ab inertia, torpore, & quietis appetitu hæc reſiſtentia eſt; ſed â vero motu relativo, ut paulo ante declaravi. Ipſe tamen vir ſummus, Newtonus, *inſitam eſſe materiæ vim ac potentiam reſiſtendi*, ſtatuit, *corpori ſemper proportionalem, ac nomine ſignificantiſſimo* vim inertiæ *dicendam*; per quam fieri putat, ut corpus quodvis, de ſtatu ſuo vel quietis vel motus, difficulter (id eſt, non ſine ſufficiente cauſa) deturbetur, At vis reſiſtendi neque iners eſt, neque ita corpori inſita, ut â ſola hujus magnitudine proportio ejus dependeat; nam idem corpus vi oppoſitæ majori magis reſiſtit, minori minus: nec vis in rebus requiritur, ut in ſtatu ſuo perſeverent, ſed ut mutare ſtatum queant. Itaque diſcedere aliquantum in hoc capite â tanto autore fas ſit: quanquam is de cetero, cum *vires inſitas viribus impreſſis* opponit, per illas nihil aliud, quam diſpoſitiones corporum ad agendum vel patiendum, unde illæ cunque ortæ fuerint; per has vero

ipſas

ipſas actiones & paſſiones, hoc eſt, mutationes motuum naſcentes intelligere videtur. Quo pacto una eadem vis, (exempli cauſa, motus corporis antea quieſcentis,) tum cum ab actione corporis alius incurrentis producitur, tamquam *vis impreſſa*, deinceps vero, & quamdiu â nulla re deſtruitur, tanquam *vis inſita*, conſideranda eſt. Quodſi vires corporum, ex maſſis & celeritatibus conjunctim æſtimandas, cogitatione dividere & ſeparare placet, concedo ſane, cum maſſis, tum celeritatibus, diſpoſitionem ad agendum, id eſt, vim aliquam, tribuendam eſſe: Concedo etiam, *vim maſſæ*, tanquam conſtantem, corporique inſitam, & proportioni ejus reſpondentem, concipi poſſe. Sed *vim remotam* dico & *incompletam*, extra motum nihil valentem, in motu vero neutiquam inertem, ob eamque rem vocabulo *vis inertiæ* nullo pacto denominandam. Poſtremo etiam hoc moneo, vim inertiæ Newtenianam â Keppleriana oppido diſtare. Per illam enim fit, ut corpus in motu ſuo perſeveret; per hanc, ut ſponte ad quietem tendat: Hæc â *vi reſiſtendi* vere differt; illa non item.

12. Propter *reſiſtentiam* corpora ſunt *impenetrabilia*, Hanc proprietatem nonnulli etiam *ſoliditatem* vocant, & partim cum duritie, partim cum eo identidem confundunt, quod, tanquam primum in univerſis corporibus, tangendi ſenſu percipitur.

13. *Vires attractionum*, antiquis per quam familiares, â Carteſianis verò magna vi impugnatas & in exilium ejectas, cum honore nuper ſchola Newtoniana reſtituit. Ridiculus profecto eſſet, qui corporibus per ſeſe competere exiſtimaret vires, quibus alia ad ſe trahere, ſine omni

etiam

etiam nexu, possent: sed vereor, ut illi multo magis sapiant, qui corpora, in motu constituta, per se vim habere censent, ad motum aliis communicandum. Per leges naturæ non modo *impulsui*, sed etiam *attractioni*; sine illis neutri rei locus esse potest. Quodsi universas motuum varietates, quos quotidie videmus, ex solis legibus impulsuum intelligere atque explicare liceret, nequicquam sane attractiones ab impulsibus diversas, & magneticas virtutes, comminisceremur. Nunc, quamvis multi effectus â materiæ subtilis & cœcorum corpusculorum impulsibus oriri queant, quam parum tamen ista sufficere videantur, exemplis ê cœlo & terra desumptis, doctissimi Newtoniani docuerunt. Igitur, quod ipse NEWTONUS subdiffidenter, & saltem ut hypothesin mathematicam assumsit, ego, cum plerisque summi viri amicis, aut omnino verum, aut veri certe simillimum puto, corpora mundi cum majora, tum minora, se invicem reapse, & sine omni impulsu externo, attrahere. Est autem hæc vis, sive dispositio corporum ad attrahendum, partim in massarum, partim in distantiarum quantitate posita; legumque summam huc redire arbitror, *ut corpora*, si vires aliæ non obsint *ad se mutuo accedant*, *motibusque*, *pro diminutione intervalli continuo auctis*, *in centro gravitatis congrediantur*.

14. Quemadmodum autem hæ vires non æqualiter per omnia corporum genera videntur distributæ, & in nonnullis forte simplicem, in plerisque duplicatam, eamque semper inversam distantiarum rationem habent; ita in quibusdam vires plane contrarias suspicari licet, quibus se mutuo non attrahunt, sed fugant. Dicuntur *vires repulsus* quales aëri potissimum tribuunt Newtoniani,

ni naturam hujus elementi elaſticam non aliunde commodius explicari poſſe arbitrantes. Ego, ut levitatem nihil aliud quam minorem gravitatem, â majori ſuperatam, ita repulſum plerumque nihil aliud quam attractionem minorem cenſeo, â majori victam. Sæpe tamen etiam corpora â ſe invicem recedere conantur, propter motum circularem. Hinc vires exiſtunt quas centrifugas & centripetas, generatim vero *centrales* appellare ſolemus. Scilicet cum corpus circa centrum aliquod circumfertur, vis, qua corpus illud, perpetuo mutata directione, verſus centrum urgeri debet, quæcunque ea ſit; ſive externa ſive interna, ſive impulſus ſive attractio, vocatur *vis centripeta*; vis autem, ſecundum lineam rectam: quæ circulum tangit, non mutata directione progrediendi, quatenus ea vi centripetæ contraria eſt, *vis* dicitur *centrifuga.* Quarum virium rationes egregie perſecuti ſunt HUGENIUS & NEWTONUS.

15. *Gravitas* proprie eſt vis, per quam corpora terreſtria ad ipſam tellurem, & ejus centrum feruntur. Interdum hæc vis æque late quam *attractio* ſumitur, ita ut corpora quæque, ab aliis attracta gravitatem verſus illa habere dicantur. Quo pacto non ſolum partes ſingulorum planetarum verſus eorum centra, ſed & ipſos planetas verſus ſe invicem, & ferrum verſus magnetem, & alia corpora verſus alia, gravitate quadam urgeri, aſſerendum eſt. Qui *gravitatis* cauſam externam impellentem quærunt, eam non alibi reperire poſſunt, quam in materia ſubtiliſſima, cuncta replente & pervadente, atque in magnis vorticibus, circa terram, planetasque cum ſingulos, tum univerſos, circumacta. Et hujus-

modi quidem vorticum materia, ut secum vehere planetas possit, certam habere debet directionem & velocitatem. Quod cum non sufficiat ad phænomena gravitatis explicanda, nec difficultate careat sententia HUGENII, qui motum jam commemmoratum turbans, vel potius omnino tollens, materiam verticalem in circulis concentricis ineffabili celeritate, directionibusque inter se contrariis & infinite variis, versus omnes plagas moveri, contendebat; nihil aliud restare arbitror, quam ut dicatur, particulis istius materiæ duplicem competere motum; alterum gyrationis, ad circumagendas planetas; alterum velocissimi tremoris, ad *gravitatem* efficiendam: Solus enim tremor ad hoc non minus valet, quam HUGENII motus confusus. De cetero, qui etiam *attractiones magneticas* vorticibus adscribunt materiæ magneticæ, quæ corpora de hoc genere circumfluat ac penetret, ii nunquam satis ad phænomena & effecta istarum attractionum rite ponderanda, & cum viribus causarum ponderanda, animum videntur advertisse.

16. Ex attractione nascitur *cohæsio*, qua fit, ut ad corpora quædam ab aliorum contactu removenda, majori vi opus sit, quam qua moveri eadem, sine tali contactu, possunt. Qui vim & causam externam *cohæsionis* requirunt, iis denuo confugiendum est ad materiam subtilem, latissime patentem, quæ ex locis contactuum exclusa, de cetero corpora undique ambiens, & partim quoque penetrans, ea sine fine premit ac pulsat.

17. *Vis elastica* quorundam fluidorum per quam, si nihil obstat, continuo rarefiunt atque expanduntur, particulis eorum magis magisque â se invicem

cem diſcedentibus, vel â *vi centrifuga* infinitorum minutiſſimorum vorticum, quibus illa fluida conſtare judicanda ſunt, vel ab interlabentis *materiæ ſubtilioris agitatione*, vel denique â *vi repulſus*, ſupra memorati, deducenda eſt; ſolidorum vero elaſticam virtutem, qua partes eorum, ex ſitu ſuo vi qualibet dimotæ, nec tamen ſeparatæ, ceſſante illa vi, mox pari vi contraria in ſitum priſtinum reſtituuntur, aut *attractionibus* adſcribere licet, aut *materiæ ſubtili circumfluæ*, quæ, ut aër embolum, ex ſiphone clauſo vi extractum, ita particulas corporum elaſticorum, in ſua loca, in quæ neque ipſa, neque particulæ proximæ, ſuccedere poſſunt, non intermiſſis ictibus repellit.

18. Si corpus viribus quibusvis aſſidue repetitis, exempli cauſa, â perpetuo incurſu materiæ alicujus ſubtilis, ſecundum certam directionem, propellitur, motum ejus (dum nihil obſit) creſcere atque accelerari oportet: quo reſpectu illæ vires *acceleratrices* vocantur, quas alioquin etiam, præſertim ſi ſinguli earum ictus ſint infinite parvi *ſollicitationes* dicere ſolemus. Huiusmodi viribus cum corpus aliquod impellitur quidem, ſed re ipſa in motum ſenſibilem cieri ac propelli, propter impedimentum quodlibet, non poteſt, tum *niſus* illi corpori, ac *conatus* ad motum, tribuitur, itemque *preſſus* contra obſtaculum, & *vis* quædam *mortua*, vel potius impedita coërcita & repreſſa. Quodſi corpora, quæ ſe mutuo premunt, ſunr elaſtica, & ictus virium ſolicitantium, quibus compreſſio efficitur, quantumvis frequenter minutiſſimis tamen morulis diſtincti, *oſcillationem* aliquam, ſeu *motum tremulum* oriri neceſſe eſt, inſenſibilem fortaſſis, ſed in pleriſque corporibus & corporum particulis, per-

petuo fere obvium. Qui, quo magis, propter diversam particularum densitatem, gravitatem ac magnitudinem, diversus ac dissonus est, hoc magis *cohæsionem* impedit. Non enim cohærere possunt, quæ motu cientur diverso.

19. Ab hac intestina particularum corporearum agitatione, itemque ab earum attractione & repulsu, multi alii motus mixti, & effectus naturales, iis potissimum noti, qui Chemiam tractant, producuntur.

20. Dixi de variis motuum viriumque generibus. Reliquum esse videtur, ut etiam de illis viribus innatis mentionem faciam, quas, tanquam *formas vere substantiales*, *entelechias*, & *animas*, omnibus rebus, elementis, ac monadibus, tribuunt Leibnitiani. Sed hi meæ tarditati atque ingenuitati veniam dabunt, quando iterum profiteri cogor, pleraque in *monadologia* & *dynamice* eorum captum meum superare. De cœtero si quis, *Cartesianas* de *causis occasionalibus* loquendi formulas minus probans, efficacissimas illas motuum leges, de quibus iterum ac sæpius dictum est; tanquam divinæ voluntatis effectus sensibiles, ad ipsam corporum naturam quodammodo pertinentes, considerat, eoque sensu *formas substantiales entelechias*, vel etiam (cum CUDWORTHO) *naturas plasticas*, corporibus tribuendas censet; itemque si ita statuit, corpora quæque, non per se, sed propter perpetuam eorum cum ceteris corporibus connexionem, perpetuum aliquem habere nisum ad motus & mutationes, quæ ad mutationes universi sint accommodatæ; vix aut ne vix quidem habeo, quod contradicam. Quanquam nec dubito, quin Carte-

tesiani quoque sententiam commode interpretari suam possint.

(*Lipsia Altorfium transmissa d.* 28. *Maj.* 1735.)

OBSERVATIO CII.

DN. D. JOH. SEBAST. ALBRECHTI.

De

Funesta metastasi humorum cachectico-scorbuticorum ex cruribus œdematosis ad pectus, aut ad hepar.

QUemadmodum experientia, fida rerum magistra, teste, metastases humorum vitiosorum ab interioribus visceribus vitalibus ad externas corporis partes gravissimos sæpe morbos tollunt, vel saltem mitiores reddunt, ut jam suo tempore diligentissimus observator HIPPOCRATES in peripnevmonicis notavit, * abscessus ad crura omnes utiles esse; multique recentiorum medicorum inprimis vero Celeberr. *Frid.* HOFFMANNUS * * pluribus demonstrarunt & observationibus corroborarunt, sicuti etiam plures in his ipsis Ephemeridibus reperire licet: Ita contra, si ab externis partibus humores vitiosi ad nobiliora viscera retrovertantur, tanto

* *Prænotion.* §. *XIIX. p.* 463 *edit. Linden.*

** *In dissert. de Transmutatione morborum & diss. de Metastasi, s. sede morborum mutata.*

magis periculosi fiunt, & interdum acuti morbi, quo majori impetu id ipsum fit, quemadmodum vel scabiei retrogressæ vel potius retropulsæ, aliorumque exanthematum seroso-lymphaticorum cum & sine febri, retrocedentium, tristia abunde docentexempla. * Quod item etiam valere de tumoribus, tristis confirmabit exitus ex hac vita Viri in optima ætate constituti, causarum patroni, temperamenti aliàs in juventute sangvineo cholerici, quod vero successu temporis abiit in magis pituitosum, & inde infarctibus hepatis crebrius obnoxii, unde facile fuit, ut tandem per itinera, lucubrationes, accedentibus, ut in hoc vitæ genere plerumque fieri solet, crebrioribus animi motibus, interdum etiam in seram noctem productis compotationibus, plane *Cachexiam* contraxerit *scorbuticam*, cum difficili respiratione, oedemate pedum, cum tumore ejusdem commatis sub mento & in collo ita alternante, ut cum crura detumescerent, ille tumor circa collum intumesceret & contra. Scorbuti signa manifesta partim purpurea efflorescentia per totam cutem, sine febri & cum faciliori eo tempore respiratione, partim ipsa ulcera pedum scabiosa chronica exhibebant: Quodsi vero totius corporis, mediocris cæteroquin staturæ habitum coloremque externum consideraverim, ictero nigro erat proximus. Interim tamen proxime præterlapsa æstate Anni 1733. adhibitis medicamentis aperientibus, incidentibus, antiscorbuticis, interpositis rite laxantibus cum epicrasi & abstergentibus salinis, in tantum convaluit, ut rebus suis iterum præesse potuerit cum faciliori respira-

Conf. *Coschvvitz*, diff. de *exanthematum in morbis acutis retrocedentium noxis* It. Ejusd diff. *de exanthematum seroso lymphaticorum retrocedentium noxis.* Nec non *Fickii* Differt. *de retropulsa scabie*, aliique.

respiratione; oedema & tumor vero sub mento evanuerint, sola scabie, mitiori tamen, superstite, uti supra dictum, in pedibus. Hæmorrhoidum vero nulla aderant molimina, studiosius licet ad illas attenderim animum.

Ast quemadmodum fit in chronica jam viscerum sub hypochondriis sitorum hepatis inprimis labe (nam de dolore tensivo in hypochondrio dextro sæpissime conquestus erat) commissis prioribus erroribus, brumali adjuvante tempestate, per utrosque & Novembris & Decembris menses humida atque frigida, oedema rediit asthmate comitatum, sic satis tamen tolerabili: Sed cum hac eadem tempestate iter esset suscipiendum, ubi justi tenax vehementius ira commotus, jejunus maximam diei ejusdem absolveret partem, liberiori expositus in equo aëri pluvio & frigido, * adeo viribus fractis domum rediis, ut vix sufficerent descendenti ex equo. Anxia & adeo brevis erat respiratio, ut scalas quam difficilime & maximo cum labore ascendere potuerit, nox proxima inquieta, & æger non nisi erecto situ nec tamen sic sine maxima difficultate & sine virium restauratione dormire potuerit. Abdomen flatibus intumuit, urina excernebatur paucissima, turbida, pedes tamen magis detumebant, exsiccatis simul planè eorundem ulceribus. Adhibitis dein non solum

* Hanc aëris constitutionem cachecticis, asthmaticis, & qui oedema in pedibus habent, venenum esse, pronunciat Illustr. *Frid.* HOFFMANNUS in *Medicina rationali systematica Tom. II. part.* 3. *Cap. VII. in Schol. ad.* §. 33. Quæ in hoc subjecto tanto periculosior fuit, quanto magis omnia illa symptomata non solum conjuncta erant, sed etiam vehementiores animi motus accesserunt, quibus humores vitiosi in motum concitati, in vascula extrema impervia adacti, spasticis vero motibus retroacti viscera vitalia occuparunt.

ſolum clyſteribus carminativis, aliisque externis deorſum revellentibus, v. g. frictionibus, aſſerculis calefactis, plantis pedum ſuppoſitis, ſed etiam internis blande ſubducentibus alvum, interpoſitis tonicis, mitiora quidem poſt triduum apparebant ſymptomata, & noctu per 6. horas continuas cum ſenſibili virium augmento dormire, & urinam majori copia mittere poterat æger, ut nunc de ſalute recuperanda proxime firmam conceperit ſpem. Aſt ſubſequente nocte, ſine evidenti cauſa externa, humores novo impetu ἀθρόως καὶ βιαίως ad pectus revertebantur, ubi difficillimam reſpirationem & anxietatem præcordialem nunc comitabantur vomitus crebriores mucoſo-pituitoſo bilioſi, ſudores frigidi, pulſus inæqualis, ſive utrumque carpum, ſive ipſum rythmum ſpectes, frequens, palpitatorius, ipſiusque cordis anxia palpitatio, denique, ceſſante vomitu, tuſſis crebrior cum excretione materiæ aliàs pituitoſo-ſeroſæ, nunc viſcidæ pituitoſo-ſangvineæ, neque tamen nimis largæ, quam ex hepatis potius conſenſu, quam pulmonali labe deduxerim * & tandem paralytodes dextri lateris atonia. Repetitis priorieum ſucceſſu adhibitis revellentibus, ſubjungebantur non ſolum

* Namque hepatis ſanguinem per medios pulmonum educi, ejusque ſignum eſſe, ſi dolor in hypochondrio dextro adſit, & ipſe HIPPOCRATES affirmat in *coac. prænot. tum Sect. II. v.* 322. his verbis: *Quicunque ſanguinem ſpumoſum ſpuunt dextrum hypochondrium dolentes, de hepate ſpuunt, & multi pereunt, tum iisdem verbis repetit Sect. III v. 6. Qui ſanguinem ſpumoſum ſpuunt, hypochondrium dextrum dolentes, de hepate ſpuunt & moriuntur*: Et doctiſſimus ejusdem Commentator *Proſper MARTIANUS ad Sect. V aphorism.* 12. ubi totius rei reddit rationem. Tandem etiam poſt mortem tumor atro-lividus in regione hepatis rem magis manifeſtavit.

ſolum pediluvia, ſed etiam in ſuris veſicatoria, maximi aliis in paſſionibus aſthmaticis tantum non omnibus, uſus, ** non neglectis inſuper, quantum fieri poterat, (namque pulveres averſabatur, ob vomitus timorem,) internis antiſpaſmodicis, diapnoicis, ipſa etiam Eſſentia dulci *** famigeratiſſimo aliàs pro roborandis actionibus vitalibus remedio; ſed conclamatum erat. Namque appropinquante veſpera convulſiones intercurrebant, & levia tranſitoria deliria, quoties virium debilitas vel tantum ſomni induxerat, adeo ut appropinquante prima vigilia æger, ultimo vale dicto uxori, reliquisque amicis adſtantibus, genibus, extra lectum conſtitutus, ſuppliciter flexis, devotiſſima & chriſtiano digna beneque compoſita meditatione hisque ſubnexis precibus, animam ſuam mandaverit Chriſto Salvatori ſuo, poſt tertiam vero vigiliam beatè, nondum quadragenarius, expiraret.

OBSERVATIO CIII.

DN. D. JOH. SEBAST. ALBRECHTI.

De

Anomala oris interioris circa uvulam conformatione.

Quemadmodum in conformandis partium tum internarum tum externarum figuris & magnitudine, æque ac in ſitu, varie aberrat natura â vero typo, ſic illud ipſum etiam facit circa numerum partium, ita ut

** *Ephemer A. N C. Cent I. & II. obſerv. CLXIV. p.* 333.

*** Vid. *Commerc. litt. Noric. phyſ. techn. m. d.* 1734. *hebdom. XXVIII. p.* 223.

modo in excessu, modo in defectu eandem peccantem deprehendas. Qui naturæ errores non solum hominem nasciturum jam deformem sæpe reddunt, sed etiam plurima impedimenta actionibus nato nunc obeundis, inferunt. Die III. a. Jd. Decembr. anni proximè præterlapsi 1733. sutoris cujusdam uxor, cui res angusta domi, detulit ad me filiolam ante duos menses natam tenellam & misellam, quippe macie, sive atrophia potius plane consumtam, ut in causam hujus mali inquirerem, quæ mox apparebat. De lactatione enim interrogata mater, querebatur, tenellam nolle sua matris ubera (primipara erat triginta circiter annorum, siccioris naturæ, parcioris victus, & hinc etiam lactis proventus, & difficilioris suctionis,) sugere, cum tamen aliarum muliercularum nutricum, uberiori lacte gaudentium, avide arripiat ubera & sugat, cochleari quoque propinata liquida & pulticulas sic satis commode assumere valeat, vagitum vero sibi non videri ut aliorum hujus ætatis infantum. Ex his relatis cum malam subesse in ore partium conformationem, non immerito suspicarer, illud inspexi & inveni in eo loco, qui uvula situi naturalis est, uvula deficiente hiatum sive aperturam oblongam penè ovalem, depressa ulterius lingua, in infima sui parte hiscentem & accuratiori instituto examine ex duabus uvulis, ex adverso sibi oppositis, apicibusque suis inter se contingentibus, eum in modum formatam, ut Figur. 6. Tab. VIII. exhibet. Nisi quis malit has extremitates cartilagines laryngis credere, cui non repugnabo.

Dimisi matrem cum sua misella dato prognostico, nullam artem suppeditare facultatem emendandi hujus naturæ erroris, & metuendum esse, ne ille, qui nunc

ubera

ubera aridiora ſugendi difficultatem creaſſet, tum ev-chymorum in majori copiâ & ordine â matre aſſumendorum ciborum, tum lactis aliorumque liquidorum cochleari porrigendorum ope emendabilis, ad reſarciendum ſufficiens nutrimentum & atrophiam tollendam, futuris annis magno cum damno loquelæ officiat, omni arte vix ac ne vix quidem tollendo. Memineram equidem *D. D. Wilh. Andr.* KELLNERI * obſervationis de alterutra uvula manu chirurgī quidem detruncata, aſt ſine levamine deturpatæ loquelæ, quod propter hiatum in loco naturali uvulæ noſtræ miſellæ eo minus ſperare quoque licet. Extat quoque D. D. *Ioh. Iac.* WAGNERI, ** Tigurini, obſervatio de binis uvulis in puero obſervatis ſed neuter locum & ſitum determinavit.

OBSERVATIO CIV.

DN. D. IOH. SEBAST. ALBRECHTI.

De

Monſtroſo gemellorum abortu ſalutari.

REm paradoxam quidem multis, *abortum ſalutarem* fieri poſſe, videri, ait B. BOHNIUS, magni nominis quondam Lipſienſis Medicus, & quod magis mi-

* BUCHNERI *Miſcell. Phyſ. Med. Mathem.* 1728. *Menſ. Novemb. p.* 1451.

** *Decur. III. Ann. II. Obſ.* 154. *Ephemer. N. C.*

mirandum, esse interdum eundem, si necessitas urgeat, arte promovendum, quod pluribus docet exemplis & argumentis in diss. de *Abortu Salutari*, Lipsiæ 1707. publicè ventilata. Urget vero necessitas, si vel fœtum mortuum esse certi sumus, vel largior hæmorrhagia uteri ex ruptura vasorum & abscessu, seu separatione placentæ ab uteri substantia, quacunque ex causa, sive interna, sive externa, evenerit, inprimis si convulsiones cum torminibus abdominis gravioribus, anxietatibus præcordiorum vehementioribus, aut lipothymia, aut denique cum febri accesserint, quæ tamen omnia â vaga uteri periodica hæmorrhagia transitoria bene discernenda sunt. In priori enim casu & matris & fœtus vita periclitatur, nisi, omnibus circumstantiis bene pensitatis, abortus vel medicamentis, vel his non sufficientibus, etiam manu adjutrice adjuvetur, quod in transitorio cruento fluxu & periculosum & nefas foret agere.

Referenda ergo utique ad salutares abortus sunt monstra deformia, non uno nomine, quæ ante legitimum partus terminum â natura ipsa, illa quasi abhorrente, ejiciuntur. Quoniam vero eorundem non sunt evidentia signa Medicis, utique naturæ soli relinquendus est ille actus salutaris. Quæ enim spes, quod solatium parentibus & generi humano inde proveniret, si vel ipsum consuetum partus terminum acquisivissent? Potius omnis labor, omnesque passiones reliquæ gravidæ, forent inanes, cum contra exturbato salutariter ejusmodi fœtu monstroso per naturæ conamina, & rite purgato utero, nova conceptio fieri & omne tempus, omnes denique labores possunt impertiri ad alendum fœtum alium secun-

cundum consuetas naturæ dimensiones partium, earundemque rite dispositam conformationem nasciturum. Quam rem declarabo exemplo quodam haud vulgari, sed propter plurimas circumstantias digno, quod communicetur cum erudito orbe.

Scriniarii cujusdam uxor triginta aliquot annorum, admodum vegeta, temperamenti sanguineo - melancholici, nonnullorum jam liberorum, sine labe natorum, felix mater, postquam ante menses octo catamenia jam fluere cessassent, id quod Mens. April. 1733. circa festum Paschatos, sine ullo alio incommodo factum est, quam quod Mens. Jun. circa festum Ioannis Bapt. appetitum senserit imminutum & ex parte, ut sæpius fieri solet, depravatum, de facta conceptione ulterius non dubitavit, uterum etiam sine incommodis notabilioribus gessit ad mensem usque Novemb. ejusdem anni. Die vero ejusdem mensis decimo quarto ira vehementer commota, postridie ejus diei, tempestate pluvia & frigida occupabatur in domicilio, adjutrice alià fœmina linteis lævigandis inter duplicem, prout apud nos moris est, tabulam ligneam, quarum superior mobilis lapidibus onusta imposita pluribus cylindris, ut ita lintea circumvoluta cylindris super inferiorem tabulam fixam huc illuc trahendo lævigentur, quod instrumentum nostrates vocant eine Mange, alii eine Rolle.

Circa vesperam ejusdem diei sentiebat tormina in abdomine dolorum partus æmula & mox iisdem adjuvantibus excernit per censuetas partus vias massam pugni virilis magnitudine, cum sanguinis profusione mediocri. Molam esse reputans abjicit illam, sed adstantium prudentiores mulieres rem dignam esse judicabant, quæ exa-

mini diligentiori ſubjiceretur, eumque in finem ad me mittunt, petentes ut adeſſem & ipſe inſpicerem. Annuo libenter votis, affertur maſſa â ſordibus iterum repurgata, cujus membranoſo-vaſculoſam ſubſtantiam, quia cavitatem ſubeſſe ſenſus docebant, cultello aperui, quo facto effluxit non ſolum liquor aquoſo-gelantinoſus tantiſper flaveſcens, ſed etiam aderat ſolidum aliquod corpus quod in aqua mundatum, fœtus erat 2½ digitor, longitudine, genubus verſus abdomen retractis & cum hoc concretis artubus, pedibus truncatis deformibus deorſum iterum declinatis, artubus ſuperioribus itidem deformibus & ita poſitis, ut utriusque ſuperior pars, ſive humerus, deorſum, inferior pars autem ſurſum ad latera thoracis, cum hoc arcte iterum per membranam concretæ, conſpicerentur, utraque manu difformi ſine digitorum veſtigiis deorſum paulum declinata. Caput & truncus nullam rationem partium habebant, ſed deformia valde, in averſa ſive poſtica parte nonnullis in locis materia quadam tophacea ſcabra erant, funiculus autem umbilicalis eo in loco inſerebatur, qui alias genitalibus proprius eſt, quorum contra veſtigia nulla apparebant. Nondum autem plenariè, ſed ad dimidium tantum detumeſcente excreto, quod nihil aliud, quam ſecundinas clauſas adhuc conſtituebat, in alterum turgidum adhuc hemiſphærium inquiſivi, illudque eodem modo, ac prius conſtitutum deprehendi, hoc ſolo apparente diſcrimine, quod hujus fœtus dextri lateris artus liberi, ſiniſtri vero, ut prioris omnes cum trunco concreti fuerint, ita, ut utrique monſtroſi fœtus, quod figura adjectæ I. & II. Tab. VIII. docebunt clarius, æmularentur canem clunibus inſidentem erecto corpore, ad

illud

illud retractis artubus, qnin etiam extrema artuum, pedes nempe & manus similiora essent pedibus manibusque canis quam hominis, nullis tamen plane interstitiis interfecta.

Septum inter utramque hanc cavitatem intermedium membrana constituebat pellucida, quæ haud difficulter in duplicem laminam divelli poterat, & meo quidem judicio, nihil aliud erat, quam arctissimus nexus utriusque foetus membranæ amnion dictæ. Binæ itaque hæ membranæ duplicem efformabant cavitatem cuique foetui propriam, undique vero chorio, quod utrique foetui commune erat, contiguam, in medio vero arcte inter sese connexam. Quod ad umbilicales funiculos attinet, illi ex communi simplici placenta orti, terminabantur in quovis foetu loco superius indicato. Hæc vero vasculosa secundinarum substantia pluribus in locis interpositos habebat tumores variâ, fabæ, pisi, lentis magnitudine conspicuos, qui glandulis scirrhosis erant simillimi, facta nempe apertura. Substantia interior erat albicans, ex qua tamen paululum sanguinis exprimi poterat. Circa ortum, utrique funiculorum communem, hydatis in conspectum veniebat in placenta uterina, major faba grandiore, quæ itidem repleta erat subluteo humore, magis tamen aquoso. Foetus utrosque cum secundinis sive continentibus partibus, adhuc asservo in liquore balsamico, inter rariora musei mei.

Coronidis loco quærendum foret:

1) Cur VIII. mensinm spatio tam parvum incrementum ceperint foetus gemelli, cum ex parte matris nullus alimenti defectus fuerit?

An


An quia natura quasi abhorret nutrire foetus adeo deformes, an vero propter scirrhosam placentæ substantiam?

2) Unde hæc irregularis & monstrosa partium conformatio ortum ceperit? Non reminisci quidem poterat mater, se unquam animum advertisse, & sic concepisse ideam aliquam canis sic sedentis, quod vocant communiter, er wartet auf. Credibile interim tamen est, potuisse id fieri in re tam vulgari & quotidiana, etiam non intentius advertente animo.

Notare insuper necesse est sub finem hujus observationis: Post paucos menses iterum concepisse in utero eandem uxorem, &, ut ante, feliciter foetum gessisse & enixam esse seqioris sexus, optimæ conformationis, ad huc viventem.

Explicatio Figurarum, Tabulæ VIII.

Fig. 1. A: Prior foetus.
Fig. 2. B. Posterior foetus.
a. a. Artus superiores cum trunco arcte connexi fœtus. A.
b. b. Artus inferiores ejusdem fœtus.
c. Locus insertionis funiculi umbilicalis in utruque fœtu.
d. d. Liberiores artus dextri lateris fœtus. B.



OBSER-

OBSERVATIO CV.

Dn. D. JOH. SEBAST. ALBRECHTI

De

Morbo convulſivo cum ecſtaſi in virgine 23. annorum.

Virgo 23. annorum, temperamenti admodum ſanguinei, habitus corporis carnoſi & ſtaturæ virilis, ab anno ætatis XVIImo, ob menſium difficultatem & nimis parcum fluxum crebrioribus aſthmatico-congeſtoriis paſſionibus, imo actualibus excretionibus hœmoptoicis, aliquoties jam circa tempus fluxus menſtrui, adhuc laboravit. Quibus malis antevertendis auxilia quæſita ſunt in pediluviis & venæſectionibus in pede, in clyſteribus ſtimulantibus & carminativo abſtergentibus, derivandi fine. Menſtrua ipſa vero ſimul per uſum pil. Beccher. promovenda debito tempore videbantur. Quæ omnia tamen malum radicatum extirpare non potuere, licet etiam interpoſita fuerint diluentia & & temperantia extra catameniorum terminos conſvetos. Præterlapſo enim ante tres ſeptimanas termino menſtruali cum parca excretione actuali, quod tribuebat magnæ commotioni animi ab ira, neque id ſine cauſa, ſiquidem inde turbari excretiones notiſſima res eſt, illa redierunt iterum tertia vice poſt XIV. dies & præter ordinem & in pauca quantitate. Cum vero mater abeſſet, ipſa capit conſilium ægra, ut VIII. dies ante ordinarium terminum

fluxus vena in pede aperiatur, quod & factum est feliciter (an vero sufficiente quantitate? dubito) sine commotione, neque animi, neque corporis. Post tres dies jam præterlapsos, cum fasciam & splenia removeret, quod factum d. 23. Octobr. 1734. recrudescit vulnus & emanat ℥i. fere sanguinis nigricantis, quo casu, ut referebat, aliquo moderato tamen, terrore mota, ipsa denuo & splenia & fasciam applicavit. Sed post paucas horas corripiebatur tremore artuum & ipsis motibus convulsivis totius corporis subsequentibus, quæ indies & paroxysmorum gravitate, & recursu crebriori aucta sunt. Et quod mirandum, quotiescunque ab ægrota vel alimenti vel medicamenti quid assumitur, quod utrumque ipsa petit, statim ac ore sumtum est, novus paroxysmus adest, ante quam per fauces ventriculum intraverit forsan assumtum, quod tamen non contra appetitum, sed etiam desiderio quodam ore cepit.

Singuli paroxysmi sic se habent fere semper: In abdominis regione umbilicali, (sine dubio in mesenterio) ægrota sensum habet motus alicujus inordinati quasi interiora illius loci contra & transversim irent violenter, quod sequentibus verbis describit: als wenn es wimmelte und alles durch einander gieng und rege werden wolte.) Mox motus illi dividuntur quasi, ita, ut pars illorum aliqua sursum versus cor, altera versus lumbos transversim & versus crura violenter & cum impetu tranferatur. In inferioribus videri sibi quasi multis acubus pungeretur violenter, hos tamen dolores neutiquam accedere illis, qui â motu superiora versus progressio sentiendi & perferendi sint: Sic enim sentiri dolorem in corde, quasi bini canes illud dentibus suis morsicarent huc illuc simul trahentes.

Quæ hactenus omnia memorata sentit, refert, eorumque reminiscitur post exantlatum paroxysmum. Hæc sæpius adhuc narrans, corripitur somno inevitabili, ubi primum apparent vehementes artuum tremores, extrema frigescunt, & sudore frigido madent, mox tremores illi abeunt in convulsivos motus, quos excipit adeo vehemens opisthotonus, ut plures etiam homines reprimendo illi vix sufficiant, ubi simul superiores artus vehementer huc illuc moventur. Pollices non retrahuntur, neque spuma ante os apparet, multo minus dentium stridor unquam observatus est in ægra. Durante hoc paroxysmo miserè afflicta ridet, lacrymatur, loquitur, precatur, cantat. Nihil, quod amorem aut lasciviam indicet, sed puriora sunt omnia, instar valde tentatæ. Recordatur peccatorum, petit gratiam, satanas ut repellatur, orat, de reportata super illum victoria gloriatur, cantat Deo gratias pro assistentia & auxilio præstito in lucta. Mox exantlatas in vita enumerat molestias, eas vero non comparandas cum spe melioris vitæ pronuntiat & sic porro, cessante paroxysmo modo longiore, modo breviore, quasi ex alto somno ad se redit, languet ex virium defectu, totum corpus sudore frigido madet, ante perpessorum & actorum reminiscitur, eo usque ubi somno correpta est, quæ durante vero illo egerit, quæque perpessa sit, neque per insomnium quidem recordatur. Mox de siti conqueritur molesta, vix vero ore accepto decocto quodam ex rad. chin. scorzoner. &c. etiam loquentem adhuc novus corripit paroxysmus, quod eodem quoque modo fit, sive alimenta, sive medicamenta ad ipsius etiam nutum offerantur,

Medicamenta vero hæc fuere: Pulveres abſorbentes & antiſpaſmodici ex conch. cinnabrini nat. cum Lumbr. præparat. & pauco Caſtoreo in aquis ſpecificis. Enema ad revulſionem ſtimulans, & uterum fovens applicatum quidem, aſt ſine levamine. Epiſpaſtica, rubefacientia ex ſpiritu vini, fermento panifico, ſem. ſinap. plantis pedum applicata ruborem quidem excitarunt, ſed ſine ſolatio, quemadmodum etiam veſicatoria ſuris applicata ſtatim iterum exaruêre. Mixturam tonicam nervinam ferebat mitius, non ſtatim recurrente paroxyſmo.

Id porro notari meretur, noctes tranquilliores eſſe diebus, quod teſtantur noctes ante diem 25tum & d. 26tum hujus menſis, quas ab hora XII. usque ad matutinam VIImam ſaniſſimæ inſtar tranquillè tranſegit ſomno, ad virium non mediocrem refectionem.

Alterantibus nihil efficientibus, cogitandum erat de evacuantibus.

Quamquam vero credibile viſum ſit, hoſpitari in ventriculo colluviem, ſive ſaburram acido-bilioſam, & ab ira prægreſſa, & ab inordinato menſtruo fluxu ortam, inprimis cum diætæ rationem non ſemper habuerit cordi ægra, ſed nucibus avellanis valde delectata, easdem copioſe aſſumſerit: Attamen crebrior ante jam perpeſſa hæmoptyſis vomitoria diſſuadebat, licet conatus crebriores ad vomitum poſtulare illa viderentur. Itaque cum terminus menſium proximus eſſet, omiſſo vomitorio d. 27. ej. menſ. Pil. Beccher. no. XX. cum crem. tartari ℨß. propinabantur, quæ alvum aliquoties ſolvebant cum levamine, & remiſſione aliqua convulſionum rarius redeuntium, nec diu durantium. Die 28. ej. menſis denuo pulvis ſuperius nominatus exhibebatur, ſed augebantur

præ-

præter ſpem paroxyſmi convulſivi & numero & duratione, cum ecſtaſi: Inprimis iteratis vicibus dicebat: Duraturum hunc morbum eſſe ſaltem IV. ſeptimanas, quod malum ſe libentiſſime velle perferre, quia Deus aliàs innumeris beneficiis animi & corporis ipſam abundanter pro clementia ſua, indignam licet, mactaverit.

Cum in hujus ſubitæ mutationis cauſam inquirerem diligentius, tandem percepi ab adſtantibus, noſtram etiam ſanam ferre non potuiſſe Caſtoreum, qua propter illud omittebatur & communicatis cum Doctiſſi. Dn. D. VERPOORTENNIO, Collega noſtro honoratiſſimo in re hac ardua, conſiliis, evacuationem repetere è re eſſe ambobus videbatur. Porrigebam eum in finem d. 29. Sal. catarct. ℥vj. in decocto hordei, ut ſic primæ viæ abſtergerentur. Præter opinionem autem duodecim ſequebantur vomitus & ſemel tantum alvus fluebat. Materia tam ἄνω quam κάτω excreta ſimillima erat albumini ovi tenaci, paulum ſpumeſcenti. Languebat ex hoc effectu ægra, ſequente tamen nocte tranquillè dormiebat. Sed ſtatim cum altero mane ſomnus abſolutus videretur, unica convulſio & poſt eam ecſtaſis obſervabatur, qua propter etiam facta peccatorum confeſſione ſacra ſynaxi utebatur. In paroxyſmis hujus diei poſt ſacrum hunc uſum, nihil in Ecſtaſi agendum erat, quam dimicandum cum ſatana; cui inter lites exprobrabat mendacia peccatorum, quorum ream ſe vellet accuſare coram Deo. Devotiſſimas proferebat preces, ordine concinnas, quarum copia non poterat non omnes adſtantes in admirationem rapere, dignitas vero animos movere ad lacrymas. Hæc cum aliquamdiu egiſſet, de reportata victoria, Jeſu Salvatoris auxilio, gloriabatur, & quaſi labris dulce-

dinem ſui Servatoris de cruce pendentis guſtaret, os movebat, contractisque brachiis verſus pectus clamabat: Habeo, teneo, nunquam evadet, ô quam dulcis! mox de præmatura ſeceſſu conquerebatur lacrymabunda. Sed exantlato paroxyſmo, nullius horum conſcia ſibi erat, neque in inſomnio etiam. Et quod omnium maxime mirandum duxi, referebat in paroxyſmis aliquoties, quæ abſentes in hac vel illa Familia de hoc morbo ſentirent, quid cum ſuis hac de re loquerentur, ex amore morbum profectum reputantes, cujus rei gratia anxia ad Deum omniſcium provocabat, annexis precibus, ut innocentiam ante omnium poneret oculos.

Certitudinem dictorum cum per alios exquirere laboraſſem, ſic cuncta accidiſſe, & eadem verba prolata eſſe, feſſi ſunt ipſi, neſcii an â faſcino, an â ſatanæ ludibrio id fieret, quæ communis in re non vulgari eſt vulgi ſententia, qua de cauſa conferri meretur doctiſſimum Exc. Dn. D. *Joh. Zach.* PLATNERI programma *de morbo* ἐνθουσιαζόντων καὶ ἐνεργουμένων quod præmiſit. 1732. diſſ. inaugur. *Joh. Gottl. Hegleri*, de *ſtatu convaleſcentiæ*; Lipſ. ventilatæ. Eodem die propinari curabam aliquot pulveres abſorbentes ex conchyl.chryſt.montan cum Cinnabari, quos nunc remoto caſtoreo perferebat. Advenerat interim miſerè adflictæ mater nuncio tam inopinatæ rei perterrita, quapropter & externa diſponebam alio ordine: Nempe non promiſcuè admittebatur hominum curioſorum concurſus, colloquia de ægræ actis & geſtibus in ejus præſentia interdicebam, neque illam turbari ulterius durante paroxyſmo multis acclamationibus, ſed potius tranquillitatem etiam adſtantibus requirebam; quodſi vero extremorum refrigerationem animadverte-

rent,

rent, jussi ut manus in aquam calidam statim immergerent, quod auxilii genus si tempestive satis adhibitum est, aut plane sæpissime suppressit paroxysmum, aut sæpe mitigavit. Et quoniam in ulteriori curiosa inquisitione, antecedanearum causarum ex matre perceperam, ægrotam filiam aliàs crebrius lumbricis teretibus laborasse, merito etiam ad eos exturbantos medicamenta dirigebam propinanda. Præscribebam eum in finem sequenti 31. die ej. mens. sequentem Bolum: Rec. Rhabarb. elect. ℥i. Mercurii dulc. r. præparat gr. vi. Conserv. Scord. q. s. una cum sequenti infuso theiformi propinandum, cujus infusi usus sequentibus etiam diebus continuabatur. Rec. nimirum herb. c. summit. hyperic. Mj. chamomill. Rom. c. t. meliss. tanacet. ana p. j. M. C. C. gr. m. Facta inde larga evacuatione tam ἄνω, quam κάτω, attamen sine ullo lumbrico, subjungebam Mixturam ex Ess. Hyperic. scord. theriacal. unde per Dei gratiam factum, ut sequenti die, i. nempe Novembr. omnes motus convulsivi & ecstases cessarent, contra vero ægrota tantum de debilitate & lassitudine omnium artuum, cum mitiori calore febrili, conquereretur: quæ vero vires diuturniori somno tranquillo ad 12. horas usque sese extendente, multum recuperavit, hocque durante in musculis saltem tremulus quidam motus observabatur in brachiis. Die proximo alvus naturalis, urina coloris aurantii spem conceptam confirmabant, præcipuè quia â pulverum nitroso Cinnabarinorum temperantium & Decocti Scorzon. c. C. C. rasur. usu calor febrilis evanuerat. Sed sentiebat d. 2. Novemb. dolorem rhevmatico-arthriticum in dextro brachio & sub Theriaca And. scorbiculo cordis imposita, apparebant vesiculæ purpureæ. Ægra sequente die aliquid vi-

ni ad vires refocillandas petebat, quod cum aqua temperatum admittebatur in pauca quantitate, sed quia paulo post usum ejus de capitis debilitate tristitia & anxietate animi, debilitate cordis, sine tamen febrili calore, majores iterum querelas ageret, vini usum plane interdicebam, contra vero pulveres temperantes nec non decoctum continuare porro svadebam. Unde etiam factum, ut diem 4tum & 5tum ægra tranquillè transigeret & in somno saltem os parum detorqueret, brachiaque paulum convellerentur. Licet vero nullum vermem excreverit, suspicio eorundem tamen nondum ex animo meo sublata erat, & quoniam simul semper ex evacuantibus melior evaserat, repetebam altero die, nempe 6to Novembr. bolum laxantem cum mercurio dulci, quod laxans iterum egit cum multa euphoria, sed iterum sine vermium excretione, qua propter sem. cynæ in subsidium vocabam, cujus usu continuato tandem d. 11. Novemb. unicus lumbricus teres sat magnus excretus est. Sed sequenti die animus valde depressus tristitiâ, & in brachiis tremor observabatur, unde, quia nunc de lumbricorum præsentia certior factus eram d. 13. ej. mens. tertia vice bolum laxantem jussi porrigere, & quidem optimo cum successu. Namque cum iterum multam pituitam eduxisset, d. 15. menstrua cum vehementibus torminibus apparebant, ad quæ commovenda, pulveres quosdam boracino Cinnabarinos præscribebam, quibus assumtis mediocri quantitate excretio illa procedebat, & nihil mali ulterius eo tempore sensit, sed atrocitas morbi tandem, prudenter adhibitis paucis medicamentis, per Dei optimi gratiam cessit. Notandum simul cum tragœdia in hac misera nondum plane finita esset, aliam virginem

18. an-

18. annorum in vicinia, quæ ad salutandum hanc crebrius ingressa est, forsan ex concepta idea eandem ludere inchoasse, sed multo brevioribus scenis, & tantum rite adhibitis medicamentis per octo dies, hancque ipsam virginem Castoreum optime inter medicamenta tulisse. Die 6to Martii 1735. post nimis parcam menstruam excretionem, prior illa denuo motubus quibusdam convulsivis, febri anomala comitatis, adfligebatur. Nono vero ejusdem mensis, iterum datis anthelminticis, lumbricus teres excernebatur, & brevi hac periodo transibat malum. Altera vero eodem fere tempore, 8vo hujus mensis, breviter transituram recidivam passa est, quod me magis certum reddidit, ex imaginatione hanc magis laborasse, quam ex causa quadam materiali. Namque famâ perceptâ, sociam suam & familiarem amicam iterum insultus quosdam pertulisse, statim & in se motum quendam sensit præternaturalem, de illius restitutione autem certior facta etiam cum valetudine pristina rediit in gratiam.

(*Coburgo Erfordiam transmissa d. 12. Aug. 1735.*)





OBSERVATIO CVI.

DN. D. CONRADI GRAFFII.

De

Pullo gallinaceo monſtroſo.

ANno 1733. circa finem Martii, Gederæ, Comitatus Stolbergenſis civitate, in circulo Rhen. ſuper. ſita, ex ſuppoſitorum ovorum gallinaceorum uno pullus quatuor pedibus, omnibus numeris, deficiente tantum in altero, poſteriore ungue, abſolutis, excludebatur. Primis diebus, aſt ſenſim uno atque altero poſteriorum magis enervato & contracto, eos ſubſequentes habebat; qui poſteriores peculiaribus aliquot vertebris Tab. VIII. Fig. 3. no. 2. indicatis, quarum principium inſtar capitis, compreſſi & contracti, ad latus oſſis ſacri infixum, deprehendebatur, annexi erant, uti no. 1. in figura clarius apparet. Pullus legitimus autem, vivax & agilis more reliquorum, edebat & incrementum capiebat, vitamque ſine dubio longiorem duxiſſet, niſi frequentiore manuum contrectatione, compreſſus & debilitatus, decurſu quatuor ſeptimarnaum, in mortis prædam cedere quaſi coactus fuiſſet. Cæterum hic pullus ani exitus habebat duos no. 3. & 4. notatos, qui docente poſt mortem ſectione in inteſtino recto, ſupra modum expanſo iterum coibant, ſtructura vero reliquorum viſcerum erat naturalis.

Me judice hic pullus monſtroſus ex ovo, duplici vitello prædito, uno minus ſufficienter fœcundato, progeni-

tus

tus est. Hinc etiam factum, ut alter imperfectus costis & alis privatus pullus, sceleti forma alteri legitimo ad sinistrum latus ossis sacri infixus & quasi implantatus fuerit, ex quo etiam primo nutrimentum & vitalitatem accepit, pedetentim autem nutrimento magis subtracto, decrevit, & sine dubio imposterum, efficacia naturali, plane separatus & remotus esset, quod tamen salvo aliorum judicio ulteriori eorum dispuisitioni & experientiæ relinquendum.

(*Giessa Erfordiam missa d. 16. Octobr 1735.*)

OBSERVATIO CVII.

DN. D. CHRISTIANI de HELWICH.

De

Vomitu per aliquot menses durante, ex ventriculi angustia & duritie scirrhosa circa pylorum orta.

ANte medium mensis Junii, anno seculi hujus trigesimo secundo, vitam finiit Illustrissima quædam Matrona, per plures menses vomitu fatigata. Fuerat illa temperamenti sanguineo-melancholici, staturæ brevis sed habitu corporis obeso. In duplici quidem vixit matrimonio, sed utroque sterili. Commoda satis valetudine per plures usa est annos, si & febrim tertianam excipias, (qua feliciter superata, ipsius sanitati haud ullum attulit detrimentum, sed potius incremen-

tum,) & catarrhum pectoris, cum aliqua reſpirationis oppreſſione conjunctum, qui tamen ſemper promte per blanda laxantia, pectoralibus mucum incidentibus mixta, ſine gravi appetitus viriumque lapſu, mitigabatur. Tandem circa autumnum memorati anni ſanitas ejus vacillare cœpit; & initio quidem ſine ullis gravioris morbi indiciis, non longo poſt prandium tempore, absque nauſea, ſine omni caloris & frigoris ſenſu, in ſeptimana bis terve vomebat. Materia nulla aut acida, aut nidoroſa, amara, vel acris, alimentis, quorum pars vomitione redibat, permixta ejiciebatur. In principio hujus mali propemodum integer erat appetitus, qui tamen pedetentim imminuebatur. Dum ægritudo hiſce continebatur terminis, animo æquo ab ægra ferebatur, neque multa, præter blanda abſtergentia & temperatiſſima ſtomachica, in uſum vocabantur remedia. Aſt mea medentis ſollicitudo multum aucta fuit, cum ita vomitus increbeſcerent, ut propemodum ſingulis diebus, & aliquando iteratis per diem vicibus, omnia ingeſta per fauces redderentur. Hinc langueſcere & contabeſcere corpus cœpit, ſicque validiora poſtulabantur ſtomachica, præcipue vero vinum ſelectiorum ingredientium virtute imprægnatum, quod tamen pariter votis ægræ haud reſpondebat. Erant, qui moderato Theriacæ & Diaſcordii uſu vomitus certiſſime ſedatum iri audacter promittebant; verum & hi optato caruerunt ſucceſſu, atque ſpe ſua ſe deluſos eſſe brevi compererant. Verbo: Neque pharmaca, quæ vel ventriculi atoniam aut motum præter naturalem corrigere apta nata ſunt, neque ea, quæ humores pravos emendant, neque illa, quæ ſine omni tumultu blande laxant, quicquam

quam ad compeſcendos hoſce vomitus valebant. Morbi ergo diuturnitas & invaleſcens corporis marcor, quibus continua fere alvi obſtructio jungebatur, me ſollicitum de cauſa tam pertinacis mali merito tenuerunt. Hinc, quo potui ſtudio indagare conatus ſum; quænam indomiti hujus mali cauſa eſſet, & in quonam Democriti, ſeu potius corporis puteo immerſa lateret. Itum ergo eſt per omnes morbos, quibus vomitus ſeſe aſſociare ſolent, & diligenter inquiſitum, an forte vomitus ab occulto ejusmodi morbo excitaretur. Febris ſuſpicio aliqua ex pulſu ſubinde paulo concitatiori primum oriebatur, cum pervulgatæ res ſit notitiæ febricitantes non raro vomitibus fatigari; aſt, exhibita idcirco antifebrilia, nihil levaminis attulerunt. Menſes jam ab aliquot annis ceſſaverant, adeoque ab eorum ſuppreſſione, quemadmodum uſu interdum venire ſolet, vomitus in noſtra ægra arceſſere rationi repugnabat. Gravidam eandem eſſe vetabant credere & menſes â duobus propemodum luſtris ceſſantes & ætas ejus provectior. Vomitus porro etiam paſſiones hyſtericas & calculi dolores comitantur, nunquam autem ægra noſtra illis obnoxia fuerat, nec ullum unquam calculum excreverat; aberant quoque omnes, quibus calculi dignoſcuntur, notæ. Cum affectibus capitis ſubinde etiam vomitus complicantur, & fundamento non deſtuitur obſervatio WILLISII, aliquando poſt cephalalgiam cum torpore & vertigine, diatheſin ſucceſſiſſe vomitivam. Experientia item quotidiana comprobat, præcedere non raro alias capitis moleſtias, & has preſſo pede excipere ingentes ventriculi commotiones. Aſt noſtra per omnem morbi decurſum de nulla capitis afflictione conqueſta eſt, ut

propterea manibus palpare potuerim, in capite vomitus hujus originem non esse quærendam. Probe quidem recordabamur, COITERUM, in observationibus chirurgicis & anatomicis annotasse vomitum crebrum cum nausea continua, ex apostemate mesenterii, nec memoria exciderat historia in Schenckii observationibus, relata, de nobili quodam, vomitu diuturno tandem extincto, in cujus cadavere post mortem vesica fellis rupta fuit deprehensa. Non minus quoque vomitus tandem lethalis, à scirrhoso hepate inducti exemplum extat *Centur. III. Ephemerid. Nat. Curios. p.* 147. Obversabatur insuper animo meo amicus quidam vomitibus ferocibus, quibus calculi cum biliosa saburra post diuturnum icterum ejiciebantur, sub febre continua extinctus. Ulcera chronica, incautè consolidata, in pauperibus ejusmodi vomitus excitasse, ipsemet multoties expertus sum; sed illustris nostra ægrota tales itidem nunquam in corpore suo perpessa erat.

Tandem operosa hac inquisitione convictus, non nisi in ventriculo rebellis hujus vomitus causam quærendam esse concludebam. Absentia quidem febris & ipsius affectus diuturnitas sufficenter monstrabant, nec inflammationem, nec exulcerationem, aut apostema hujus visceris in culpa esse; contra vero facile patebat, vomitus hosce potius ab angustia, aut tumore & excrescentia quadam in ventriculo foveri, imo, probe consideratis omnibus circumstantiis, vix dubitare licebat, vitium tale circa alterutrum ventriculi orificium hærere. Ingestio ciborum prompta, sine ullo impedimento succedens, utique satis evidens præbebat indicium, obstaculum istud non tam circa sinistrum, sed potius circa dextrum orificium seu

pylorum

pylorum, occurrere, in qua ſententia me confirmabat, pertinax & per multos dies durans obſtructio alvi: Quamlibet enim pylori coarctationem ad ingeſtorum exturbationem per vomitum fœcumque alvinarum retentionem, multum utique conferre poſſe, in propatulo eſt. Memineram â nummo deglutito & orificium hoc obturante, inductos vomitus, teſte KERCKRINGIO in *Spicileg. anatom. Obſervat.* I. & ab intumeſcentia circuli pylori ſecutos eſſe vomitus, liquet ex *Centur.* I. *Obſerv.* 20. SALMUTHI, *&* RIOLANI *Anthropolog. Lib. II. cap.* 20. Unde his & aliis ſollicitè diſcuſſis, de ſententia mea ratione cauſæ hujus vomitus interrogatus, ſine hæſitatione affirmavi, ſcirrhoſum tumorem circa pylorum potiſſimum in culpa eſſe mihi videri, quamvis duo â me diſſentirent Collegæ & unus tantum meam approbaret ſententiam. Provocabam inſimul ad exemplum juvenis Chirurgi, commemoratum â SANCHETZ, qui, cum vomitu et alvi obſtructione laboraſſet, Medicis poſt mortem exhibuit ſpectandum *totum inferius ventriculi orificium, quatuor digitorum latitudine in circumferentia prædurum adeoque incraſſatum; ut digiti ſpiſſitudinem ſuperàrit.* Ad debam, ventriculum etiam videri juſto anguſtiorem, & hoc ex modo vomendi admodum facile colligebam, ſiquidem nulli obſervabantur invaleſcente morbo niſus & labores totius fundi ventriculi; qui ad propulſionem contentorum ad œſophagum propemodum neceſſarii ſunt: Nam hac ratione vomitum contingere non tantum ex iis, quæ HELMONTIUS in Tractatu, qui *Pylorus Rector* inſcribitur & WILLISIUS in *pharmacia rationali, Sect. II. cap* I. tradunt, ſufficienter perſuaſi ſumus, ſed potiſſimum experentia RUDBECKII, qui oculis ſuis in cane vi-

vo

vo diſſecto vidit, pylorum primo ſe contraxiſſe, mox ſyſtolen totius ventriculi ab orificio interiori usque ad œſophagum obortam, & tum demum vomitum eſſe inſecutum.

Ægra noſtra, ſicubi juſculi alicujus aut potus mediocrem quantitatem, exempli gratia uncias circiter quinque aut ſex, ingeſſiſſet, illico ex ventriculo tanquam ex vaſe, ſine omni labore major ingeſtorum pars effluebat, ſicubi vero minori potus aut jusculi quantitate, ex. gr. unciis duabus vel tribus, contenta vixiſſet, tunc ventriculus, quæ acceperat, non reddebat, niſi poſt breve temporis intervallum ſiti coacta novum affudiſſet liquidum. Interea morbus, variis tentatus remediis, miſeræ gravior in dies reddebatur. Unus ex medentibus non tantum excoriationem quandam inventriculo & inteſtinis magna cum fiducia ſupponens, ſed & omnimodam tunicæ interioris abraſionem in canali alimentario ſibi concipiens incertum quo conſilio, pulverem ordinavit, ex Speciebus diatragacanth. Bolo Armena & Camphora, eumque eximie commendavit. Ægra ſanitatis recuperandæ ſpe incitata inſignem ejus quantitatem aſſumſit; citra ullam nauſeam aut faſtidium, ſed aucta abinde fuit alvi obſtructio, aucti etiam vomitus, & quidem usque adeo, ut illam nec laxantia, nec enemata ex voto tollere potuerint; imo, cum neceſſitas uſum eorum imperare crederetur, inde oriebantur angores, tremores, convulſiones & lipothymiæ, quin & præſentaneæ mortis metus, adeo ut deinceps, cum obſtructiones ad plures dies protraherentur, ad ſolum horum remediorum nomen toto cohorruerit corpore.

Sub

Subtraxeram me aliquot ſeptimanas labori ægram viſitandi, cum intellexiſſem, eam primo unius, poſt duorum Medicorum conſiliis regi, & remediis abiisdem præſcriptis uti; aſt multis dein precibus ſollicitatus, denuo eandem viſitavi, vidique non ſine moerore, res ejus in deterius degeneraſſe exitiumque minari. Inſtantiſſime tunc rogabat ægrota, ut quam maxime obſtructionis alvi haberetur ratio, unde, edoctus quænam eum in finem adhibita fuiſſent remedia ſuaſi, decocti ex emollientibus cum aqua laxativa vienneſi ac ſyrupo de Althæa Fernelii parati, duas circiter uncias aſſumeret, & â potu & jusculis per duas horas abſtineret. Nec ægræ, nec meam ſpem fefellit remedium, quippe duæ, absque omni tumultu & torminibus, ſunt ſecuræ ſedes. Eadem cum cautela repetitum hoc remedium, blande ſemper alvum ſubduxit. Verebar autem non immerito, ne brevi forſitan tempore faſtidiret illud, aut continuo uſu, qui & aliis de cauſis minime conveniens erat, virtutem aperiendi alvum amitteret, adeoque neceſſarie de alio quodam cogitandum erat ſubſidio: ubi opportune incidebat fons Selteranus, Iuſſa ergo fuit ægra has acidulas aliquoties atque moderatiſſime, & ſemper interjecta diuturniori, inter bibendi vices, morâ, haurire. Et quoniam de indurato ventriculo firma animo hærebat ſententia, aquæ huic lac caprinum admiſcere conſultum ducebatur, parebat huic conſilio ægra, indeque viciſſim haud mediocrem malorum ſuorum obtinuit mitigationem, ſiquidem alvus, etiam aliis remediis non ſollicitata, quotidie ſine omni moleſtia officio ſuo fungebatur. Evaneſcebant etiam reliqua ſymptomata, ut tandem ægra ſpem recuperandæ ſanitatis priſtinæ denuo conciperet, quam tamen vanam

 eſſe

esse facile praevidebamus: Corpus enim sufficienti & necessario nutrimento defraudatum, indies marcescebat, tandemque ægra nostra, inter inania luctantis naturæ molimina, omnibus exhausta viribus, crebrisque lipothymiis confecta morbo succubuit. Multorum ex magnatibus nostris votum erat, ut in dissensu Medicorum, de causa symptomatum cadaver aperiretur, quo facto, vidimus ventriculi fundum totum scirrhosum, ad duos pollices crassum atque ita induratum, ut acie cultri anatomici *vix* penetrari posset; vidimus insuper tantam pylori angustiam, ut adstantes mirari desierint, quod ingesta solidiora durante ægritudine per vomitum semper reddita fuerint, cum manibus quasi palparent, quomodo omnis fere transitus ad intestina fuerit impeditus atque præclusus. Ceterum animi deliquia in iis, quorum ventriculus scirrho obsessus fuit, notarunt tum alii observatores, tum etiam celeberrimus RUYSCHIUS in *Observation. anatom. chirurg. Observat.* 39. *p. m.* 53.

OBSERVATIO CVIII.

Dn. D. CHRISTIANI de HELWICH De Ischiade incurabili & lethali

Anno hujus seculi trigesimo secundo, sub initium Octobris, matrona circiter sexagenaria dolore satis atroci circa sinistram natem corripiebatur, vix tamen adeo in hac regione figebatur, ut non subinde ad

femur

femur & ſuram, quin & ad extremum usque pedem divagaretur. Poſtea augeſcens malum ad inguina usque ſeſe extendebat, liberumque urinæ fluxum licet rarius, aliquantum intercepit. Evidens aliquis tumor non comparebat, aberat rubor omnis, neque calor inſignis percipiebatur. Tametſi vero dolor in eo articulo quo femoris caput in coxendicem inſeritur, non urgeret, vere tamen ægram Iſchiade correptam eſſe affirmare licebit. HIPPOCRCTES quidem, *Lib. de internis affectionibus*, Iſchiadis nomen pituitoſis fluxionibus ad coxæ juncturam tribuit, alibi tamen has κέδματα nuncupat. Scilicet ex ipſius mente, ſi rariorem ejus interpretem, *Proſperum* MARTIANUM *Sect. II. de affection. p.* 213. audire placeat, *eſſentia veri coxendici morbi conſiſtit in dolore vago, per crus totum, modo huc, modo illuc conſiſtente, à materia per venam coxoriam diſcurrente.* Sic & Clariſſimus vir, *Jacobus* SPONIUS in *Aphorismis novis; Sect. V. Aphor* 101. non male definit Iſchiadem, per *coxarum dolorem, ab humoris tenuis acris decubitu in partes iſchio vicinas.* Sane in toto illo â MARTIANO & SPONIO deſignato ambitu partes membranaceas, fibris nervoſis inſtructas nec non perioſteum deprehendimus, quæ, quantis ſæpe torqueantur doloribus, quotidiana edocemur experientia. Neque penitus â vero aberrare videntur, qui expreſſè negant, Iſchiadem ſedem ſuam habere in magno coxæ articulo, quos inter ut conſtat, eſt FERNELIUS, *Lib. VI. Patholog. cap.* 18. perſuaſus, quod, ſi in Iſchiade noxius humor in coxendicis cavitatem conditus eſſet, neque tam vehementem, quoniam ligamentum ibidem latitans obtuſi ſaltem eſſet ſenſus, neque tam latè diffuſum dolorem excitare poſſet.

In cura interim dolorosi istius affectus, Medici labor utique eo dirigendus fuit, ut materiam, doloris acutissimi sensum excitantem in parte affecta discuteret & evocaret, simulque sollicite praecaveret, ne ex humorum massa ad partes affectas nova subinde afflueret, novos excitatura cruciatus. Mitigaturus ergo vehementes istos dolores, vir Clarissimus *DN. D. Hahnius*, Collega & amicos multis nominibus mihi charissimus, non male curam auspicatus fuerat â scarificatione in loco affecto, ratus, ea humorem morbificum & evacuari, & discuti posse, siquidem & ego ipse, cum hoc ipsissimo Ischiadis dolore vir & generis splendore & dignitate Illustris, ad animi usque deliquium torqueretur, in consilium vocatus, hæmorrhoides aperire jussi, cum egregio ægri levamine. Cum vero nulla ex scarificatione ad nostram redundasset utilitas, prælaudatus DN. D. *Hahnius* subjunxit frictiones, ad humores serosos dissipandos aptissimas, & ut eas redderet aptiores, partemque affectam simul roboraret, linimenta etiam nervina subjunxit. Ubi vero & has nihil quicquam ad dolores leniendos profecisse cerneret, fotus, cataplasmata, unguenta, emplastra, balnea (quæ ultima, & fomenta emollientia, ratione causæ conjunctæ, affectui huic conferre, dum nempe seri acris transpiratio iisdem promovetur & dolor mitigatur, SPONIUS l. c. observavit,) recentiorum placitis conformia, provide ordinavit, ast & hæc circumspecta illa tentamina nec ægræ, nec viri hujus doctissimi votis responderunt. Experiri itaque voluit, utrum per venæsectionem aliquas saltem inducias impetrare posset ægra, in continuis suis cruciatibus indeque obortis gemitibus. Ex utroque igitur pede ad aliquot uncias, Januario ad finem vergente,

san-

ſanguinem detrahere juſſit. Et profecto in hoc affectu tum ab aliis, tum ſpeciatim â SENNERTO commendata eſt, eo quod *ſtagnantem ſanguinem in motum ciere, & dum fluxilitatem ei conciliat, coagulationem prohibere, nimis ebullientem compeſcere & a parte dolente revellere poſſit.* Sed excidit ſpe ſua & Medicus & medicam poſtulans opem: Menſe enim Februario ita invaluere dolores, ut aſſiſtentes de convulſionibus metuerent.

Hinc, cum ferendis hiſce miſeriis matrona noſtra amplius ſe parem eſſe haud crederet, ineunte Martio meum etiam audire voluit conſilium. In primo meo ad eam ingreſſu videbar mihi obſervare muſſitationes quaſdam, de morbo hactenus â medente non ſatis cognito. Conjiciebam inde facile, animos adſtantium opinione de luxatione oſſis femoris eſſe præoccupatos; inſpectio autem cruris afflicti, ejuſdemque cum ſano quoad ſitum, figuram & longitudinem accurata comparatio, evidenter oſtendit, os femoris tantopere excruciati, ſede ſua non excidiſſe, adeoque â luxatione mali iſtius originem minime eſſe arceſſendam, quod tribus, ut ajunt, verbis, ad amovendam â Collega ignorati morbi ſuſpicionem, inſinuabam, inprimis cum ægrotam noſtram non tam de dolorum cauſis, quam de mitigatione, ſollicitam deprehenderem, utpote quam angore anxio, ut cum LUCRETIO loquar, & flebili gemitu deſiderabat. Conſideranti ergo omnia, ex doctrina HIPPOCRATIS opportune occurrebat, aliter inſtituendam eſſe curam in doloribus coxendicis circa articulationem, ac paulo aliter in doloribus huc illuc vagantibus. In poſteriori caſu monet HIPPOCRATES,

eo studium Medici dirigendum esse, ut humores ad partem laborantem irruentes evacuentur, eorumque motus compescatur. Blandiora autem exigebant remedia vires, doloribus diu noctuque infestantibus, summopere prostratæ. Proponebam emulsionem cum oleo amygdalarum ita mixtam, ut nauseam creare nullatenus posset. Ejus diligenti usu id emolumenti sumus consecuti, ut dolores immanes multum de ferocia sua quidem remitterent, sed tamen non penitus compescerentur. Subjunximus blandissime evacuantia, non absque omni effectu. Profuit etiam â tempore CAROLI V. Imperatoris admodum celebratum â multis decoctum ant-arthriticum, ex radicibus polypod. chinæ sassaparill. Hermodact. ligno guajaco, &c. Præterea alia etiam remedia demulcendis doloribus dicata, in formis variis, pulverum inquam, guttarum, pilularum, decoctorum, in usum vocabantur, nec topica negligebantur, inter quæ præcipue cataplasma, ex salvia, beton. origano, serpillo, solano & hyosciamo, cum lacte paratum, egregie afflictam solabatur. Studio abstinuimus â sulphure & sinapi, gnari licet, ex his alibi, loco ferri candentis aut moxæ, externum hoc remedium præparari. Apud nos etiam vix invenietur, qui ad exemplum Nobilis Britanni, Domini *de Temple*, cujus *Essai du Moxa* legi meretur, remedii hujus Indici, tantopere celebrati, efficaciam in se experiri velit.

Aliquod proinde emolumentum quoque præstabat *Emplastrum de sapone D. Barbette*, mixtum cum *Tacamahaca* & *pice Norvvegica*. Furiis autem dolorum hisce aliisque remediis aliquantulum domitis, animus ægræ erigebatur, præcipue etiam cum vigiliæ desinerent esse molestæ.

Coe-

Cœpit etiam per horam unam atque alteram interdiu deserere lectum. Non tamen diu hæc halcyonia durarunt, Præterquam enim, quod pes affectus in tumorem elevaretur, dolores etiam denuo mense Majo ingravescebant, quos rosivos nuncupabat. Equidem post diuturnos dolores ischiadicos coxam aliquando excidere, & crus contabescere, notum est, tum ex HIPPOCRATIS *Aphorismo* 59. *&* 60. *Sect. VI.* tum ex ipsa experientia. Ast non æque notum est & paulo rarius observatum, quod chronicos coxendicum cruciatus tumor pedum œdematosus exceperit, sicuti id in nostra ægra contigit. Placuit tandem huic quoque uti consilio & opera chirurgi alicujus. Ille ergo, qui vocabatur, prout hoc hominum genus, promissis admodum liberale esse solet, non solum mitigationem dolorum promptissimam, sed & discussionem doloris plenariamque restitutionem in integrum prolixe promisit, dummodo ipsi liceret cataplasmata sua & emplastra applicare. Damnatus fuit voti sui, & permissum, sicuti unice optaverat, suo abundare judicio. Applicuit itaque arcana sua, Medicis conniventibus & dissimulantibus, quod etiam invitis illis facturus fuisset, & Emplastro quodam, ut relatum nobis fuit, totum pedem involvit, linteisque arctissime constrinxit. Ast brevi tantopere jactata præsidia, quæ magnopere *spem ægræ inflaverant*, ipsam *destituebant*, ut mea faciam verba *Baconis de* VERULAMIO, quæ de Secretis chymicis adhibuit. Denuo namque dolorum faces accendebantur, ut ut pes nonnihil detumescere visus fuerit: per vehementem scilicet ipsius ligaturam, nullatenus vero per virtutem Emplastri. Dissuaseram serio hanc pedis coarctationem, & cum meum consilium non atten-

tenderetur, plane labori visitationis me subtraxi, facile prævidens fœcundam malorum nunc subsecuturorum messem. Ortæ enim hinc sunt febriles commotiones cum copiosissima excretione miliari, anxietatibus præcordiorum summis, ingenti difficultate respirationis, & brevi post multis, iisque dolorosissimis ulceribus femur fuit obsessum.

Confirmavit dein evidenter urina tabo simillima, saniem in sanguinem copiose derivari, eundemque corrumpere, ut jam multis exemplis confirmatus asserere non dubitem, istam pedum tumidorum stricturam magnum conferre momentum, ad humores in pedibus stagnantes una cum labe, quæ in iis hæret, in sanguinem reprimendos, id quod aliis etiam, pedum tumore afflictis, accidere solet. Certe WILHELMUS, Rex Angliæ, cum pedes ejus tumerent, & celebris BIDLOO eosdem fasciis vinciendos esse assereret, hunc prudentissime interrogavit: **Solte das Unwinden nicht die Feuchtigkeit aus denen Beinen in den Leib bringen?** Et notabile est, quod Rex addit, quosdam Angliæ Medicos dissvasisse has pedum fascias, quemadmodum ipse prælaudatus BIDLOO refert in sua *relatione de ultimo morbo & morte Regis Wilhelmi III.* Penes cordatos Medicos judicium sit, an responsum præfati BIDLOO solide metum hunc Regis adimere potuerit. Certe non est, cur sibi vel Medici, vel ægri blandiri debeant, quando post ligaturam pedum cernunt imminui tumorem, quod aliquando fieri novimus, cujusque exemplum vidimus in nostra ægra, & multo illustrius in Rege memorato, quem magnam ex hac detumescentia pedum suorum spem & voluptatem, unacum Medico & Chirurgo suo BIDLOO percepisse

col-

colligas ex exprobatione cum non obscura objurgatione dissuadentium Medicorum, quam verbis Regis modo nominatus Auctor adducit *l. c. p.* 57. Verum enim vero si quis attento pendet animo, quæ Regi postea acciderunt, & inter ea respirationis difficultatem, quam BIDLOO silentio præterit, qua tamen eum laborasse ex p. 62. innotescit, facile videbit hoc dicti Viri ministerium (quo ad mortem usque singulis diebus functus est,) ligandi pedes regios, plus obfuisse, quam profuisse. In nostra ægra itidem non sine gaudio pes detumuerat, aut verius, quasi emarcuerat.

Invitatus postmodum denuo ad curam pro virili cum Collega meo commotionibus febrilibus, anxietatibus præcordialibus, oppressioni pectoris & respirationis difficultati occurri, & quidem non sine omni successu. Inter remedia hunc in finem adhibita, non pœnitendum operæ pretium præstitit serum lactis tamarindinatum: Cessavit enim inde febris esse molesta per aliquot dies, fausti autem quidpiam sperare vetabant ichorosi in natibus ulceris exarescentia, fœdus pedis livor, aliorum ulcerum hæmorrhagia cum totius corporis marcore & summo virium languore, quibus tandem die 19. Augusti stertor jungebatur; quæ omnia de morte proxime secutura nos dubitare non sinebant, siquidem etiam optata hæc die 22. Augusti omnes ejus miserias finivit.



OBSERVATIO CIX.

DN. D. CHRISTIANI de HELWICH.

De

Paralysi linguæ multoties recurrente.

ET ab impeditis nervis illis, qui â ramo ſeptimo ac nono cerebri ad linguam propagantur, & ab intercepto arterioſi ſanguinis influxu in hanc partem, paralyſi illam ipſam infeſtari, ſæpius experimur. Illud quoque non ignotum eſt, gravem apoplexiæ metum, tum in iis, quorum lingua reſolvitur, tum in adſtantibus oboriri, etiam in illis, quos experientia docuit, quod ſubinde lingua diu paralyſi detineatur, & tamen apoplexia non ſequatur; ſicuti etiam illud vulgo cognitum eſt, paralyſin hanc nulla ſuccedente apoplexia, ſæpe interdum recurrerè. Non tamen abs re erit, exemplum paralyſeos hujus, quod &propter recurſus frequentiam, & alias circumſtantias notatu dignum videtur, adducere. Matronæ cuidam, anno ſeptuageſimo ſeptimo ætatis finito, ex improviſo lingua fuerat facta ἀκρατὴς, ſive invalida, aut impotens, quod *melancholicum quidpiam* eſt, juxta *Aphoriſmum* 40. *Sect. IV.* Fuerat illa per complures annos podagræ doloribus exquiſitiſſimis, vernali & autumnali tempore, obnoxia, & ad hos mitigantes, unacum marito, itidem arthritico, Thermis Landeccenſibus, Hirſchbergenſibus, Carolinis, Teplicenſibus, & acidulis variis, ex conſilio Medici ſui

usa fuerat sine omni tamen emolumento. Multoties quoque atrocissimam perpessa fuerat cardialgiam, tandemque ad malorum cumulum accesserat etiam tortura calculi vesicæ, ut subinde mirarer, quomodo tot morbis ferendis corpus exhaustum & senile par esse posset? sed nondum miseriarum finis erat, si quidem etiam crebro & sine manifesta causa in lipothymiam incidebat, adeoque verebar, ne aliquando syncope correpta, repente moreretur, juxta *Aphor.* 41. *Sect. II. Qui crebro & multum, citra manifestam causam exsolvuntur, repente moriuntur.* Ast nostra iteratas animi defectiones spirituosis & analepticis potionibus refocillata, aliquoties superavit, adque ad plura mala toleranda iterum atque iterum revixit.

Ut jam de aliis ejus miseriis, & multis & magnis, nihil dicam, vel centies paralysi linguæ, usque ad finem vitæ (quem ætatis suæ anno septuagesimo nono, si decem circiter dies demas, completo attigit,)fuit correpta. Initio per horas modo plures, modo pauciores insultus ille durabat, sed successu temporis ad diem integrum aut biduum etiam, quinimo ad tertium & quartum diem prorogabatur. In omnibus accessionibus hujus mali rationis erat compos, sensus externi integri erant, ac quæ desiderabat, gestibus ac nutu concinne satis declarabat, cum maxima vero difficultate deglutiebat, manifesto indicio, etiam motum linguæ admodum esse impeditum. Observatum fere semper, linguam citius officio deglutiendi cibos masticatos quam sermocinandi, fungi potuisse. Abhorrebat â liquore C. C. succinato, castoreo, (de quo magnificum Italorum elogium legere licet in Consilio Clarissimi viri, *Sim* PAULI contra Apople-

xiam,) ſalibus volatilibus & penetrantioribus remediis, contra vero elæoſacharo cinnamomi delectabatur, illudque ſibi eximie conducere prædicabat. Nec aſpernabatur uſum ſpiritus apoplectici ſatis grati, cum ſpiritu lilior. convall. mixti, ut & cum Eſſ. ligni aloës & Eſſ. dulci Hallenſi. Cervici illinebatur mixtura ex aqua cinnamom. benedicta ſerpilli D. Mynſichti, ſalviæ cum vino, Eſſ. Rorismar. Flor. paralyſ. ſpiritu lumbric. terreſtr. & formicarum. Juſſi etiam in ore detinere modo vinum ſalviatum, modo aquas ſpirituoſas, videlicet aquam Regin. Hungar. epilept. Langii, cinnam. borragin. quibus addebatur pro re nata ſpiritus macis, lavend. ſalis ammoniaci aromatic. D. Sylvii, Balſam. vitæ &c. Et ad hæc ipſa remedia, ingruentibus poſt aliquas inducias novis inſultibus, ſubinde recurrebatur. Illud unicum adhuc addendum cenſeo, quod etiamſi toties linquæ paralyſi afflicta fuerit non tamen Apoplexia extincta ſit, ſed marasmo ſenili & languoribus multis confecta, ærumnoſam finiverit vitam.

OBSERVATIO CX.

DN. D. CHRISTIANI de HELWICH.

De

Salutari foliorum Betonicæ in aliquibus oculorum affectibus uſu externo.

Errhina in oculorum affectibus â multis iisque doctiſſimis viris commendantur. Certe in illis ſalutarem uſum expertus eſt Celeberrimns BARTHOLINUS

pul-

pulveris ſui, ut vocat, *naſalis* cujus deſcriptio exhibetur in *Actis Haffnienſibus Ann.* 1671. *&* 72. *part. I. Obſer.* 21. *pag.* 50. eo quod *derivet humores in oculos irruentes per vicinos narium ductus.* Errhinorum claſſi merito adjudicatur *Betonica*, de qua ſane ingens, ut ingenue fatear, in me deſiderium ortum eſt, experiundi, quid illa hic ſingulare præſtet, poſtquam eam tantopere laudatam reperi ab Equite Anglo *Dn. de* TEMPLE *dans l'Eſſai ſeconde de la ſanté*, dum in *Operibus poſthumis p.* 172. ſcripſit, ſe in oculorum & capitis catarrhis peculiarem & ſpecificam virtutem in Nicotiana herba agnoſcere, ſi folium ejus in naribus per horæ ſpatium detineatur, & illico ſubjungit: *La Betoine produit le même effet, - - - - l'une & lautre deſtille les rhûmes de la tête par le canal naturel. Le vieux Prince de Naſſau m'a aſſuré, quil n' avoit conſervé ſes yeux ſi long temps, que par ce moyen, aprés avoir penſé perdre la vûe à l'âge de trente ans, je m' en ſervis toûjours depuis avec ſuccés, apres avoir été expoſé comme lui à la perdre au même âge.* Non ſum ignarus quod Betonica ab *Anton.* MUSA in libello, quo ejusdem virtutes complexus eſt, laudetur in oculorum doloribus, caligine & lachrymis, ſed interno tantum uſu, *ſi ea coquatur, vel infundatur aquæ ferventi;* ſermo autem jam mihi eſt de externo ejus uſu in oculorum morbis, & de virtute foliorum ejus in nares intruſorum & ibidem per horam dimidiam aut integram detentorum.

Proletariæ res notitiæ eſt, quod in celebriorum pulverum ſternutatoriorum compoſitionibus compareat Betonica. Magni quondam nominis Archiater Bavaricus, *Müllerus*, primum betonicæ locum tribuit in pulvere ſternutatorio olim famoſiſſimo, cujus deſcriptionem com-

 municat

municat THIERMAIERIUS *Lib. II. Scholior. & Consilior. Medic. cap.* 9. *p.* 135. *In pulvere sternutatorio Nordlingensi* Betonicæ floribus suus tribuitur honos. In celeberrimi viri Dn. D. HOFFMANNI pulvere sternutatorio, cujus descriptionem Clariss. Dn. REIMANNUS in *praxi medica ex Hoffmanni Manuscriptis concinnata* adducit, etiam Betonica deprehenditur. Succum sternutatorium *Frid.* DECKERI in *Exercitat. pract. circa medendi methodum pag.* 8. allegatum, Betonica recens ingreditur. Ex quibus omnibus patet, usum Betonicæ externum, naribus nempe immissæ ad derivandos in eas humores, & olim fuisse & hodie esse communem. Nec ophthalmicum Betonicæ usum externum ignotum fuisse, patet ex responsione BARTHOLINI ad D. HANNEMANNUM in *Actis Haffniensibus Volum. II. p.* 245. in qua refert, ex *Bellocati* traditione laudatam fuisse aquam ophthalmicam ex Vino Rhenano in quo infusa fuere fœniculum, betonica, ruta, euphrasia, chelidonium majus, farfara & triticum; sed, ut jam dictum, modus ille adhibendi Betonicam in variis oculorum affectibus, quem commendat, post Principem Nassovium, dignitate, eruditione & genere Illustris Eques Anglus, hoc peculiare habet, quod folia ejusdem integra, non in pulverem redacta, nec sociata aliis, sed sola naribus intrusa, & per aliquot horæ quadrantes detenta, singulare quidpiam præstent in Epiphora, seu Ophthalmia serosa, in impedita humorum per vascula resorbentia reductione, in vasis lymphaticis, per tunicam retinam copiosissime disseminatis, tumentibus, aut distentis, & in aliis oculorum vitiis, id quod, experientia multiplici fretus, verum esse sincere testor. Vix aliquis, ni-

si

ſi periculum fecerit, credet, quanta humorum copia ex naribus, poſt applicatam eo, quem indicavimus, modo, Betonicam cum manifeſta affectuum commemoratorum ſublevatione effluet. Non tamen cum prælaudato equite, Dn. *de* TEMPLE ſpecificam in jam enumeratis oculorum vitiis virtutem Betonicæ adſcribere auſim, optime gnarus, non tantum ex glandula innominata, ductibus hygrophthalmicis prædita, ex punctis lachrymalibus, ſacculo lachrymali atque canalibus lachrymoſis ope Betonicæ ſuperfluos ſeroſo-lymphaticos humores educi, ſed & ex ſinu frontali, ex antris Highmorianis, in maxilla ſuperiori formatis. nec non ex membrana mucoſa, &c. eosdem opitulante Betonica educi.

(*Wratislaviæ Erfordiam transmiſſa d.* 18. *Octobr.* 1735.)

OBSERVATIO CXI.

DN. D. WILHELMI ANDREAE KELLNERI.

De

Unguibus hemiplectici haud creſcentibus.

EXercuerunt curioſi rerum naturalium ſcrutatores ingenia ſua, in iis etiam, quæ ad ungues & pilos attinent, obſervandis. Sunt, qui pilorum & unguium augumentum, etiam poſt mortem dari opinantur:

tur: Sunt autem & alii, qui judicium ea in quæstione suspendunt: Ita celeberrimus olim WEDELIUS in *physiologia reformata cap. VIII. p.* 213. in quæstione, de pilorum & unguium augumento, etiam post mortem, *mavult* ἐπέχειν, *donec plenioribus res confirmetur experimentis;* sunt denique, qui, fieri hoc augmentum posse, æque negant, ac si quis dentes, digitos aut nares etiam in mortuis crescere, statuere vellet. Per experientiam constat, phthisicis hecticisque valde augeri ungues inque morbis aliis nonnunquam debitam excedere longitudinem docente FRANCKENAU in *Onyxologia curiosa.* §. 37. Solet etiam post graviores morbos, fieri secessio unguium spontanea, teste HAGENDORNIO in *observat. Med. Centnr. III. obs.* 63. Mihi in praxi medica versanti, observationes eadem in re obtigerunt, quæ diversos effectus ostendunt. Cum enim anno 1734. mense Majo versarer in sanando juvene quodam litterato, hypochondriaco, cujus manum & pedem dextri lateris, paresis ex colica, motu privaverat, is ipse, octo elapsis diebus circiter, ungues enervati lateris monstrabat, nullum accipientes incrementum, quod in latere altero integro, notabatur sat distincte. Superato morbo, nulla amplius in augmento unguium observata fuit differentia, sed redibat augmentum naturale prius. Aliter sese habebat res penes duos viros, eodem tempore hemiplecticos. In his enim augmentum unguium utriusque lateris non differebat. Causam in structuræ diversitate, in morbi gradu aut majori, aut minori, aliove modo reperies, si ad phænomena singula attendere velis.

OBSER-

OBSERVATIO CXII.

DN. D. WILHELMI ANDREAE KELLNERI

De

Ictero particulari unguium.

NOtatu omnino digna ſunt, quæ de valetudinis dijudicatione ex unguibus, tradunt LENTILIUS in *Miſcell. pract. part. II. p.* 482. *ſeqq.* BARTHOLINUS in *Act. Haffnienſ. Vol. I. obſ.* 32. de *unguibus nigris*, & *Vol. V. obſ.* 25. de *criſi morbi per ungues:* Adde hiſtoriam de *unguium ictero particulari utriusque manus* D. D. BEHRENS in *Annalib. Uratislau. Tentam. XIX. pag.* 199. Obſervationem aliam, oppido curioſam, mercator peregrinus, de ſe ipſo, mihi anno 1734. narravit: Se venæſectionem, ingruente ſenectute (annum enim agebat ſexageſimum tertium,) præterlapſo æquinoctio vernali omiſiſſe, cui â multo tempore quotannis iterata vice in brachio aſſvetus fuerit; mox dein eveniſſe, ut brachium ſiniſtrum, quod venæ ſectionis ordo tetigiſſet, evaderet grave, agilitate orbum, ut vix ſufficeret eidem attolendo. Evaneſcente autem poſt aliquot menſes, hoc incommodo, in unguibus manus ſiniſtræ colorem flavum, ictericis proprium, in conſpectum veniſſe, quo eorum tota ſuperficies, uti ipſe ego vidi, erat tincta, ſalvis reliquis partibus omnibus. En ſpecimen affectus haud immerito *Icteri particularis critici* nomine inſigniendi: Qualem in mammis

annotavit PAULINI in *obſervat. med. phyſ. Cent. II. obſ.* 36. Quæſtio autem eſſet digna examine, quare materia illa vitioſa, ſive bilis redundans ex ſanguinis abundantia prognata, hic tantummodo unius lateris occupaverit ungues; ſi provocare ad ens aliquod vitale quis velit, ſive ad naturam, ille obſcurum per æque obſcurum explicaret.

OBSERVATIO CXIII.

DN. D. VVILHELMI ANDREAE KELLNERI.

Verbera dyſenteriæ medicina.

VErbera occaſionem nonnunquam curationibus morborum fortuitis, ſubminiſtrare, notum eſt. Sic anno 1733. menſe Septembri, novi duos agreſtes, maxime robuſtos, patrem & ab ipſo genitum, ob verbera accepta male ſe habentes, meæ curæ fuiſſe commiſſos qui referebant, ſe dyſenteriâ illo tempore epidemica jam per aliquot dies laboraſſe, eodem autem fere, quo verbera infligebantur, momento â malo illo fuiſſe liberatos: Utrum affectus iræ in ſocietate cauſarum ſit adſciſcendus, aliæve cauſæ adjungendæ, alii diſpiciant.

OBSERVATIO CXIV.

DN. D. VVILHELMI ANDREAE KELLNERI.

Sitis variolas comitantis importunissimæ, rarius exemplum.

MIhi, quæ de siti immoderata materiæ arthriticæ retentionem insecuta, scribit RIVERIUS in *Cent. III. obs.* 22. expendenti, occurebat alia, non minoris momenti historia. Variolis anno 1734. epidemice grassantibus, duodecim annorum puella, prægressis convulsionibus iis quoque corripiebatur, sed discretis & satis benignis: Appropinquante suppurationis periodo, loco puris, ichorem tantum concipiebant, accedente purpura alba, non sine vitæ periculo. Superveniebat præter spem sitis intensissima; ægrota enim illa, insatiabili bibendi desiderio abrepta, ut ad sitim restinguendam vix sex mensuræ loræ cerevisiariæ, vulgo Covent, intra spatium XXIV. horarum, sufficerent: Respondebat urinæ quantitas, quantitati potus. Siti interea adeo laborabat ægrota, ut vix somnum capessere posset. Duravit illa per tres dies, nullo graviore symptomate accedente: His elapsis, decrevit iterum sitis & ægrota pristinæ valetudini restituta fuit. Medicamentis & subacidulis cedebat tandem gravissimum hoc symptoma. Aliud de siti, cum crepusculo vespertino invadente, accedente vero diluculo evanescente, rarissimum exemplum, exhibent *Ephemerides Natur. Curios. Dec. II. Ann. V. obs.* 44.

OBSERVATIO CXV.

DN. D. VVILHELMI ANDREAE KELLNERI.

De

Sudore particulari in nucha & dorſo, variolas excipiente.

EAdem puella, de qua antecedens agit obſervatio, ab hoc malo vix liberata, alio, itidem raro, implicabatur morbo. Variolarum nempe curatione ad finem perducta, ſudor ê poſteriori colli parte, cum aliquali, cutis rubore & ardore erumpebat copioſiſſimus, qui intra XXIV. horas, hunc locum omnino deſerens, dorſum, eodem modo, usque ad nates occupabat, ubi intactis reliquis aliis partibus, poſt aliquot dies, evaneſcebat. De ſudore particulari, variæ â variis Auctoribus, litteris conſignatæ ſunt obſervationes, ê quibus hoc loco eas tantum nominare libet, quas PECHLINUS in *obſ. med. phyſ. Lib. II. obſ.* 52. *p.* 335. *ſeqq.* & *Commercium litterarium Anno* 1732. *hebd. VI. p.* 43. *ſeq.* proferunt. Interim nemo ibit inficias, hunc caſum ita eſſe comparatum, ut judicatu admodum ſit difficile, utrum inſolitum hoc ſymptoma, â variolis, vel purpurá, an â nimia hauſti potus quantitate, originem traxerit.

OBSER-

OBSERVATIO CXVI.

DN. D. VVILHELMI ANDREAE KELLNERI.

Tuſſis, emplaſtro Tacamahacæ, vertici impoſito, provocata.

QUod PISO *de morbis ex ſeroſa colluv. obſ.* 53. *p. m.* 180. de tuſſi à frigore hyemali, ad capitis verticem & ſuturam coronalem admiſſo extemplo ſuborta, annotavit, id mihi anno 1734, menſe Auguſto obſervare contigit, in viro robuſto, aphonia, ab inſultu apoplectico, relicta, laborante, poſt applicationem Emplaſtri Tacamahacæ ad verticem, quod in ſenili affectu GOCKELIUS in *conſil. med. Cent. II. obſ.* 88. *& ſeq.* ſummopere commendat. Etenim, elapſo vix horæ quadrantis ſpatio, ægrotus ille vehementi corripiebatur tuſſi, quæ prima vice, ultra unius horæ ſpatium durabat. Secundo, tertio, quarto & quinto die, poſt hujus emplaſtri renovationem, tuſſis, licet indies mitior, revertebatur, haud tamen absque notabili loquelæ reſtitutione. Verticem congruum eſſe locum, cui varia, variis morbis dicata remedia, cum fructu admoveri poſſunt, experientia jam diu docuit. Utrum vero ille effectus, oſſium verticem conſtituentium tenuitati, juxta CAMERARIUM *in Syllog. memor. med. Cent. V. artic. XI. pag.* 267. an poris à *Clopton* HAVERS in *Oſteol. p. m.* 63. deſcriptis, ſit attribuendus, aliis dijudicandum relinquo. Interim ex hac obſervatione colli-

gere licet verticem aptissimum quoque præbere locum, cui ad vim tussis infrigendam, sive, uti veteres loquuntur, ad catarrhi in pulmonem ruentis cohibendam ferociam, remedia commode applicari possunt. Quæ SALMUTHUS in *obs. med. Cent. I. obs.* 69. in medium profert de tussi, mediante cataplasmate, ex variis aromatibus, pipere præsertim, constante, uteri regioni applicato, & pudendo profundius immisso, excitata, cujus beneficio spina gulæ inhærens, feliciter fuisset expulsa, ulteriori experientiæ suffragio indigere videntur.

(*Isenaco Erfordiam transmissa d. 13. Novemb. 1735.*)

OBSERVATIO CXVII.

DN. D. IOH. GEORG. HOYERI.

De

Felici Hæmoptyseos quinquagenariæ curatione.

Hæpmoptysin vel incautè & minus rationaliter stypticis fortioribus, præmature, nullisque resolventibus interpositis, in usum vocatis, ulcus insanabile pulmonum, cum corporis contabescentia, post se trahentibus, tractatam, vel ab ipsis ægris, ob sanguinis floridi sensim sensimque fientem absque doloris sensu excretionem, improvide neglectam, dum fere cum latice purpereo vita profunditur, lethalem plerumque sortiri even-

eventum, non quotidiana ſolum ſuo comprobat experitia ſuffragio, ſed & ipſe ita canens Poëta:

Cernis ut ê molli ſanguis pulmone remiſſus
 Ad ſtygias certo tramite ducit aquas.

Cum itaque celeberrimus CONRINGIUS *in diſſ. de Hæmoptyſi* in Academia Julia habitâ, hæmoptici, per viginti quatuor annos non absque admiratione conſervati mentionem injiciat, hinc & nos rariorem de hæmoptyſi per quinquaginta ferme annos feliciter ſemper mitigata, obſervationem in ſcenam producere non dubitavimus.

Vir primarius, *Georgius Andreas Plathnerus*, ICtus, civitatis Molhuſinæ Syndicus, &c. ſanguineo-cholericus ac ſcorbuticus, quinquaginta propemodum ab hinc annis in Academia Salana Themidi litans ac defluxionibus catarrhalibus laborans, hæmoptyſi, modico medicamentorum uſui brevi cedente, corripiebatur, quâ vero, in Academia Ludoviciana degens, biennio elapſo rurſus adfligebatur, unica tamen venæ ſectione, una cum lactis curâ, amici ſuaſu in uſum tractâ, ſedatâ, ſed in patria, mutato, *D. D. Strauſii* P. P. conſilio, climate haſſiaco, mox vehementius recurrente; varia hunc in finem medicamenta ſaccharata, decocta, purgantia, â Medico quodam veterano, ſed in caſſum exhibita, aſſumebat. Cum vero malum in pejus rueret, & æger cum ſanguine copioſo ſimul calculos ac arenulas per tuſſim rejiceret, alia ratione illi obviam ire conſultum videbatur; eaque propter Mixtura ex elixir. pectoral. Wedelii. Eſſ. travmatic. Hagendornii & Tinct. anodyna, conflata, nec non Tinctura antiphthiſica Gramman. Pulveres ſtyptici cum reſolventibus mixti, & decocta ex rad. & herbis pectoral.

al. & travmaticis cum ſucceſſu propinabantur, quo tamen non obſtante, mutato cælibatu cum matrimonio, ſequentibus annis malum, ſola vero lactis cura ſedatum, tribus vicibus haud absque phthiſeos ſubſecuturæ metu, redibat. Quoniam vero patiens, qui priſtinæ ſanitati ſe reſtitutum putabat, varios circa res nonnaturales admittebat errores, & animi pathematibus, quibus ob munus, quo fungebatur, publicum erat obnoxius, indulgebat, prægreſſis defluxionibus catarrhalibus, tuſſi ſicca & dolore pectoris gravativo ſtipatis, anno 1699. menſe Januario hæmoptyſis, ſingulis ſex horis repetens, & pulſu celeri, calore intenſo & aliquali ſiti comitatæ, tanto recrudeſcebat impetu, ut etiam fortiorum medicamentorum ſtypticorum vim eluderet, & quamvis largior in brachio adminiſtrata venæſectio dolorem pectoris gravativum allevaret, nihilo tamen minus poſt ſex horas ſanguis cum tuſſi excernebatur largius, vires magis magisque proſternebantur, & æger de ſanitate recuperanda deſperans, magis de animæ quam corporis ſalute ſollicitus, S. Euchariſtiam deſiderabat, inſimul tamen efflagitabat, ut, omiſſis reſolventibus, ſolis ſtypticis laticis vitalis ſiſteretur profuſio, ideo pulveres ex corall. rubr. terra japon. bol. armen. lap. hæmatit. & anodynis, it. pilulæ circa noctem ſumendæ & ad ſitim fallendam, potiones ex adſtringentibus ad modum Sylvii paratæ, nec non decocta ex adſtringentibus, pectoralibus & travmaticis concinnata, propinabantur, quæ tamen omnia nihil aliud efficiebant, quam ut alvum, ſuppoſitoriis ſui monendam officii, conſtiparent. Non minus tum ſanguinis per pulmones, tum ſeri per corporis peripheriam, nimii ſudoris forma, excretionem cohibendi cauſa in uſum vocabantur

bantur eſſ. antiphthiſic. Gramman. & electuarium ex ſem. hyoſciam. pap. alb. conſerv. roſar. antiqv. paratum, cujus quidem uſum dolor capitis obtuſus, & placidus profundusque excipiebat ſomnus, ſimul vero etiam ſanguinis minuebatur rejectio, minime tamen penitus ſiſtebatur, licet alia medicamenta, ex margaritis, unicorn. foſſil. &c. parata, ſubjungerentur. Hoc igitur in ſtatu æger, memoria repetens lactis curam olim proficuam, enixe rogabat, ut lactis chalybeati uſus ſibi permitteretur, id quod etiam pertinaci huic malo ferebat ſuppetias, illudque tandem extirpabat. Ne vero ſanguis extravaſatus in pulmonum bronchiis ſubſiſtens, corruptionem ſubiret, illorumque produceret exulcerationem, aliquot doſes ſpermat. ceti, reſolutionis & expectorationis ergo exhibitæ, curæ colophonem imponebant. Aſt, licet priſtinæ ſic reſtitutus fuerit ſanitati, hac tamen vix per triennium gaudebat: Ob enormiores enim interea temporis in diæta commiſſos errores, catarrho jam laborans, aliorſum cauſam agendi gratia vocatus, ſex milliarium iter rhedâ vectus faciebat, quo vix confecto, ob motum forſitan fortiorem aliasque cauſas, rurſus hæmoptyſin incurrebat & inſignem ſanguinis copiam per tuſſim rejiciebat. Medicus ejus loci ordinarius accerſitus, malo huic, adminiſtratâ prius phlebotomiâ, liquore ſtyptico aliisque medicaminibus obviam ire ſatagebat, ſed effectus intentioni minime reſpondebat, quam etiam ob cauſam de ægro actum eſſe putabat. Verum enim vero quinto decubitus die, noſtrâ imploratâ ope, ſuperius jam laudatis medicamentis alterum jam pedem in charontis cymba habentem ægrum ê lethi faucibus, non absque adſtantium admiratione, eripuimus, qui, frequentioribus hiſce hæmopty-

moptyseos insultibus sat gravibus ac periculosis edoctus, dein cautius mercari, præscriptasque diætæ regulas exactius observare didicit, siquidem hac ratione una cum V. Sne circa æquinoctia & solstitia reiterata, leviores hujus mali insultus præoccupabat, & integra pluribus annis fruebatur valetudine. Sed cum rursus â diætæ regulis deflecteret, anno 1722. prægresso dolore pectoris gravativo, denuo hæmoptysis illum invadebat, quæ, quoniam cum consuetorum & olim proficuorum jam memoratorum, tum aliorum probatissimorum medicaminum vim spernebat, adstantes hujus sexagenarii ægri, per triginginta & quod excurrit annos hæmoptysi sæpius adflicti, vitæ instare terminum opinabantur. Ne itaque nihil intentatum relinqueretur, plures in consilium adhibebantur Medici, quorum nonnulli ex neotericorum mente, stypticis & resolventibus nitrosa majori dosi jungenda esse, quamvis invito & reluctante Medico ordinario consultum putabant, quid? quod eorum quidam non verebatur, Medico ordinario absente pulverem ex nitri & rhabarb. alexandr. āa gr. XV. alvum laxandi fine, propinare. Ast largiorem nitri usum largior quoque sanguinis expectoratio, magno virium dispendio, excipiebat. His itaque pariter nihil proficientibus, sed potius noxiis, celeberrimum serenissimi cujusdam Germaniæ Ducis, aliquoties hæmoptysi laborantis ac restituti, archiatrum consulebat Medicus ordinarius, genuinam medendi methodum, in serenissima persona adhibitam, sibi expetens. Hac obtentâ ad acrimoniam humorum contemperandam ordinabatur 1) Decoctum ex rad. bardan. recent. symphyt. maj. sarsaparill. herb. tussilag. millefol. heder. terrestr. Flor. pap. rh. rasur. liquirit. lign. santal rubr, passul. min. cum aqua

paran-

parandum & quater de die ad duos, tres, vel quatuor cyathos hauriendum; 2). Potiuncula balsamica sequens. Rec. Balsam. Vulnerar. Dippel. ℥ij Syrup. Tussilag. dialth. Fernel. ana ʒj. M. quæ vel cum decocto, vel per se absque vehiculo in usum vocari potest. 3.) Rotulæ pectorales ex Spec. diatragacanth. frig. diair. Salom. Trochisc. de Carab. c. Sacchar. in aqua tussilag. & violar. soluto, paratæ, & circa noctem ad no. iij. vel IV. assumendæ, ad acrimoniam irritantem & tussim provocantem corrigendam. Sanguinis vero rarefactioni opponebantur pulveres temperantes ac præcipitantes ex matr. perlar. rasur. ebor. succin. præpar. bez. joval. nitro depurato compositi. Notandum, hoc in casu nitrum refracta dosi, ad gr. ij. nimirum pro dosi, minime negligendum esse, sed exoptatum edere effectum; quoniam vero largior ejus usus sanguinem reddit fluxiliorem, ut quâ datâ porta ruere possit, omnino propterea noxius ille habendus erit. Hæc autem recensita medicamenta semper levamen nostro adferebant ægro, sanguine per pulmones exitum moliente, cum primis simul instituta aliquot diebus ante solstitia & æquinoctia V. Sne in talo, hac enim procrastinatâ, vel ob ætatis rationem plane omissâ, statim sanguis in pulmonibus secessum obtinebat & per tussim rejiciebatur. Quoniam vero partim ob senium, partim ob dispositionem ad hecticam, ejus corpus admodum erat emaciatum, ideo congrua eidem injungebatur diæta, interdicendo alimentis acidis, salitis, aromaticis, potulentis spirituosis, & commendando gelatinosa, evpepta ac evchyla, potum vini oligophori & cerevisiæ cum sal-


via fermentatæ; item decocti hordei cum cornu cervi scorzoner. Glycyrrh. santal. rubr. & denique alvum sui monendo officii pilulis balsamicis laxantibus. Et hæc est methodus, qua patiens noster ad annum ætatis sexagesimum nonum conservabatur, qui tandem tam ob senium, quam curas ac labores, memoriæ debilitate, immodica somni cupiditate & comate somnolento correptus, debitum naturæ reddidit.

SCHOLIUM.

SEmper quidem *sanguinis sputum*, seu Hæmoptysin, *si diu tenet*, *in tabem transire* autumnat *Iodocus* LOMMIUS, *Observat. medicin Lib. II. p. m.* 140. deficiente tamen experientiæ suffragio, siquidem eandem aliquando per plures annos, citra eximium quoddam sanitatis detrimentum, aut ullum phthiseos periculum, continuasse, imo quibusdam subjectis adeo solennem & quasi habitualem fuisse, variæ practicorum observationes testantur, ut sub ejus suppressione, diuturniori emansione, plura semper, quam sub legitimo successu, persenserint incommoda. Ita *Ioh.* RHODIUS *Cent. II. Observ. med.* 30. mulieris cujusdam, singulis aut alternis mensibus impune sanguinem exspuentis, atque cessante hac evacuatione pejus se habentis reminiscitur. Sic quoque PLINIUS *Lib. XI. cap.* 38. refert, Volusium Saturninum omnibus annis stato tempore sanguinem ex spuisse, & nihilominus ad annum usque nonagesimum vixisse. BRECHTFELDIUS in *Actis Med. Haffniens. Volum. I. Obser.* 105. exemplum Hæmoptyseos adducit, bis ut plurimum in anno enormiter contingentis, minime

me vero in Phthisin desinentis. SENNERTVS *Lib. II. pract. med. part. III. cap.* 7. *p.* 384. virum nobilem plethoricum notum sibi fuisse commemorat, qui per intervalla sæpe ê pulmone sanguinem copiosum sine omni incommodo rejecerat, & nihilo minus ad summam senectutem pervenerat. Porro TULPIUS *Observ. Med. Lib. II. cap.* 11. sputum sanguinis triuginta annorum, & Celeberrimus *Dn. D.* ALBRECHT, *Ephemer. Academ. nostræ Dec. III. Ann. V. & VI. Observ.* 24. periodicam Hæmoptysin quadraginta annorum sistit, quibus etiam exemplum, olim in *Annalib. phys. Med. Wratislav. Ann.* 1725. *M. Majo Class. II. p.* 482. *seqq.* â me recensitum, de Hæmoptysi per 18. annorum decursum, in fœmina cæteroquin sana, durante, adjungi meretur. Docent autem singuli hi casus, non omnes indiscretim, ex incongruis licet locis contingentes, & idcirco pro sonticis vulgo reputantes hæmorrhagias, omni tempore periculosas ac noxias esse, sed potius quandoque aliarum salutarium vices gerere, eaque propter, si inprimis habituales jamjam redditæ fuerunt, minime impetuose cohibendas & supprimendas, sed tantum suspectos illarum excessus caute præoccupandos ac reliquum Deo & Naturæ committendum esse.

(*A. E. Büchnerus.*)



OBSERVATIO CXVIII.

DN. D. IOH. GEORG. HOYERI.

De

Perversa & infelici Hæmoptyseos curatione.

VIr juvenis, M. Gottlieb Plathnerus, vicini loci pastor, 24. annos natus, temperamenti melancholico-sanguinei, antehac dysenteria hæmorrhoidali adflictus, sed plurimis aliis medicamentis incassum adhibitis, antidysenterico Americano, Ipecacuanha puta, ad methodum Illustris LEIBNIZII, in *Appendice Dec. III. Ephemer. Acad. nostræ Anno III.* descriptam; usurpatâ, ab ea liberatus, post prægressos vehementiores corporis motus, de pectoris angustia & anxietate, respiratione difficili stipata, conquerebatur. Huic metu hæmoptyseos subsecuturæ, quippe mali hæreditarii, quo avus & parens laboraverat, eram svasor imminuendæ sanguinis quantitatis, & quidem vel phlebotomiæ, vel fluxus hæmorrhoidalis, appropriatis jamjam excitati medicamentis, adminiculo. Ast consilio hoc susque deque habito, præscriptisque medicaminibus neglectis, memorata pectoris angustia statim rejectionem insignis sanguinis floridi quantitatis per tussim habebat pedissequam, cui, nobis absentibus, tres alii in consilium adhibiti Medici, V. Sne præmissa, stypticis travmaticis, ex Croc. Martis adstringente aliisque hujus farinæ conflatis, sup-

ſuppetias ferre ſatagabant. Licet vero deſiderato potirentur fine, brevi tamen poſt ægrum invadebat febris intermittens erratica, certum non ſervans typum, modo quotidianam, modo tertianam mentiens, quam Medicus quidam frequentiori ac largiori Chinæchinæ uſu aliisque medicamentis febrifugis ac pectoralibus fruſtra impugnabat, & æger paucorum ſeptimanarum ſpatio tabe admodum conſumtus, auctâ pectoris anguſtia reſpirationisque difficultate, præter omnium opinionem animam ſuo reddebat Creatori.

Cadaver Prænobiliſſimi Dni parentis juſſu prematuri fati cauſam rimandi ergo in trium memoratorum Medicorum meique præſentia cultro ſubjectum anatomico, primitus ſtupendam corporis maciem, brevi temporis ſpatio obortam obtutui offerebat, ita quidem, ut panniculus adipoſus penitus fuerit conſumtus & cutis oſſibus ſaltem hæſerit. Aperto thorace, omnium pulmonum loborum, inflammatorum, ex parte ſcirrhoſorum, ſanguineque coagulato refertorum, & in ſuperiori ſiniſtri loci parte exulceratorum, obſervabatur cum pleura coalitus. Omnia abdominis viſcera nulla contaminata erant labe, & licet ventriculus & inteſtina flatibus eſſent diſtenta, glandularum tamen miliarium ſtatus ſaniſſimus deprehendebatur. Ex his itaque ſatis ſuperque conſtat, primariam mortis prematuræ cauſam exiſtere hæmoptyſin, ſtypticis, reſolventibus non remixtis, ſuppreſſam; ſanguis enim in pulmonibus extravaſatus, reſolventibus ad excretionem minime aptus redditus, ſed in materiam purulentam degeneratus, induxit febrem ſymptomaticam ſive hecticam, quæ rurſus perverſe, ad intermittentis inſtar, cortice Chinæ,

maſ-

massam sanguineam incrassante, & ad circulationem per pulmones, jamjam â sanguine extravasato & materia purulenta obstructos, inhabilem efficiente, tractata non potuit non peripnevmoniam, viri juvenis, in ætate florentissima constituti, vitæ filum abrumpentem, post se trahere.

OBSERVATIO CXIX.

DN. D. JOH. GEORG. HOYERI.

De

Orexalgia recens natorum infantum.

MIrandus est sane nonnullarum gravidarum appetitus, quando varia non solum alimentosa, sed etiam prorsus absurda quandoque desiderant, magis vero admiratione dignum, quod, si rebus appetitis vel desideratis non potiuntur, vel desiderii cujusvis compotes non fiunt, editi in lucem fœtus eodem appetitu & desiderio, quo gravidæ matres ante partum laborarunt, tantopere soleant adfligi, ut sæpius vigiliis continuis, inquietudine & ploratu parentibus usque molesti sint, donec rem appetitam vel desideratam consequantur, qui adfectus uno verbo OREXALGIA nuncupari potest, germanice **die Sehnsucht neu-gebohrner Kinder.** Si itaque alimentosa desiderat infans, vel cibum appetit, vigiliis, inquietudini, & ploratui labiorum suctio, vulgo **das Schmatzen/** supervenit, quæ symptomata, nisi mature illis ferantur

tur ſuppetiæ, tandem macies, ſæpius mors ſubſequitur. In ejusmodi enim caſu neque blanda cunarum agitatio, neque faſciarum mutatio nec mammarum porrectio, nec alius tractandi modus, nec medicamenta laxantia, anodyna, vel alia prodeſſe ſolent, ſed ſolummodo cibus à gravida ante partum appetitus, haud tamen impetratus, tenello eſt porrigendus. Sic memini gravidam quandam halecis eſum appetiiſſe, nec impetrare potuiſſe, cujus infans in lucem editus admodum erat inquietus labiisque ſugebat, donec halecis tantillum accipiebat, quo comeſto optime ſe habebat. Plura vero hujus farinæ exempla ſilentii peplo involvere lubet. Sin autem matris forſan animum non ſubeat memoria rei deſideratæ, aut cibus vel potus, quem appetiit, impetrari non poſſit, vinum Malvaticum, Hiſpanicum Toccavienſe, Canarienſe, vel aliud quidpiam corroborans propinandum eſt fœtui, & his ſine ſucceſſu tentatis, tandem lac aſininum in uſum vocandum, quo ad ſumto, haud raro placide quieſcit, labiis amplius non ſugit, ſed ex voto nutritus, notabile incrementum capit. Majori vero admiratione dignum eſt, quod non ſolum de alimentis hæc valeant, ſed & de aliis quibusvis rebus â gravida matre deſideratis, ob quarum defectum recens nati ſæpe adeo male ſe habent, ut deſiderio ſæpe rubeſcant. Sic memini beatam conjugem meam Longoſaliſſanam, graviditatis tempore iter in patriam adfectaſſe & cognatos viſitare voluiſſe, lucina vero interea temporis opinione celerius favente, ab itinere præpedita filiolum in lucem edebat ſalvum quidem & incolumem, poſt modum vero inquietum, plorantem, & atrophia tandem laborantem. Variis remediis fruſtra adhibitis, neſcia mater quomodo infanti

esset succurrendum, ac de sanitate ejus recuperanda ferme desperans, forte fortuna ad nuptias in patria celebrandas ab agnatis invitabatur, rheda itaque cum ægroto filiolo Longosalissam vecta, illum præter opinionem in itinere placide quiescentem, avidius ex mamillis sugentem, quinimo in nuptiis cibos masticatos etiam absumentem, debilem & ægrotum hinc avectum, salubriorem domum redeundem, tandem â macie convalescentem, animadvertebat. Sic etiam haud ita pridem fœmina gravida Erfordiam proficisci desiderans, voti tamen sui copos fieri non valens, itidem infantem feliciter enitebatur, continuo ploratu, quamdiu in hypocausto & ædibus paternis servabatur, molestum, ex ædibus autem gestatum, â ploratu abstinentem & quiescentem. Consultus eo nomine Medicus ex matre sciscitabatur, an graviditatis tempore forsan peregre abire desiderasset? quæ cum responderet, se libenter Erfordiam iter facere voluisse, nec potuisse, consultum putabatur, ut cum infante sine mora ulteriori Erfordiam proficisceretur, quo facto, infans ex voto in ædibus paternis non quiescens convalescebat. Alia gravida concentum instrumenti musici, vulgo ein Pohlnischer Bock nuncupati audire gestiens, infantem pariebat male se habentem, continuo plorantem & usque inquietudine vexatum, donec dictum audiret instrumentum, abinde enim statim placidissime quiescebat, quam observationem Nobilissimus Dominus Licentiatus *Menz*, physicus ordinarius & consul Longosalissanus haud ita pridem nobiscum communicavit.

Ex dictis itaque phænomenis satis elucescere videtur 1) infantum morbos altioris esse indaginis, quam adultorum, quoniam hi voce articulata, illi non nisi gemitu

& plora-

& ploratu dolores, adfectus & morbos explicare norunt, ideoque vix omnes infantiles morbos â practicis hactenus fuisse enucleatos & descriptos; 2) admirandam esse fœtus cum matre gravida sympathiam â spirituum animalium consensu derivandam; 3) gravidis nihil, quod anxie desiderant, & appetunt denegandum esse.

OBSERVATIO CXX.

DN. D. IOH. GEORG. HOYERI.

De

Virgine, cute hirsuta densisque minoribus setis obsita, in membris inferioribus deformata.

DE puella toto corpore hirsuta BORELLUS *cent. Observ. XV.* historiam refert, censens, capillorum proventum arte fuisse productum. Ast plures vel ob errorum naturæ, vel ob ideam gravidarum peregrinam conceptam, pilis in his vel illis partibus & membris deformatas esse, docet experientia. Et quod majore dignum admiratione, novi virginem, ex generosa stirpe prognatam, visu satis formosam, roseo vultu, labiis corallinis, nivea cervice ac mamillis alabastrinis â natura exornatam & cute ad umbilicum usque formosissima præditam, infra umbilicum vero tam in abdomine quam pudendis porci seu suis instar setis minoribus densis obsitam ac pessime deformatam. Hanc tandem generosius

quidam juvenis, immenſo erga ipſam amore ſuccenſus, invitis licet parentibus, & ut filiæ, ob monſtroſam hancce partium inferiorum conditionem, cælibatum præ matrimonio eligeret anxie optantibus, uxorem ducebat, brevi autem poſt, ob inſignem iſtam deformitatem tanto proſequebatur odio, ut divortium ſtatim quæreret, quod etiam, dictarum circumſtantiarum intuitu facile obtinuit. Sic quoque aliam novi virginem primariam, in partibus anticis ſatis formoſam, in dorſo vero inſtar ovis lanigeram ſeu totam lanuginoſam, cum qua centurio quidam matrimonium inibat, atque antica formæ & pulchritudine contentus, deformatum dorſum parum curans, poſtmodum conſtantiſſimum erga ipſam amorem fovebat.

(*Molkuſæ Erfordiam miſſæ d.* 14. *Novemb.* 1735.)

OBSERVATIO CXXI.

DN. LIC. PAUL. HENR. VOGELII.

Hiſtoria morbi ſcorbutici inſoliti, paucis abhinc annis Erfordiæ obſervati.

NOn obſtante magno & vario diſſenſu, qui ab omni tempore ſcholas Medicorum in diverſas abripuit partes, in eo tamen priſci æque ac moderni ad unum omnes conueniunt, ſua cuivis morbo ſigna eſſe diagnoſtica, quorum ſtudioſæ collectionis & inter ſe collationis ope cognoſcatur & ab omnibus aliis diſcrimetur, idque primum Medici negotium apud omnes,

quos

quos curandos in se suscipit ægros, esse necessario debere, ut integra percepta morbi historia, cujus partem etiam signa sic dicta anamnestica constituunt, omnibusque sedulo exploratis ægri circumstantiis, quâ præcise morbi iste laboret specie, ex iisdem eruat, idque haud oscitanter, nec perfunctorie, aut præcipitanter, sed qua fieri potest ἀκριβείᾳ agat: Tum enim demum ea præscribi & ordinari cum ratione & judicio posse, quæ oppugnando accomodata erunt morbo. Id vero inter potiora referre nulli dubitamus, quibus solide eruditus Medicus â turpi se distinguit Empirico, ita optime monente HAMILTONE, de Praxeos Regulis, Cap. II. *Notæ characteristicæ, quibus Medicus proprie sic dictus â medicastrorum turba vere distinguitur, sunt istæ, nimirum: Morbum originalem expiscari; & deinde morbo opposita præscribere.* Hæc regula in scorbuto & inde scaturientibus morbis inter alia inprimis etiam observari meretur, cum ob symptomatum syndromen & diversitatem non levis momenti res sit, exacta & distincta eorum cognitio. Quod vero hac in re â nobis præstitum sit ê præsenti, quorum interest, historia judicabunt.

Aggreditur autem morbus, quem delineare suscepimus, ut plurimum universali animi atque corporis torpore & segnitie, in puerili, juvenili ac florenti ætate constitutos, idque vel absque alio antecedente contingit morbo, vel alio, seu acuto, seu chronico, vix exeunte. Insequitur febris apparenter mitis, horripilationibus & calore p. n. frequenter vices mutantibus, in gradu utrinque remissiore, qui ægros non continuo lecto affigit, imo haud raro in conclavi obambulare permittit.

typum observat modo regularem, horis pomeridianis aut vespertinis paroxysmos repetens, modo irregulariter, nullo servato ordine, semel, bis vel pluries intra nycthemerum renovans invasiones. Facta hinc post aliquot dies aliqua per urinas crisi, quæ saturate rubicundo colore tinctæ, copiosum deponunt sedimentum, aut per sudores, expectorationem, aut modicam diarrhoeam, pro criseos ratione, tunc ad brevius vel longius tempus protrahitur morbus, qui tamen data qualicunque occasione, si non atrocius, certe haud mitius denuo recurrit, similem priori scenam ludens, paucis subinde pro circumstantiarum ratione, mutatis. Quanquam verò â repetitis hujusmodi morbosis insultibus congrua remediocum pharmacevticorum & diæteticorum administratione cum sanitate in gratiam rediisse videantur ægri, brevis tamen durationis haud raro valetudinem restauratam experiuntur, morbo paucorum intercapedine mensium atrocius, quam ante, denuo infestante, majore non solum virium prostratione corporisque marcescentia magis conspicuis, sed & novis & gravioribus ingruentibus symptomatibus, inter quæ præcipue attendi merentur, exquisitissima cutis sensilitas, qua ad levem qualemcunque, etiam in conclavi calefacto aëris agitationem ita horret, quasi frigidi flatu venti constringeretur, inappetentia, pectoris cum suspiriis oppressio, tussicula, pulsus parvus & debilis, ægris tamen adhuc decubitum in lecto subinde cum orthostadia permutantibus: Sub quali morbi statu, elapsis septem, quatuordecim vel viginti & uno diebus, in media corporis regione hinc inde purpuracea comparent ecthymata minutissima, quibus exiguæ insident

sident vesiculæ, quæ tribus circiter elapsis diebus, ambitu rubicundo disparente, cum pelluciditate albescunt, intra paucos vero dies resiccatæ, novis denuo efflorescentibus locum concedunt, qualis scena quandoque per plures luditur septimanas, somno ut plurimum, nisi nocturno turbetur paroxyismo, integro manente & appetitu aliquali redeunte. Hæc dum ita aguntur, quandoque copiosæ maculæ purpuraceæ, violaceæ & nigricantes, diversæ magnitudinis in inferioribus potissimum partibus confertim efflorescunt, imo quandoque maculæ aliquot digitos longæ & latæ, cum aliquali cutis & subjectarum partium mollium elevatione crura obsident, sphacelum colore mentientes, at aliquot dierum decursu sugillationum instar successive iterum evanescentes, cæterum nihil levaminis aut commodi ægris largientes, siquidem quosdam abinde copiose & satis diu afflictos, nihilominus succubisse observavimus.

Extremus tandem & pessimus hujus morbi gradus est, quando materia scorbutica in pulmones irruens, eos inundans, & primo quidem seræ tussis, cum excretione sputi serosi viscidi indies copiosiore, causa existit, temporis vero successu pulmones per totam substantiam adeo corrumpit, & exulcerat, ut materia purulenta copiosissima, tetro se prodens odore ac sapore, pauco quandoque intermixto cruore vehementi & frequenter affligente tussi ejiciatur, lenta morbum comitante febre, quæ absque certo equidem typo, irregulariter tamen, modo singulis diebus, modo vero unius vel plurimum intercapedine dierum, exacerbatur, scenam semper levi quodam ad dimidiæ vel unius

horæ

horæ ſpatium durante horrore aperiente, inſequente, calore ſenſim increſcente, qui dein iterum ad novæ exacerbationis acceſſum paulatim detepeſcit. Comitantur hunc morbi ſtatum conſtans anorexia, potulentis etiam vappido ſapore ingratis, quandoque omnium averſio medicaminum, imo, reluctante natura, aſſumtorum, orto vomitu, rejectio, areſcentia corporis ſumma, exanthematum exiliſſimorum vel rubeorum maximam partem albicantium continuæ eruptiones, plus minus copioſa novis ſemper priora reſiccata & in ſquamulas ſoluta excipientibus. Tandem febris, quæ hucusque lentæ in modum ſe geſſit, in veram hecticam talis modi regularem typum ſervantem tranſit, ut quotidie pomeridianis vel veſpertinis horis paroxyſmi recurrant, copioſo cum ſudore colliquatio poſt mediam noctem vel circa auroram iterum ceſſantes. Quando ſic ad extrema fere ventum eſt, alvi dejectiones liquidæ nycthemeri ſpatio bis vel ter repetentes affligunt, & quamvis unum vel alterum diem ſubinde intermittant, frequentiores tamen & copioſiores redeunt, inſequente mox diarrhœa continua, nullis remediis coercenda, adeo, ut haud raro ægri inter deponendum animo linquantur: Ubi ſimul iſta notari meretur circumſtantia, quod ubi exanthemata rariora, in abdomine præſertim comparent, tormina quandoque vehementia antecedant vel comitentur diarrhœam, quæ hinc, largiore & copioſiore eorum, ſub ſudoribus ſubinde frigidis, ſubſequnta eruptione, ipſa cum diarrhœa cedunt, tum vero vitæ, miſeriarum valle hactenus cinctæ non multo poſt ſequitur ſolutio. Paucis nunc poſtliminio adhuc notare par erit, truculenti hujus morbi ſcenam haud raro aperire pertinaces ophthalmias, ut illi

con-

contigit ægro, cujus morbus in Disputatione de *purpura scorbutica, præcedente nimio hæmorrhoidum fluxu* sub præs. Ill. HOFFMANNI recensitus & examinatus fuit, tumores duri & scirrhosi in collo, sub maxillis, in mammis, enormes hæmorrhagiæ narium & gingivarum, rhevmatici hinc inde oberrantes dolores, atroces odontalgiæ & alia plura.

De cura hujus adeo gravis, longi & sæpe funesti morbi, adeo diversis stipati symptomatibus, vario denique schemate in principio, progressu & declinatione, juxta peculiarem cujusque subjecti habitum incedentis, atque ex universali humorum corruptela, cum unius & alterius visceris principalis labe stipata, consequentis, quid statuendum sit, neminem latere potest, qui maximas difficultates in debellando herculeo isto morbo occurrentes, judicii trutina expendit. Ad nos quod attinet, candide, ut Medicum decet christianum, fatemur, nascentem & fientem equidem morbum generosis decenti methodo adhibitis remediis refrenari, imo etiam haud raro exstirpari posse, adultiorem vero & confirmatum omnem omnino respuere medelam, nisi quod quandoque multa adhibita opera ad tempus palliari videatur; sed tamen aliquo hinc elapso tempore multo iterum prorumpat ferocior. Quod vero etiam nascens subinde non extinguatur, adolescens non eradicari se sinat, sed sensim vires acquirat eundo in causa est, quod prima morbi principia sæpe adeo lateant vel obscura sint, ut non satis observari & cognosci nec ab ægris nec â Medicis queant, vel leviori & leniori quodam modo se manifestantia parvi pendantur, aut Medicus rei gerendæ aptus non tempestive in consilium vocetur, hincque morbo sufficiens ad invalescendum tem-

pus concedatur, ut radicibus profundius immiſſis reddatur tandem immedicabilis. Nec taceamus ægros haud raro optima recuſare medicamenta, exactioris diætæ leges violare, quibus ut ſtricte obtemperent neceſſitas poſtulat, minime omnium vero remediorum aſſumendornm uſum eo usque continuare, ut in morbo adeo gravi & rebelli optatus obtineri queat eventus; ſæpiſſime etiam inconſtantia ſua, qua ab uno ad alterum decurrunt Medicum, imo relictis eruditis & in arte peritis viris ad agyrtas, ſeplaſiarios, aniculas confugiunt, damna ſibi ipſis inferre irreparabilia.

Ut vero nunc paucis noſtram de optimis remediis aperiamus mentem, B. L. latere nolumus, morbo nondum usquequaque nimium obfirmato, ad inſultus quosvis cum febre complicatos pulveres bezoardicos temperatos, ex ocul. cancri cornu cervi, philoſ. præpar. antimonio diaphor. cinnabari antimonii, bezoardico animali concinnatos ad ſemi-drachmam ter intra diem naturalem exhibitos, interpoſita una vel altera doſi eſſentiæ alicujus alexipharmaco-antiſcorbuticæ, multoties ſalutares â nobis obſervatos: Hinc vero ad evellendas morbi radices & crebriores inſultuum recidivas præcidendas, tum, quando morbi ſeſe iterum ſubtraxit vehementia, ægerque in tantum ſanitatem recuperaſſe videtur, eò potiſſimum reſpiciendum, ut naturæ emunctoria quævis quantum poſſibile, ſuis rite fungantur officiis, eorumque qualibus cunque obſervatis defectibus ſuccurratur, aut vicariis, arte excitatis excretionibus, illud, quod natura denegat, compenſetur, omni ſimul opera & cautione adhibita, ne quod ſubinde per avtocratiam naturæ contingit: extraordinariæ impuritatum excretiones per ſcabiem, capi-

tis tineam, ulcera in diversis corporis partibus subnata, stillicidium oculorum &c. ullo modo repellendo, constringendo, divertendo, interturbentur, sed, ni obstet partis corruptio aut destructio, sibi relinquantur, simul vero decocta rad. scorzon. cichor. sarsap. chinæ, aristol. rot. ut & infusa theiformia herbarum antiscorbuticarum, interposito elixirio viscerali ad Ill. HOFFMANNI mentem, ex ordinariis Extr. cochlear. scord. card. ben. & trifol. fibr. parato, ad menses minimum duos quotidie, & quidem large adhibita, plus simplici vice proficua notavimus subjunctis, in fine hujus curationis cursus, laxantibus potissimum rhabarbarinis per epicrasin operantibus. Tanto vero certiorem & durabiliorem isthæc cura sanitatem præstat, si sex mensium interstitio repetatur, quanto facilius alias ê paucis, in corpore restitantibus hujus morbi seminibus, is repullulare solet. Cæterum in vitæ regimine vitentur: Putridis & acribus refertus aer vaporibus, alimenta insalubria, immodice salita & fermentescentia, potulenta spiritosa, animi moeror & ira, præcipue vero se- & excretionum, tam ordinariarum, quam extraordinariarum, quarum legitimus successus præcipuum sanitatis constituit fundamentum, optima & sollicita habeatur ratio. Cum autem, quam exhibuimus, curationis methodum, confirmato & inveterato malo non sufficere supra simus fassi, omnes Apollineam profitentes artem etiam atque etiam rogatos volumus, ut, si quæ magis probata & experta habeant, in Dei T. O. honorem & afflictorum commodum, tanquam sibi sacra, sacris etiam, juxta monitum HIPPOCRATIS, communicare dignentur.

OBSERVATIO CXXII.

DN. Lic. PAUL. HENR. VOGELII.

Febris maligna poſtridie ſectam venam accenſa.

VIr 59. annorum ſanguineæ conſtitutionis, toroſi & obeſi corporis habitus, poſt miſſionem ſanguinis ex conſilio Medici cujusdam d. 14. Novemb. 1734. peractam, inſequenti die, dum ſacris intereſſet, vehementi corripiebatur horrore & rigore, per bihorium durante, quem calor excipiebat febrilis & continuus non adeo intenſus, cum ſumma tamen circa præcordia anxietate, appetitus & ſomni omnimoda abolitione, maxima virium proſtratione, pulſu parvo & debili, ſudore in capite prorumpente copioſo, in reliquo vero corpore vel nullo, vel exiguo, qui in dorſo manuum fere ſemper frigidulus percipiebatur, alvus ſingulis nychthemeris bis vel ter relaxabatur, absque ullo tamen morbi levamine: Hinc nulla circa ſeptimum diem apparente criſi, viribusque de die in diem magis deperditis, mentis ſuperveniente alienatione, ſudoreque in facie & manibus frigido largiter fluente, ante completum ſeptenarium expirabat.

Facit hic caſus ad confirmationem eorum, quæ de noxa miſſionis ſanguinis in principio malignarum febrium plures ê priſcis & modernis commentati ſunt, ſpeciatim FRACASTORIUS, de *contagione lib III. cap.* 5. MICHAELIS

LIS *opp. med. chirurg. p.* 358. STAHLIUS *opuſc. phyſico-chym. med. p.* 650. HOFFMANNUS *Med. conſult. part III. Dec. I. cap.* 6. *& diſp. de venæſectionis abuſu*, §. 4. *Commer. litterar. Med. Norib. A.* 1735. *Hebd. XX. Art. I.* Imo vel inde liquet circumſpectione & prudentia maxima in ſvadenda venæſectione opus eſſe, minimeque hic ſeculi morem, *la mode*, ſequendum, uti quidem hodie haud raro fieri aſſolet.

(*d.* 28. *Novemb* 1735. *communicata.*)

OBSERVATIO CXXIII.

DN. D. IOH. HERMANNI FURSTENAU.

Abſceſſus muſculorum abdominis.

VIr plurimum reverendus 50. annorum, temperamenti melancholico-ſanguinei, hactenus ſanus, & hæmorrhoidum fluxum aliquoties expertus, præterito autumno emeticum blandum ex rad. ipecac. & Chryſtall. Tartari conſtans, proprio inſtinctu â Medico ſuo ordinario petit, quo adſumto, & copioſo theæ potu ſuperingeſto, aliquoties pituitam viſcidam evomuit, ſed bilioſa nondum viſa, unicâ theæ ſcutellâ inſuper hauſta provocaturus, vehementi niſu in regione iliaca dextra dolorem ſatis exquiſitum perſentiſcit, qui ſenſim deinde auctus & nullis præſidiis, neque internis carminativis, neque externis diſcutientibus mitigatus, tumorem partis affectæ vicinarumque comitem nactus eſt, quo viſo topica quidem varia reſolventia, varia cataplasmatum, oleorum, unguentorum, emplaſtrorum forma applicata, ſed abſque effectu ſperato, fuere.

Venæſectio in pede, ſuccus betulæ M. Martio per plures ex ordine dies hauſtus, pilulæ balſamicæ, & varia alia nec quicquam levaminis, attulere, nedum affectui extirpando paria fuere; quare emollientibus & ſuppurantibus ſacculis, cataplaſmatibus, & inprimis emplaſtris ſollicite applicatis, & ſedulo continuatis, integumenta abdominis eo usque fuerunt emollita, ut medio Iunio facta cutis, mediante lancetta, inciſione, ſanguis primum ſincerus, dein vero inſtrumento iſto paulo profundius adacto, purulenta materia, minori licet copia prodiret, & vulnere hoc lege artis ab eodem Chirurgo tractaro, ſequentibus diebus continuaret; donec initio M. Aug. demum, partibus vicinis tarde quoque emollitis, vulnus conſolidationi proximum appareret. Alter quoque abſceſſus, prope umbilicum, emollientibus & ſuppurantibus variis evporiſtis & domeſticis diu fruſtra tractatus, ferroque tandem apertus, materiæ purulentæ notabilem quantitatem profudit, quo quidem loco notatu maxime digna videbantur grana virida, puri undique & quamdiu vulnus fuit apertum, utroque in loco permixta, quæ licet alios in ſtuporem raperent, â nonnullis pro ſeminiis animatis haberentur, ab aliis quoque magicis ludibriis adſcriberentur, mihi tamen nihil aliud præterquam ſemina virideſcentia, Lini, Fœni græci & ſimilia cataplaſmatum & unguentorum forma hactenus ſæpius applicata, & per poros forſan introrſum ſpectantes in muſculorum interſtitia penetrantia ſunt viſa. Tandem prædicto Auguſto & ſequenti M. Septembri αὐτοκρατεία naturæ & ſollicita Chirurgi opera B. D. vulnera iſta abdomini ſtudio inflicta, ſenſim conſolidata fuere, non niſi duritie quadam in

par-

partibus affectis remanente, quæ tamen & ipſa emplaſtris emollientibus & diſcutientibus ſedulo applicatis cedere paulatim videtur. Una illa in umbilico excreſcentia, cujus & ſupra mentionem feci, negotium faceſſebat, quæ veſicularum duarum triumve racematim ſibi incumbentium ſplendentiumque ſpeciem referens, nullis hactenus adhibitis medicamentis cedere velle videbatur, ſiquidem cauſticis & ſpeciatim lapide infernali leviter tacta vix quicquam immutabatur, ligaturam ſemel atque iterum tentatam, ob ſitum profundiorem & peripheriam abdominis ſubtumidam plane reſpuebat, injectionibus ope ſyringæ, & explorationibus, ſpecillo mediante factis, dolores cum hæmorrhagia excitabantur. Materia purulenta cum & ſine prævia injectione aut applicatione topicorum, varii coloris & odoris ex veſiculis illis interdum exſtillabat, & quod inprimis attentionem meretur, granula ſeu veſiculæ illæ minores virideſcentes, eidem materiæ purulentæ non raro interſperſæ, continuo adhuc prodibant; quas tamen tanto minus pro animata reputare poteram progenie, quoniam oculo etiam armato examinata iſta granula vitam nullam vel motu, vel alio indicio prodebant. Vir interim hoc affectu graviſſimo hactenus laborans nunc recte valet, ita ut non ipſe tantum abſceſſus muſculorum abdominis, percuratus omnino & conſolidatus ſit, ſed & pullulantia abhinc in umbilico tubercula, ſaniei inſignem copiam aliquamdiu plorantia tandem prorſus exſiccata fuerint, & ſponte iterum coaluerint.

OBSERVATIO CXXIV.

DN. D. IOH. HERMANNI FURSTENAU.

Ulcus ſinuoſum perinæi.

VIr quidam honeſtus 50. annorum, temperamenti ſanguineo-cholerici, cujus jam olim in *Miſcellaneis phyſ. med. mathemat.* mentio eſt facta, hernia ſcrotali diu laborans, vitæ genus inordinatum ſervans, & ſpirituum ardentium abuſui inprimis deditus, hæmorrhoidum fluxum dudum expertus, acidulis Pyrmontanis hactenus quotannis, hinc aquis Sedlicenſibus uſus, circa æquinoctium anni præſentis dicitur laborare ſingulari in ano moleſtia ab hæmorrhoidibus ſine dubio cœcis, undique exulceratis & turbatis orta, ſanioſâ quippe materiâ partes vicinas conſtanter fœdante, & pruriente dolore affligente. Conſultus idcirco Martio menſe Medicus dixit, inſpectionem ocularem, & ſedulam chirurgi operam, unacum medicamentorum congruorum uſu indefeſſo tanto magis eſſe neceſſariam, & quantocyus maturandam, quo certius ulcus inde fiſtuloſum, tædii & periculi pleniſſimum metuendum foret. Aſt monitis hiſce ab ægroto & adſtantibus neglectis, ſimulque loco affecto remediis domeſticis, minus ſolicite tractato, ad Maji menſis finem, accedente febre acuta continua, cum diarrhœa perpetua Medicus & chirurgus tandem accerſiti locum quidem affectum inſpexerunt, & ulcus ſinuoſum, duobus quippe

pe foraminibus pertusum & medio quasi folliculo cohærens deprehenderunt, sed ob virium prostrationem nimiam, operationem hic necessariam manu & scalpello peragendam, instituere religioni sibi duxerunt, nam & æger congruis frustra morbo oppositis auxiliis, paucis diebus elapsis fatis cessit.

(Rintelio Erfordiam missa d. 7. Decemb. 1735.)

OBSERVATIO CXXV.

DN. D. JOH. PHILIPPI BURGGRAFII.

A febre intermittente per prematurum & nimium Corticis Peruviani usum suppressa, corporis consumtio & abscessus ad femur, sanata.

VIr 40. & quod excurrit annos natus, febre tertiana simplici Anno 1729. autumnali tempore correptus, &, præmissis â Medico ordinario paucis digestivis, Corticis Peruviani usu ab ea liberatus, sed elapso vix 14. dierum spatio, iracundiâ levi prævia, quotidiana intermittente, Chinæchinæ usu rursus suppressa, per aliquot septimanas adflictus, tandem sub anni 1730. auspiciis febrem incurrebat quartanam, quæ, præmissis per breve temporis spatium digestivis, laudato cortice denuo largius in usum tracto impugnata, licet inducias aliquoties faceret, gravius tamen semper rediens,

ſuppreſſa potius quam extirpata, in viſcera denique ſuam exercebat ſævitiam. Æger namque habitus corporis antea pleni & ſucculenti, æſtate jam multum contabeſcebat cum ſummo ciborum faſtidio & exquiſitiſſimis ſiniſtri femoris doloribus, nullo tumore ac rubore ſtipatis. Medicus quidem ordinarius eſſentiis amaris alimentorum appetitum excitare, & acribus fomentis femoris cruciatus fugare allaborabat, ſed fruſtraneo conatu; patiens enim ita erat conſumtus, ut cutis admodum rugoſa oſſibus hæreret. Chirurgus in conſilium adhibitus, rejectis prioribus fomentis, rem cataplaſmatibus emollientibus cum ſucceſſu aggrediebatur; horum enim uſu continuato locus doloribus excruciatus ruborem ac tumorem contrahebat, & tandem ſuppuratio ibidemfiebat. Facta tumoris ſuppurati apertione, ingens puris laudabilis copia primis effluebat diebus. Decedente interea temporis Medico ordinario, meum fine ſeptembris 1730. expetebat patiens conſilium, quem etiam penitus fere emaciatum, nec de latere in latus ſe movere valentem inveniebam, pulſum habebat perquam debilem atque celerem, & urinam reddebat tenuem rubellamque. Intellectâ morbi hiſtoriâ jam memoratâ, de viſcerum infarctu reſerando, horumque officiis reſtituendis cogitabam, eumque in finem pilulas ex gummatibus & extractis reſolventibus ac laxantibus, una cum decocto ex ſpeciebus aperientibus parando iisque ſuperbibendo, præſcribebam. Ob ſummum alimentorum faſtidium juſculis, iisque ſatis parce alebatur, ſitim vero aqua ſimplici fallebat. Vix per tres dies laudatis medicaminibus in uſum vocatis, urina multum ſedimenti coloris incar-

nati

nati exhibebat, illisque per ſex dies continuatis, appetentiam inde paululum excitari nobis videbatur. Interea ulcus loco puris bonæ notæ ichorem plorabat fuſcum, ſed injectionibus balſamicis probe detergebatur. Alvum, antea ſegniorem, jam bis quotidie exonerabat. Die 7. Octobr. ordinabam Tinct. Rhabarb. p. II. Elix. aperit. Claud. & Syrup. 5. rad. aperient. maj. aa p. I. ſemel, bis vel terde die, prout ferre poſſet, ad cochl. j. ſumendum. Porro quovis mane potum Chocolatæ, ex avellana Mexicana, Vanigl. & ſaccharo, absque ullis aromatibus paratæ, & cum ſimplici aqua decoquendæ, loco autem potus ordinarii, quoniam pulſus jam erat ordinatior, & paululum plenior, hydrogalum haurire ſvadebam, viribusque quadantenus inde unacum appetitu magis auctis, liberaliori manu victum concedebam, ex cremore hordei, avenæ, Oryzæ Mediolanenſis, carneque juniorum animalium, conſtantem, continuato ſimul hydrogalæ potu & potiunculâ illa abſtergente rhabarbarinâ in uſum vocatâ. Minorem jam ulcus plorabat ichoris quantitatem, & ad conſolidationem erat proclive. Die 14. Octobr. juſſi, ut poſt prandium atque cœnam vini Canarienſis meraciſſimi aliquot caperet uncias, quo haud mediocriter refocillabatur adeo, ut habitus corporis incrementum ſumeret, & in conclavi, ac denique etiam in ædibus deambulare patiens poſſet. Ne vero materiæ peccantis reliquiæ novas excitarent turbas, ad viſcera roboranda & expedienda bis de die Tinct. vitrioli martis tartariſatam Ludov. ad gutt. 60. propinabam, & pilulis ex Gummi Sagapen. duplo & Extract. Rhabarb. ſimplo paratis, ad gr. XV. quotidie ſumendis, die 13. De-

 cemb:

c.mb r. curæ imponebam colophonem, appetitus namque decens restituebatur, dligestio, antea molestias creans, ex voto succedebat, & cum pristina sanitate æger in gratiam redibat.

OBSERVATIO CXXVI.

DN. D. IOH. PHILIPPI BURGGRAFII.

Sectio mulieris uteri prolapsu & vesicæ urinariæ, grandi calculo repletæ, defunctæ.

Mulier quadragenario major in Xenodochio ardente extincta febre, ab aliquot jam annis uteri laborare dicebatur prolapsu. Sollicite itaque cadavere inspecto d. 18. Jun. 1731. præsentibus Viro Magnifico D. D. *Eberhardo*, Scabino, Senatore & Medico excellentissimo, nec non D. D. *Thielenio*, bursa quædam novem circiter pollices longa & sex ad minimum lata ex sinu pudoris propendens notabatur, nullibi pervia, nec orificio quodam instructa, sed undique clausa, hinc inde gangræna adfecta. Abdomine aperto & intestinis reclinatis, manu pelvis cavo immissâ nulla vesica, nullusque uterus in loco solito deprehendebantur, sed intestinum rectum statim occurrebat, & inde in ipsam bursam, in anteriore parte duobus corporibus plus minus mollibus sphæroideis præditam, patebat aditus. Inciso igitur isto sacco, â parte ejus superiori & exteriori initium

tium capeſſendo, cultro mox reſtitit inopinata quædam durities; cum vero non nihil ſectionem urgerem, obtutui ſe ſiſtebat calculus, duos pollices longus, & uno quoad partem ejus mediam, craſſior, ex plano convexus, altero extremo obtuſus, altero non nihil acutus & aſper. Cum in conſpectum prodiret, pars ejus convexa extrorſum & alterum extremum, quod acutum fuiſſe notatum eſt, ſuperiora, alterum autem inferiora ſpectabat, ſiniſtrorſum lateraliter extuberabat, in parte gibba & utroque latere hinc inde ſcaber, in parte plana & reliqua ſuperficie ſat lævis & albicans. In extremitate acuta, paulo ante apicem verſus gibbum, ad unguis minimi digiti latitudinem fere fibris connectebatur ſinui, ex quo illum extrahebam, & quem perfectè expleverat, â qua connexione ſtigmata retinuit rubicunda. Lance expenſus ita recens unciam unam minus XV. granis pependit. Dono illum dedi Excell. D. D. *Kiſnero*, phyſico noſtræ civitatis primario, cadaver ſuppeditanti opulento ſuo lithophylacio inſerendum. Divaricatis igitur pelvis oſſibus, & univerſa pelvis cavitate ſtudioſe perluſtrata, luculenter patebat, uteri vaginam extra corpus ſitam in ſupra dicti ſacci ſpeciem tranſiiſſe. Quod vero internum uteri orificium nullibi fuerit conſpicuum, ſuperioris vaginæ uteri partis prope hujus oſtium internum coalitus perfectus, erat cauſa. Ea igitur extrorſum penitus verſa, burſæ præ ſe ferebat ſpeciem, cujus fundo inſiſtebant uterus & veſica, hæc tamen altius & mox ante rimam magnam erat ſita, ubi ſimul apparebat, calculum paulo ante exſectum in illa hæſiſſe. Et uterus & veſica exiguæ erant molis, ille fere virgineus, hujus autem, calculum modo memoratum arctiſſime ambientis, capa-

citas ex ejus magnitudine patet. Ouaria erant admodum exigua. Limbo alæ vespertilionum sinistræ hydatis avellanæ nucis majoris magnitudine, sed utrinque magis acuta, tenuissimis vasculis sanguiferis donata, non minus & limbo dextræ vespertilionum alæ hydatis priori longe minor cohærebat.

OBSERVATIO CXXVII.

DN. D. D. IOH. PHLIPPI BURGRAFII.

Uteri cavitas membrana carnoso-vasculosa undique cincta in muliere, quæ abortum aliquot mensium passa credebatur.

MUlier quadragesimum, ut videbatur, excedens annum, gravida sibi aliisve ab aliquot mensibus visa, in civitatis nostræ Xenodochium ægra delata, per muliebria concepto fœtui aliquid haud absimile excernendo, animam efflavit. Xenodochii famulæ proprio ausu abjecerunt excretum, nec Medico ordinario Excell. D. D. *Kisnero*, examinandum tradiderunt. Avebam itaque uteri hujus mulieris scire conditionem, quam ob causam præsentibus Dn. D. *Kisnero* & Dn. D. *Grambsio*, physicis civitatis nostræ optime merentibus, necnon *Dn. D. Thielenio*, ut & quibusdam chirurgis, d. 20. Augusti 1731. sectionem cadaveris institui, ubi uterus in naturali sua contractione constitutus obtutum incurrebat

grandis

grandis atque robustus, juxta longitudinem incisus tota ejus superficies interna membranâ carnoso-vasculosâ sat valida, duas fere lineas crassâ, tenuissimis utero juncta emissariis & in dextro fundi latere non nisi difficulter digitis separabili, undique visebatur cincta. Altius hæc mihi mente volventi visum est probabile, ejusmodi membranam carnoso-vasculosam densam, totam internam uteri superficiem investientem, ex ovulo non nisi in uteri cavum delato, aut perfecte aut imperfecte impraegnato, in embryonem evolvendum quidem destinato, sed nescio quas ob causas maximam partem iterum exturbato, produci potuisse. Quando enim ovulum impraegnatum in uterum devolvitur, tunc statim turgescere, uteri cavum replere, hujus superficiei internæ applicari, emissisque utrinque vasis jungi incipit maxime ubi placenta formari incipit, membranam utero contiguam formare solet. Tale vero ovulum intempestive, primis statim â conceptione septimanis aut mensibus ruptum, ejusque contentis, fœtus scilicet rudimentis illiusque succo nutritio, expulsis, nonnisi membranæ speciem relinquere potest, concavæ uteri superficiei contiguam. Simile quid in præsenti casu me deprehendisse puto, nisi quod placentæ rudimenta distinguere haud valuerim, sed membrana magis uniformis apparuerit. Visa quidem illa mihi fuit ibidem nonnihil crassior, ubi illam in dextro fundi uteri latere arctius adhæsisse jam notaveram, num vero illic placenta formari debuerit, determinare non ausim.

OBSER-

OBSERVATIO CXXVIII.

DN. D. IOH. PHILIPPI BURGRAFII.

Insultus apoplecticus ab antiquis tibiarum ulceribus exsiccatis, cum superveniente quatuor dierum singultu, curatus.

VIr 53. annorum staturæ mediocris, obesi & plethorici corporis, brevioris colli, calculosus, â pluribus jam annis omphalocele variisque tibiarum ulceribus ac strepente pectoris oppletione vexatus, cæterum ad sensum sanus & consueta sibi pistoris munia obiens, ab aliquot jam septimanis difficultatem movendi linguam per vices perceperat, parcius simul manantibus tibiarum ulceribus, tandem penitus siccis, triduo fatuus factus quasi & linguæ fere impos, somnolentus, suæ uxoris providentia me die 14. Jun. 1731. mane vocari curaverat. Explorata ejus status conditione modo memorata, intellexi, ichorem per ulcera antiqua tibiarum expurgari solitum jam humorum massæ altius & tenacius immersum hærere, ac per hujus circulum ad cererbrum, ob curtum collum, & breviori via & copiosius delatum; ibidem stagnare, vasa ejus vellicare, ut humores copia jam excedentes & justo fortius per illud motos impellere licet non æque propellere valeat, cerebri medullam ac nervorum inprimis linguam moventium originem inde premi. Calebat æger multum, pulsus erat magnus & justo frequentior, urina plus quam præstabat tincta.

tincta. Annitebar hinc omnibus viribus α) ichorem ulcerosum ê tibiis retrogressum & cerebro infixum revellere; β) eundem ad pedes deducere; γ) liberum humorum motum expedire. In hunc finem ex vena in brachio incisa octo vel decem sanguinis uncias emittere jussi, quoniam ob pedes ulcerosos non æque id in alterutro eorum liceret, ac pharmacum purgans sat validum venæsectioni statim subjungendum præscribebam. Secta vena vix uncias quinque sanguinis spissi & statim concrescentis emisit, & frustra tentatis omnibus sponte rivum cohibuit. Purgans adsumptum non nisi ter alvum moverat. Cum inde non levaretur, altero mane d. 15. Iun. in altero brachio denuo venam incidi, & octo ad decem uncias sanguinis emitti curavi. Saliit sanguis, ex prægressa hesterna Venæsectione jam aliquo modo liberius spatium nactus, magno cum impetu. Hinc statim potiunculam purgantem antiphlogisticam hauriendam ordinavi. Prægressa sic vasorum evacuatione, utrique brachio vesicatoria, ulceribus vero fermentum panis cum allio contuso applicari jussi, injuncta simul diæta tenui non calefaciente. Dejecit octies; vesicæ elevabantur, ulcera vero manebant sicca. Liberabatur interim statim caput, redibant mentis integritas & linguæ motus liber. Tum pro correctione, abstersione & eliminatione ichoris tincturam salis tartari, cum spiritu Citri paratam; præscripsi, bis de die ad gutt. 60. sumendam, unde copiose minxit, sed tincta & sabulosa. Valuit egregie d. 16 Ian. per integrum diem & subsequentem noctem. Ulcera etiam non

nihil uda reddebantur. D. 17. Iun. mane, poſtquam non nihil juſculi carnis adſumſerat, ſtatim ſingultiebat. Curavi ſcrobiculo cordis applicari aquam Reg. Hung. calidam, linteolis quadruplicatis exceptam. Ceſſabat ſingultus, ſed verſus veſperam redibat, ac per inſequentem noctem & dies continuabat, raro ultra horæ ſpatium intermittens. Præſcribebam Empl. de bac. Laur. de Tacamah. &c. ſuper alutam extenſa & ventriculi regioni applicanda, ſed absque effectu. Cum vero ſatis eſſet evacuatus, ſenſus tamen denuo, ut ut per aliquot ſaltem horæ minuta, obtundi & ipſe & adſtantes animadverterent, ad expediendos ipſos nervorum tubulos, ſepoſita pauliſper Tartari tinctura, dedi ſpiritum C. C. eſſentif. tinctura Antimonii acri acutum. Succeſſit res, ſed jam præter continuum fere ſingultum, ſtrepens antea pectoris oppletio, nunc anhela & anxia, novum creabat negotium. Huic oppoſueram Gum. ammoniac. in gutt. puriſſ. aqu. hyſſop. ſolut. & ſyrup. de hyſſop. edulcorat. pomeridiano tempore cochleatim hauriendum, & quovis mane ſpir. cornu cervi ſupra memoratum ſumendum. Pedum ulceribus Elixir. propr. dulce cum Balſam. Peruv. n. linteo carpto excepta, applicari juſſi. Manabant inde ulcera largiter, ſed nec ſingultus profligari, nec expectoratio promoveri poterant. Tandem cum caput perfecte liberum eſſet, ſcrobiculo cordis ſpir. matric. menth. lumbr. terr. cum tinctura opii calide linteo excepta, d. 20. Jun. apponi curavi. Inde mitigabatur ſingultus, mox totus ceſſabat, urina citrini reddebatur coloris, promovebatur & expectoratio. Reſumta jam tinctura tartari, æger tandem cum ſanitate in gratiam redibat.

Co-

Corollarii loco non possum non monere, quod plures noverim pistores antiquis pedum ulceribus laborantes, forsan, quod coram clibano nudis continuo agant pedibus, his vero adustis quasi in liberum & frigidum progrediantur aërem, & denuo ad clibanum, idque brevi tempore sæpius & quovis ferè die, redeant.

(Francofurto Erfordiam missa d. 19. Decemb. 1735.)

OBSERVATIO CXXIX.

DN. IOH. MATTHAEI BARTHII.

De

Rariori quodam Phænomeno cum terræ motu conjuncto, Ratisponæ observato.

VErissimum est illud APULEII assertum: Admirationem conciliare rebus raritatem. Quæ quotidiana sunt & nimis familiaria, nemo miratur, sed nova, sed insolita, de quibus animus noster aut nihil prorsus, aut hoc certe modo, quo tunc occurrunt, vix ac nec vix quidem cogitavit. Inter ea numerandum puto, quod nuper hîc Ratisponæ contigit, & multos in admirationem rapuit phænomenon. Hujus causam investigare erit operæ pretium.

Nonus erat dies mensis Decembris anni præterlapsi 1734. hora fere octava, cum inopinatus & subitaneus fragor terræque commotio passim in urbe perciperetur. Mox rumor percrebuit, vidisse nonnullos extra mœnia cœlo delapsum ac disruptum igneum globum, quosdam in aëre radium lucidum, qui tamen subito disparuisset, aliis alia causantibus. Sed quæ in certis auctoribus circumferuntur, prolixius recensere piget, comperta potius, quæque maximam partem ipse sensibus percepi, enarrabo.

Dicto nimirum tempore, dum in platea, quæ ab aqua interfluente nomen rivi sortita est, incedebam, non solum derepente unicus quidam sonitus, qualis audiri solet â tonitru, aut tormento bellico, magis tamen obtusus aures feriebat; verum etiam solum simul vehementius succutiebatur. Oculos statim in cœlum attolebam, tonitru suspicatus, sed undique serenum illud, nec ulla uspiam nubecula apparebat. Quare in ædibus proximis, gravius aliquod onus projectum esse aut fortuito casu prolapsum existimabam. Tandem quoque in mentem mihi veniebat recordari cujusdam vicinæ domus & officinæ, in qua æs caldarium funditur, ibique mortarium catapultuarium minus explosum fuisse, conjiciebam.

Sed & his suspicionibus mox liberatus sum, postquam ê viris fide dignis comperi, aliis ibidem & remotissimis quidem in urbe locis tale quid multos cives fuisse expertos, imo, quod potissimum erat, in nonnullis partibus commotionem majorem, in aliis minorem, in quibusdam parum dissitis nullam plane incolas sensisse.

Illud

Illud quoque præterire nolo, licet ad rem noſtram parum aut nihil faciat, tempeſtatem antecedentem valde fuiſſe inſtabilem, duobus autem ultimis diebus frigidiorem aërem factum, Thermometri liquore intra 75. & 80. gradum ſubſidente, donec ſequente nocte & die aucto frigore ad 85. gradum comprimebatur, quod tamen frigus paulo poſt inter pluvias & nives remiſſius evaſit.

Variæ Phænomeni circumſtantiæ, variæque relationes, varias porro ſuggerebant de ejusdem rationibus conjecturas. Tonitru fuiſſe, ſimulac animum collegi, minime omnium probabile viſum eſt, eo quod iſtud interrupto magis pulſu undulabundum quaſi aërem tremefaciat, aut ſi uno impetu, etiam majore fragore percellat, vel acutius ſtrideat, & præterea ne minimæ quidem nubeculæ, ut jam dixi, conſpiciendæ eſſent, ſine quibus nullæ tempeſtas, tonitrua nulla oriuntur.

A Borealis igitur luminis materia, cujus reliquias ſæpius fragores in aëre aliosque effectus producere novimus, forte derivandum hoc phænomenon; maxime cum globus igneus, quem ex aëre decidiſſe ferebant, talis materiæ portio videretur fuiſſe, & celeberrimus quoquoe WOLFIUS *Cap.* 8. *Phyſica* §. 334. *Coll.* §. 332. ejusmodi globos ad borealia lumina pertinere judicaverit.

Sed præterquam quod idoneis auctoribus & teſtibus relationes iſtæ carerent, nemo idem, qui antecedentibus noctibus lumen boreale vidiſſet, inveniretur, terræ inprimis ſuccuſſio eaque diverſimode etiam

vicinis in locis se exserens in quibusdam prorsus non observata, obstabat. Quodsi enim hæc commotio ab igne illo & vi deorsum irruente venisset, tremorem potius aut concussionem quam succussionem & subsultum percepissemus, deinde vel in proximioribus tantum locis fortior, vel in uno eodemque tractu magis æqualis fuisset. Idem pariter censendum, quando alii cuidam meteoro ignito hanc commotionem adscribere vellemus. Reliquum proinde erat de terræ motu cogitare, qui valde inæqualis solet esse, & cum quo sæpe boatus conjunctus est, aut fragor, quasi tormenta bellica exploderentur, referente VARENIO *L. I. Geogr. c. X. Prop.* 5. atque attestante KIRCHERO *Mundi subterran. L. II. C. II. L. IV. Sect. I. c.* 7. quid quod nec illud prorsus inauditum, terræ motum uno interdum singulari vel paucissimis saltim pulsibus absolvi, prouti GASSENDUS A. 1617. observavit, & me ipsum pridem experientia docuit. Ne quid addam de meteoris ignitis, quæ præcedere hos motus jam ante KIRCHERUM scripsit ARISTOTELES *Lib. II. Meteorolog. cap.* 8. PLINIUS *Lib. II. cap.* 81. SENECA *Lib. VI. cap.* 26. *Q. N.* Quibusque annumerari posset modo dictus conglomeratus ignis & radius, si certi quid de eodem constaret.

Quemadmodum vero unius rei plures possunt esse causæ; ita in naturalibus quoque contingere solet. Unde horum perspicuus & felix Interpres STURMIUS in sua *de terræ motibus* Dissertatione idem agnoscens plures merito rationes harum conquassationum admisit.

Terram intus multis & magnis cavitatibus, cryptis & canalibus undiquaque præsertim sub montium ju-

jugis hiare, recte obſervavit laudatus STURMIUS & fide digniſſimorum auctorum, quos exſcribere nolui, relationibus confirmavit. Jam vero ſubterraneæ hæ cavernæ & venæ interdum aquis perfuſæ, interdum flatuum plenæ, nonnullæ denique ignibus repletæ, ut idem Auctor loquitur, Ad hæc tria ergo, aquas, ventos, & ignes, ceu terræ motuum cauſas, recurrendum eſſe in Phyſica generaliori olim ſtatui, eoque magis, quod tellure atrocius concuſſa & diſciſſa haud raro nunc aquæ, imo integri lacus & amnes protrudantur, nunc venti vehementiores comitentur motus illos, nunc ipſæ ignis flammæ per rimas penetrent.

Fieri equidem poteſt, etiam ſi ab igne diffindatur humus, vicinis nihilominus aquarum receptaculis per iſtas rupturas exitus patefiat & reſorptis intra ruinæ voragines terris, copioſæ poſtmodum undæ ſupernatent, lacus conſtituant, aut novis torrentibus fluxum concilient, ut STURMIUS opinatur; verum quod idem fatetur, nec illud negari poteſt, ſicuti fluvii campos abluunt & oceani fluctus ſcopulos exedunt, ita poſſe inclusas aquas telluris interiora eluere & excavare, ſuperjacens tandem moles pondere ſuo ſuccidat. Id quod jam SENECA ſtatuit *Lib. VI. Q. N. cap.* 7. & A. 1661. tractus terræ in Bulgaria 6. milliaria longus, deſidens, ac in abyſſum profundiſſimam commutatus, reddit veriſimilius.

De flatibus tamen ſeu ventis vir celeberrimus dubitat, putatque oſtendi haud poſſe cauſam aliquam vel repentinæ rarefactionis, ut eſt e. g. aëris intra bombardas pnevmaticas compreſſi, vel alius vehementioris pulſus aliunde impreſſi, quo ſine terræ motus explicari nequeant

queant. At vero nota est flatuum, qui nihil aliud quam diversa aëris flumina & fluctus sunt, violentia supra terram, maxime ubi ex angustioribus locis effunduntur, aut mutuo impetu sibi invicem occurunt. Ut horrendos Indorum ventos taceam, in nostris quoque terris proceras arbores radicitus evellere, firmaque ædificia evertere interdum uentos, & per integras regiones sævire compertum est. Vid. *Sigm. â BIRKEN Austriaca domus p.* 789. *STUMPF. Chron. Helvet. p. m.* 136. &c. Quid ni in montium cavernas meatusque subterraneos irruentes posteaque exitum parantes atque iterum prorumpentes solum tremefaciant.

Merentur hîc annotari consona SENECÆ verba *Lib. VI. Q. N. cap.* 17. *Nunquid*, ait, *dubium esse potest cuiquam, quin nihil sit tam inquietum quam aër & tam versabile & vagatione gaudens* &c. usque ad fin. cap. conf. etiam *Franc. Baconi de* VERULAMIO *Hist. Vent. ad artic.* 8.

Quantumvis autem tales ventos ab igne esse expansos actosque objici posset, quis tamen ob hanc solam rationem aërem in terra conclusum ad eruptionem compelli præsumet, plures sane causas allegavit laudatus modo VERULAMIUS.

Cæterum, quæ non STURMIO solum, sed & CARTESIO, GASSENDO, SCHOTTO aliisque apprime placuit terræ motuum causa, ignis nimirum subcerranei vis, varios halitus accendens aëremque rarefaciens, eam palmariam & frequentiorem, quinimo in nostro phænomeno etiam unicam lubens agnosco. Et

hic

hic ipse ignis est, quem pridem in Physica mea assertum, paulo dilucidius jam exponam.

Peculiarem caloris, & qui gradu saltim differt, ignis materiam existere Excellentissimus WOLFIUS *Part. 2. Tentamin.* §. 104. seqq. demonstravit, ipse etiam, quomodo lux, calor & ignis una sint materia & motu tantum ac quantitate inter se differant, in Physica mea ostendi, ut adeo huic labori hic supersedere possim. Hæc materia subtilissima & summe agilis, quam igniculos nominabimus, non solum per aërem, sed etiam per omnium ubique terrestrium rerum interstitia, imo per ipsam aquam dispersa est; ita tamen, ut pro diversa minimarum particularum figura, situ, motu, vel quiete, pororumqne & vicinorum corporum conditione in una re plus quam in altera contineantur. Id quod ex variis apud laudatum WOLFIUM aliosque plures experimentis comprobari potest. Unde etiam doctissimus hic Vir *de Operat. Nat. p.* 113. corpus summe & absolute frigidum in rerum natura haud dari, recte concludit.

Ejusmodi materia majori etiam hinc inde copia, sub terra ejusque meatibus non solum latet, maxime ubi multum est sulphuris aliarumque rerum, intra quas plurimi igniculi contineri possunt, verum etiam ubi liberior est, & aura aliqua afflat, ultro citroque movetur alia simul commovet & expandit, imo ipsa in flammas erumpit, variosque effectus producit. Prætereo thermas, fontes & integros fluvios fervidissimos de quibus vid. PUEL *Itin. Talass. p.* 77. *Arnold.* MONTANI *Japan. p.* 233. NEUHOF. *Sina p.* 311. DAPPERI *America p.* 308. &c. Quis vapores, æstus aliosque varios

in Metallifodinis ac mineris effectus absque nostris igniculis provenire nobis persuadeat? Conf. AGRICOLA *de Re metall.* passim. MORIN. *Relat. de locis subterran. p.* 131. BEGNING. *Tyroc. Chym.* I. 2. 54. VALEMONT. *de Virg. Metall. cap.* 7. &c. Sed manifesti testes sunt carbonum bituminosorum montes, quos & interius ardere, & cum totis adjacentibus tractibus fumos flammasque, non nunquam etiam vehementiores, emittere. AGRICOLA *de Nat. Fossil. Lib.* 4. CÆSIUS *Lib. I. de Miner. cap.* 7. KIRCHMAIER *de Montibus ignifomis* §. 25. scribunt, add. quæ habet NEUHOF. l. c. p. 12. de regione Xansi fossilium carbonum plena, & fontibus pariter igneis scatente. Testes sunt omnium maxime tot ignivomi montes, quales per universam terram innumeros inveniri ê VARENIO *Geogr. Lib. I. cap.* 10. *Part.* 5. KIRCHERO *in Mundo subterran. Lib. II. IV. & Præfat.* CÆSIO *l. c. cap.* 8. 5. 2. NIEUWENTYD. *Werelt besch. cap.* 22. *Arnold.* MONTANO & aliis Itinerariis abunde constat.

Equidem non ignoro plerorumque tritum illud: Calorem fieri â motu, vapores item quosdam se ipsos accendere & frigidarum quoque rerum commixtione effervescentiam, ebullitionem & intensiorem oriri ardorem, atque hæc ex ferro attrito & peculiari artificio malleato, quod BOYLE docuit, ex mixtura ramentorum ferri sulphuris florum & aquæ calefacta, ut LEMERY tentavit, item ex affusis limaturæ Martis, Veneris, Lunæ, &c. acidis menstruis, ex calce viva cum aqua, imo oleo Vitrioli cum ipsa glacie commixto, aliisque experimentis probare conantur. Nec me latet, quod porro objiciunt, profundius fodientibus non ignem, sed aquam potius

occur-

occurrere, nec denique me fugit, quod præcipue urgent, ignem ſine libero aëre haud dari vel conſiſtere poſſe. Attamen, quod primum concernit, petitur id, quod quæritur in principio, â motu namque & commixtione rerum calor minime excitari, nec vapores accendi poſſent, niſi in interſtitiis jam caloris materia & igniculi laterent atque accedente exteriori concitatione commoverentur ac dilatatis apertisque per alias, maximè fluidas res, undiquaque poris atque remotis repagulis liberius vim ſuam exſererent. Quæ quod ita ſe habeant, ex iis patet, quæ WOLFIUS *Tentam. l. c.* protulit. Quod vero ignis â foſſoribus, cumprimis altius ad terræ viſcera penetrantibus, nunquam deprehenſus fuerit, id AGRICOLA & MORIN l. c. necnon hiſtoriarum monumenta contradicunt; vid. inter alia recentius exemplum im Coburgiſchen Zeitungs-Extract, Anhang p. 319. Rarius autem fieri, ultro concedo, rariores enim & pauciores cavernas & vias ſubterraneas igniculis refertas, quam aquarum gurgites & canales eſſe, idque telluris conſervationi magis convenire, lubens profiteor.


Ignem denique liberum aërem requirere, nullus itidem abnuo, ſi flammam intelligant. Aſt igniculi noſtri, ſeu caloris materia, ut in omnium reliquorum corporum interſtitiis, ita etiam terræ ſpeluncis & venis includi poſſunt. Accedit, quod cumprimis attendendum, hujusmodi cavernas ſæpe per meatus quosdam interdum etiam longiores inter ſe jungi & aperturas earum ſibi mutuo reſpondere, ut adeo aëris commercio non prorſus deſtituantur. Cujus rei teſtimonium evidens præbuerunt Æthnea incendia, quæ cum primum incrementa

 quæ-

quædam & vires capere deprehensa sunt, eodem simul tempore Strongilum in Liparitanis insulis per consensum quasi pati & ardere, sulphureosque halitus & lymphas per totam Siciliam dispersas efficacius operari fecerunt. Notatu æque si non magis digna est alia KIRCHERI observatio, qua horrendi terræ motus in Calabria spectator, non solum paulo anteStrongylum 60. fere milliarium intercapedine dissitum, insolito modo furere & ardere totum vidit, sed & tonitrua subterranea audita primum obtusiora, dein magis magisque subter terram appropinquantia distincte percepit, donec ad eum ipsum, cui cum sociis insistebat, locum illa pervenisse, magno suo periculo sentiret.

Vides proinde B. L. ut vela tandem contrahamus & in portum sive ad Phænomenon nostrum redeamus, quomodo ignis noster subterraneus per venulam quandam transiens, maximè ubi aërem & alios halitus offendit, terram diversimode succutere, fragorem edere, & si famam de meteoro sparsam non omnino contemnere velimus, ignea quoque effluvia, tale quid generantia, exhalare potuerit.

(*Ratispona Norimbergam missa.*)



OBSER-

OBSERVATIO CXXX.

DN. JOH. GODOFR. BUCHNERI.

De

Notabili quodam terræ motu prope civitatem Greizam, in Variſcia.

MEnſe Junio Anni 1734. ſingularis quidam hic accidit caſus in piſcina, quæ vulgo der Binſen Teich audit, non procul ab urbe Greiza diſtante. Cum enim totum diem aër fuerit admodum ſerenus atque tranquillus, circa horam 11, â meridie ſubito aqua tam vehementer circa omnia littoris ora fuit commota, quaſi â fortiori quodam agitaretur vento; hincque talem omnino edidit ſtrepitum, ac ſi permulti equites pervadere eam, vel tranſnatare vellent. Attoniti ergo hac de re ſunt, qui invicina tunc vomere terram ſulcabant, nec tamen ullam tam majoris & velocis concuſſionis & motus perſpicere poterant cauſam, quare fugâ ſibi conſulere nonnulli cogitabant. Alii, quibus ex altitudine montium ſpectaculum hoc videre licebat, obſervarunt, in medio piſcinæ magnam aquæ partem in altum fuiſſe evectam, & majores conſtituiſſe fluctus. Remotiores etiam qui erant ſpectatores in ſylva, mihi referebant, ſe durante iſto aquæ aſcenſu flammas vidiſſe igneas; quas autem viciniores, nimio forſan terrore perfuſi non conſpexerant.

SCHOLIUM.

1. Nullus igitur dubito, veri terræ motus hæc omnia fuiſſe indicia & ſigna, cui cum regio noſtra minus aliàs ſit ſubjecta, eò majorem etiam metum perturbationemque omnibus injecit. Ex relatione aliorum tamen habeo, ſimilem huic Ao. 1710. heic locorum extitiſſe concuſſionem, quam etiam homines domi ſe tenentes ex ſtridore feneſtrarum ſentiebant. Interea hoc mirum omnino mihi adhuc videbatur, permulta, quæ hic contigerunt, etiam in iſto Parmenſi conſentanea occurrere terræ motu, quem Marchio *Ubertinus* LANDI in *Commerc. litter. Phyſ. Techn. Med. A.* 1732. *p.* 226. latius deſcripſit.

2) In ſpecie autem perquam veroſimile eſt, inſignem hîc aquarum ſubterranearum molem in profundius adhuc latentia bituminis irruiſſe incendia, quæ ibi denique rarefacta, non perpendiculari, ſed horizontali potius egit motu, ac per varias cuniculorum ſubterraneorum ambages pergendo, longe lateque horrenda quaſſatione tam diu loca illa, per quæ tranſiit, affecit, donec, quâ licuit parte exitum inveniens, tremore atque impetu concuſſas terras fiſſuris hiare fecerit, atque ita â violentia tandem ceſſaverit.

OBSER-

OBSERVATIO CXXXI.

DN. JOH. GODOFREDI BUCHNERI.

De

Arbore quadam quavis æſtate binis vicibus & flores & fructus continuo ac ſemper protrudente.

EX litteris Dn. *Schillingii*, Paſtoris in Gëſchiz, prope urbem Schleiz in Voigtlandia, ê lingua vernacula in latinam huc translatis ſequentia nuper accepi: Annos ante circiter octo Paſtor quidam vicinus arborem mihi dono dedit pyriferam, quæ per ſex annorum intervallum in horto meo otioſa plane exiſtens, copioſos demum edidit non ſolum flores ſed & fructus. Aſt hoc mirum utique videri debet, quod, cum arbor iſta, ut quotannis fieri aſſolet, novos pro fructibus anno inſequenti ferendis, formare ceperit ramos, eadem ſtatim æſtate denuo florere inceperit, novosque ſucceſſu temporis, præter priores jam jam adultos, monſtraverit fructus, ut ita aliqui prope diem Bartholomæi, alteri vero in fine menſis Octobris ad maturitatem tandem pervenerint, quem modum nunc per trium annorum conſtanter etiam ita ſervavit ſpatium, niſi quod præterita æſtate poſteriores flores ob frigus accedens perierint, in quorum deinde locum novi, iique tertii, unacum fructibus ſtatim ſuccreverant.


Cæ-

Cæterum pyra mediocris ſunt magnitudinis & figuram ovi æmulantur gallinacei, colore ſub initium admodum viridi, poſt octiduum autem flavi, & ex una parte rubicundi. Carnem iſta alunt dulcem & ſaporoſam, guſtumque præbent inſtar pyri gryſei (poire gris) ac tandem corticem fovent perquam tenuem, nec diu durant. Permultis hæcce, in his oris commorantibus, narravi hortulanis, ſed parum aut nulla ſibi ejusmodi nota eſſe exempla, reſponſi loco iterum accepi, quare iſtud ceu memoratu utique dignum referre hoc modo jam mihi placuit.

SCHOLIUM.

PAtet itaque, me non ſine ratione ſuperius Obſerv. LXX. ſuſpicatum eſſe, quædam omnino arborum dari genera, quæ roſarum inſtar menſtruarum plus quam una vice uno anno ſuos ordinarie edant & flores & fructus, quod utique & hocce, & illa in medium producta ſatis confirmant exempla.

(*Greiza Erfordiam miſſa d.* 20. *Febr.* 1736.)



OBSER-

OBSERVATIO CXXXII.

DN. D. JOH. JACOB. von DOEBELN.

Deſcriptio cordis in latere dextro ſiti.

ANno 1736. d. 29. Martii in Amphitheatro anatomico anatomiam Porcelli, unicum menſem nati, inſtituimus, luſtratisque nonnullis abdominis partibus, thoracis ſcrutinum tentaturi, ſterno remoto, non ſine admiratione & ingenti voluptate conſpeximus cor, ab aortæ arcu ejusque ramis & vena cava adſcendente ſuſpenſum, ac oblique potiſſimum in dextro latere poſitum A. Baſis ejus B. vix quarta pars vertebræ ſubjacentis corpus tranſcendebat ad ſiniſtrum, apice cordis C. ad ſextam coſtam lateris dextri directa.

I. Siniſter cordis Ventriculus D. & ſiniſtra auricula E. conſtituebant convexam cordis ſnperficiem F. F. F. Ventriculi dextri pars G. cum arteria pulmonali H. dextrum occupabat latus, occultato ventriculi vulnere, hæcque aortæ arcui I. annexa & per canalem arterioſum K. continua ſiniſtrorſum ad pulmones progrediebatur. Tota inſuper dextra auricula in dextro latere locum occupabat cum venæ cavæ principio, cujus truncus adſcendens L. vulneri apertus eral, deſcendens hepar ingrediebatur.

II. Vulnera autem iſta allegandi occaſionem præbuit mactatoris culter, qui per jugulum, vel ad ſterni cum coſtis primis conjunctionem adactus & dextrorſum dire-

ctus, thymi partem, venæ cavæ adſcendentis anticam partem, pericardium & ventriculum dextrum fere ad ipſius finem vulneraverat.

III. Ex aortæ arcu duo prodibant rami, quorum alter â dicto cultro erat abſciſſus M. alter conſervatus, venæ cavæ ad ſuperiora ſocius N. Deſcendens vero ejus truncus O. ſuper vertebrarum corporibus ſitus, ad dextrum latus declinabat.

IV. Per hepar vena cava in homine deſcendens aortæ jungit, hancque comitatur usque ad os ſacrum, in via emittens venas lumbares, adipoſas ad externas renum partes excurrentes, idem renales & ſpermaticas, circa nominatum os dein ſe ſe diſpergit in duas iliacas, ſed in porcello vena cava ex hepate immediate inſinuabatur renali dextræ, indeqne excurrebat ad iliacas, quarum neutra aortam tranſcendebat.

V. Mediaſtini connexio videbatur naturalis, pericardii ſitus anomalus, in connexione cum vicinis partibus differebat.

VI. Glandula thymus exilis duos transverſos pollices longa, digitum lata, duos ex arcu ramos continebat, quorum alter vulnere erat abſciſſus.

VII. Pulmones ſitum obtinebant naturalem: In ſiniſtri lobi parte ſuperiori duo erant minores lobuli, ſuperior ſiniſtrorſum, inferior deorſum poſiti P. Dexter tribus pariter conſtabat lobulis, uno majori, binis minoribus.

Vaſa cordis diſſecare & interiora cordis examiare hac vice conſultum haud duximus, quod ob rarum cordis ſitum, eadem cum corde in liquore quodam, ad rei adeo

inſo-

insolitæ certitudinem, si forte penicillus aberraret, conservare præstaret.

Multi aderant Studiosi, quemadmodum in prioribus, ita & in decima hac sexta hujus anni demonstratione. Præterea Reverendissimus Episcopus & Pro-Cancellarius, Doctor *Andreas* Kydelius, Archiater & Histor. Professor, Doctor *Stobæus*, nec non Dn. Professor Lagerlöf, oculati adsunt testes hujus observationis, læto omine in novo & splendido amphitheatro ad operas anatomicas, continuo & alacriter exercendas, incitantis.

(*Lundis Scanorum Erfordiam missa d. 28. April. 1736.*

OBSERVATIO CXXXIII.

DN. M. ALBERT. DANIEL MERCKLEIN.

De

Emendanda massa vitrea, pro acquirendis Lentibus perfectioribus in Opticis adhuc desideratis.

QUantum intersit Scientiæ Opticæ, vitra habere integerrime continua, nullis omnino poris, ne minimis quidem infecta, densitate æquabilissime temperata, coloris penitus expertia, arenulis, reliquis-

que impuritatibus non contaminata, adeoque ſimpliciſſime homogenea, prius vix intelligi poteſt, quam inanis licet immanis labor, Opticum, ad altius hujus defectus examen adigat. Certiſſimum eſt, requiri tantam maſſæ ipſius vitreæ perfectionem internam, quantam & delicatiſſimi Opticorum ab exactiſſima lentium figura externa poſtulare poſſunt. Sint ſcutellæ ex quibus vitra teruntur, ſegmenta ſphærarum accuratiſſima, ſint Lentes triplici iſto motu methodo Leutmannia paratæ perfectiſſimæ, ſit politura utriusque lentium ſuperficiei nitidiſſima; ſane, ſi maſſa iſtarum intus conſiderata non homogenea, ſtagnantis aquæ inſtar limpidiſſima, habebis lentem, nudo oculo conſideratam egregiam, in examine autem optico ut plurimum peſſimam. Venas, ſpiras, gyros, vortices, nebulas, fumos, &c. Lentes objectivæ, tuborum in ſpecie, ægre tolerant, militant enim cum vitrorum æquabiliſſima temperatura, ad radiorum, diaphano legalem tranſitum, neceſſaria. Lapilli, arenulæ, bullulæ. &c. homogeneitatem turbant, radios reflectunt, abſorbent, & maculas objectis per eas viſis affingunt. Et hæ maculæ ſunt apertæ, quæ ab artis peritis evitari poſſunt, ſed an fruſtum vitri undis omnibus deſtitutum nullisque fluctibus perturbatum adeoque non ventoſum ſit, oculi etiam exercitatiſſimi non ſemper dignoſcere queunt.

Ita ſæpius hoc vitium latet, ut nitoris ac polituræ præſtantiâ viſum eludat, & naturali oculorum acie vix dijudicari queat. Quodſi autem lens talis in punctum confuſionis deducatur, id eſt, ſi ſtatuatur inter objectum quoddam certum & oculum, ac eo usque accedatur ad len-

lentem, vel recedatur ab illa, donec objectum in punctum confusionis deducas, si Lentes fuerint cavæ, quod fiet, si objectum neque situ erecto neque inverso, sed omnino confuso apparebit, ita ut neque figurarum species, neque colorum qualitates, nec lucis ab umbra discretionem internoscere valeas, tunc deprehendes, quicquid vitiosum isti inerit. Vel si Lentem noctu candela accensæ obvertas, eamque ita dirigas, donec istam in puncto confusionis aspicies, hoc est, si tota æquabili luce perfusa apparebit, pariter miraberis, in diaphano tam nitido tantas inhærere sordes tantosque fluctus & vortices. In Lentibus objectivis tuborum convexis, etiam in arte magistri sæpius falluntur, peracto jam omni labore, dum fluctuum internorum præsentiam ex lurida Objectorum visorum apparentia, itemque apertura Lentis justo minore aliisque circumstantiis, tunc demum, si tubus compositus sit, observationibus institutis subsumere licet. Sæpe contingit, si tabula vitrea a b c d e f g. Fig. 5. Tab. VIII. secundum spissitudinem ejus a d e f. oculo nudo in opticis jam acuminato obvertatur, ut undæ & fluctus quasi natitantes discernere possimus, & hæc vitra lapidi fissili similia, sunt omnium pessima.

Noto notius est, visionem fieri in linea recta, quia radii procedunt in linea recta unius ejusdemque diaphani. Sic manet radius a b. Fig. 1. Tab. IX. rectilineus, quamdiu in aëre ex a. usque ad punctum vitri b. progreditur. Quam primum per b. vitrum ingreditur, non tendit in pristina via ad x. sed refractione facta, aliorsum, licet in linea recta b. c. tandem in egressu ex vitri puncto c. non ad y. in priori, sed nova, licet iterum recta, alia

 procedit

procedit linea c. d. Quodsi nunc radii a a a a Fig. 2. Lentem vitream fluctibus hisce invisibilibus, licet pessimis, maculatam permeant, post justam in e e e e. factam refractionem primam, non in linea nova recta ef, ef, ef, ef, ut deberent, propelluntur, sed toties in transitu totius massæ d x refringuntur, quoties ad undam novam accedunt, imo pro diversitate fluctuum vel cavorum, vel convexorum, mox â perpendiculo recedunt, mox ad istud, legi quidem naturæ conformiter in se, sed non ex hypothesi figuræ lentis sphæricæ convenienter accedunt, adeoque in egressu ex lente in aërem ad justum perpendiculi punctum quod focum, â collectione radiorum ignem excitantium, appellare solent, pervenire nequeunt.

Originem vitii hujus supremi ex prima vitrorum fabrica, in officinis vitriariis instituta, derivo. Qui modum parandi tabulas vitreas ad specula plana majora destinatas sciunt, ex quorum frustis plerumque lentes efformantur, viderunt sine dubio eas primum formam cylindi cavi habentes, dein vero ignitas adhuc, dissectas super arena complanatas. Hæc methodus massam gyrandi per rotationem in cylindrum, distorquet illam, & interne, ad varios gyros ac vortices. Explanatione ac dissectione dein superveniente, gyri hi in cylindro prius rotundi, nunc in tabula vitrea expansa permutantur in undas fluctuantes imo varias alias distorsiones innumerabiles, ita, ut vitra plurima ceu aqua inter fluctus congelata sibi concipi debeant: Hinc illæ lachrymæ, hinc hæc vitia vitris fere omnibus inhærentia interna hucusque insanabilia. Ex hac etiam potissimum causa KOLHANSIUS non sine causa cum aliquibus aliis auctor est,

ut

ut ad evitandas has undas, massa ex fornace ope forcipum, scutellæ figuram in labiis habentium eximatur; & *Schyrleus de* RHEITA vitrum Telescoppii in vitrina infundi curavit die veneris vel sabbathi, quia tunc materia esset purior & magis cocta ac purificata, ut nimirum hoc modo homogeneitas, illo vero continua integritas aquiratur. Sed cum non cuivis optico liceat adire officinas vitriarias, præterea hæc forcipibus facta extractio, variis adhuc subjecta sit incommodis ac periculis, alius excogitandus erat modus parandi vitra homogenea integerrima ad usus diopticos idonea. Medelam nimirum addere vitris vitiatis cogitavi. Nosse morbum jam est dimidium curationis, & cum vitia hæc interna oculum fugientia, in prima vitrorum concoctione & rotatione, dum mollia adhuc sunt, oriantur, certe non nisi reducta ad priorem mollitiem, id quod igne præstandum, cum malleabilia non sint, vitium hoc deponent. Ad hunc corrigendi modum manuducebant me quoque frusta quædam vitrea melioris notæ, Lentes objectivas majorum tuborum perfectissimas suppeditantia, quæ ê ruinis ædificiorum incendio concrematorum, ceu specula quondam majora incendio autem prorsus colliquata & denuo indurata, effodiebantur. Hoc, casu datum, experimentum me credere jussit, speculorum horum frusta vehementiori igne iterum colliquata absque ulteriori agitatione sub ruinis jacentia, ac successive inter carbones ardentes coalita, undulas omnes hoc modo deposuisse, & æqualissimam densitatem cum integerrima temperatura penitus obtinuisse. Nihil igitur restabat, quam invenire modum quo omni tempore parvis sumtibus, & absque ingenti labore

frusta

frusta quævis vitrorum, ad tubos perfectiores necessariorum, hac colliquatione corrigi possent. Cum jam artem emolliendi vitra & imprimendi figuras quascunque alio tempore didicissem, nec minus modum KOLHANSII in *tract. opt. p.* 344. *seq.* descriptum, emollitione nimirum vitra ad figuram desideratam deducere, legissem, licet utrumque adeo sufficiens non esset ad corrigendas undas, ut potius distorsionem massæ majorem exigua hæc emollitio secum trahat, tamen occasionem dedere ad alium vitra fortius cogentem modum, ope cujus ad fluxum usque reducta vitra ventosa striata, arenulis bullisque contaminata, nunc limpidissima, nullis fluctibus turbata, bullas & arenam ad superficiem protrudentia, quæ dein tersione removentur, reddere queam.

Nimirum non opus est juxta BORELLUM, ut formemus patellas, ex mera terra Tripolitana confectas, ad emollienda, igne graduato, vitra, at alterius patellæ ope, contrariæ figuræ interventu figuram capiant concavam aut convexam, quæ dein (sit fides penes auctorem) sola tantum politura egeant. Sed sufficit bene monente KOHLHANSIO *loc. cit. p.* 545. si modo ê Tripolitana terra sint factæ formæ, seu moduli interni vitris figuram dantes, quæ dein luto illo, quo moduli ad fundenda metalla parantur, super indui possunt, Nam emollitionibus his possumus quidem aliquid sed non omnia obtinere, adeoque sumtus modulorum unice ex ista terra paratorum non sunt necessarii, cum per istos vitra quidem emollitione hac figuram desideratam, sed non massam correctam, multo

to minus lævigationem eam, ut mera politura indigeant, accipiant.

Necessum ergo est, ut massa vitrea undulans penitus iterum igne graduato colliquescat & instar stagnantis aquæ ad fluorem usque, licet tenaciorem, reducatur, quia extra hunc statum fluctus vitrorum mediocri ista emollitione plus multiplicantur, quam obliterantur aut tolluntur, unica hac via excepta, si ferro hunc in finem adoptato fortiter premantur, de quo in Commercium Noricum Litterarium Anni 1734. jam jam methodum meam communicavi. Modum autem, ut vitra prorsus confluat, & quieta stagnatione, ejectis fluctibus ac undulis, & ad peripheram extremam descendentibus arenulis ac bullis, quod ultimum vitra emollita pressa præstare non possunt, ad integerrimam substantiam limpidissimamque massam iterum redigantur, nunquam me legisse memini, quam tamen crebris observationibus & immenso labore multis conjuncto sumtibus, detexi. Absolvitur hæc methodus sequentibus numeris.

I. Fornaculam ê lateribus & luto paleato, non argilla, constantem, ut primo omnium paucis describam, ope cujus parvis sumtibus hæc, igne possibilis, vitrorum correctio institui potest, ordo naturalis requirit. Altitudo hujus a. b. Fig. 3. Tab. IX. ascendit ad 3½ vel 4. pedes, longitudo interna, (in Lichten,) c. d sit 1½ aut 2. laditudo vero interne d e. unius vel 1½ ped. Forma interna pyramidem inversam truncatam mere Chimicis usitato repræsentet. Craticula f. g. inferior cum ostiolo inferiori h i. modo ejus sit, â foco culinari, cui tuto fornacula superstrui potest, altitudi-

nis, ut cineres delabentes ſufficiens receptaculi ſpatium invenient. Craticula ſuperior l m. ab inferiore tantum diſtet, ut ſi lignis ſuper craticula inferiore flamma excitetur, iſta nec exſtinguatur, nec in reverberio impediatur. Baculorum ferreorum diſtantiâ â ſe invicem in craticulis ambabus, adeo ſit exigua, ut carbonibus omnis denegetur tranſitus. Oſtiolum ſuperius ex altero latere in k. conſpicuum ita adaptetur, ut l m. & m k. ſibi invicem immediate ſint perpendiculares, id quod ad eximenda & imponenda vitra exigente neceſſitate multum inſervit. Adſit jam tabula terrea 1. 2. 3. 4. bis in furno figulino cocta, hujus magnitudinis, ut, ſi craticulæ ſuperiori imponatur, ſpatium craticulæ laterale duos circiter digitos adæquet, ad permeationem ignis neceſſarium. Huic tabulæ craticulam ita tegenti ſuperimponatur cylindri cavi dimidium, vel ut Chymici amant loqui, eine Muffel, (Ego ſæpius olla dimidiata utor & tabulæ terreæ vices tegula bene cocta ſubire poteſt.) Et ſic fornacula ad hunc & alios plures labores erit parata.

II. Sint jam ad manus annuli ferei majores minoresve pro diverſitate diametrali vitrorum corrigendorum, quorum aliqui figura 4. 5. & 6. indicantur. Solent hi ex laminis ferreis, vulgo Sturtz/Blech, parari, altitudine unius fere digiti, quam tamen diverſa vitrorum craſſities in praxi optime determinabit. Debent autem hi annuli clavis ferreis conjungi, ut igneis vim absque metu diſruptionis ſuſtentare queant.

III. Sumatur arena fuſoria, quam germani Gieß Sand, appellant, & quæ plerumque ex luto paleato in pul-

ve-

verem minimum redacto, intermixtis tegulis bene coctis, in mortario contusis ac secerniculo purificatis, componitur, Humectetur ista cerevisia ita dicta secundaria, ita, ut nec madefacta, nec etiam sicca, sed modo humida sit id quod habebis, si successive semper aliquot affuderis guttulas, digitisque indesinenter massam bene agitaveris, addita semper nova cerevisia, usque dum manibus pressa figuram compressam servet, nec tamem madeat.

IV. Reple hos annulos ultra dimidium arena hac fusoria humida, & comprime hanc digitis pro viribus. Superficies dein superior arenæ, annulo cinctæ, obducatur terra Tripolitana optime pulverisata pariterque modicum humida.

V. His peractis inprimatur vitrum corrigendum terræ huic Tripolitanæ, ita tamen, ne annulum ferreum in extremitatibus attingat. Et si hæc omnia rite fuerint observata, eximatur vitrum caute, & annulus ferreus arena hac fusoria modo descripto repletus seponatur in locum, nec radiis solis, nec pluviis, nec alii calori intensiori obnoxium, ut pedetentim absque metuendis rimis exsiccet. Ubi insuper notandum, quod si plures annulos simul ita repleveris, una fidelia duos & plures poteris dealbare parietes.

VI. Qui sciverit huic terræ Tripolitanæ annulo inclusæ figuras sectionum conicarum apte imprimere, is hac via quoque vitra ex una parte ruditer hyperbolica, parabolica & elliptica, faciliori dein labore terenda sibi fundere poterit. Sic enim majores sectionum coni-

carum lentes, circa axem, usitatam sphæricorum vitrorum crassitiem multum excedentes & secundum quam cunque spissitudinem adaptare, & figuram illarum, tersione aliàs laboriosissimam facile efformare & massam integerrime continuam, uno labore ignis simul parare poterit.

VII. Exsiccatos hos modulos una cum superimpositis vitris planis ad rotunditatem aliqualem, si possibile, jam deductis, vel aliis frustis speculorum meliorum irregularibus, imponas nunc fornaculæ superius descriptæ, vel ut Germani rem exprimunt: **Setzet die Ringe mit denen Gläßern unter die Muffel.** Quo facto injiciantur in fornaculam ad quatuor ejus latera carbones non candentes, candentes autem pauci super illos priores, & postea plures non candentes iterum super hos, ut fornacula ad dimidium iis sit repleta.

VIII. Aeris ope carbones reliqui â candentibus excandefient omnes, ostiolis duobus ab initio patentibus. Quam primum moduli cum vitro ignescunt ad instar ferri, tunc statim claudatur non modo ostiolum anterius k m. sed & super craticula inferiore f. g. per ostiolum h. i. excitetur flamma per lignorum frustula ad latitudinem fornaculæ proportionata.

IX. Fornaculæ superius patenti injiciantur nonnunquam carbones novi, ut semper ad dimidium altitudinis iis sit repleta, tecta simul apertura superiore laminis ferreis, quibus adhuc lateres imponi possunt, ut arceatur ignis. Inferior vero flamma alatur aliis semper injectis frustulis ligneis, usque dum, id quod remoto non nunquam operculo ostioli anterioris K. m. experiri licet, vitra

tra colliquata penitus, imo fluentia, quod ex contremiscentia massæ ignitæ, si fornaculam forcipe carbonum pulsaveris, dijudicare licet, appareant.

X. Si ignem prudenter tractaveris, intra quatuor horarum spatium massam tuam videbis cum jucunditate fluentem. Quo viso conserva ignem in hoc gradu ad minimum per integram horam, hacque elapsa eximito carbonum superiorum partem, si hoc ad futuros usus conservare velis, & sinito annulos cum vitris inter candentium carbonum reliquias manere, usque dum calor omnis exspiraverit, ac fornacula per se tota refrixerit. Ego, ne fornacula extractione carbonum multum commoveatur, eoque ipso massa adhuc fluens tremula iterum reddatur, unde in concretione vitri nova, iterum novæ in circulum abeuntes undæ undis, quas lapides aquæ injecti formant similes emergere possent, raro carbones hos paucos eximo, sed si vitrum intra annulum bene colliquatum atque fluens observo, fornaculam ignitam prorsus immotam reliquo, nullo amplius igni pabulo addito, nullis etiam carbonibus, parsimoniæ ergo, extractis. Imo domesticis meis illa hora omnes conclave forsitan commoventes labores interdico, usque dum supremo ignis gradu relaxato consistentiam novam, integerrimam, continuam limpidissimamque vitra mea corrigenda acceperint, ac vere correcta fuerint. Hæc jam brevi tempore amœnissimo hoc modo, sic purificata, nullisque fluctibus amplius conspurcata, vitra secundum demonstrationes dioptricas, concursum radiorum, ad determinatum in lentibus punctum, in tanta, absque perturbatione, copia exhibebunt, ut, si & de sphæricis modo sermo sit, apertura multo major illis concedi

poſſit ,quam innumeræ ex vulgari vitro paratæ lentes admittent. Cujus intereſt habere lentes tuborum majorum objectivas præcipue exactiores , illum non pigebit rem experimento comprobare. Sumat ex una eademque tabula vitrea, in ſe nudo oculo conſiderata puriſſima, duos orbiculos A.&B. fig.7.& 8. tab IX. Ex vitro orbiculari A. paretur Lens objectiva 12. pedum diſtantiæ ſemidiametralis. Alterum orbiculare B. corrigatur prius in fornacula, modo hactenus ſufficienter deſcripto, correctum teratur ex eadem ſcutella cum pari diligentia, ut ejus radius ſit 12. pedum ; ita ut duo hæc vitra objectiva ſint unius maſſæ, unius foci, unius artificis induſtria pari elaborata. Imponatur unum poſt alterum tubo ad 12. pedum diſtantiam extracto , & apparebit differentia. Certe Lens prima A. abſque correctione hac terſa, vix abſque lurida objectorum apparentia 1 $\frac{09}{100}$ aperturæ admittet , cum lens rite correcta 1 $\frac{89}{100}$ adeoque $\frac{80}{100}$ plus prioris aperturæ aſſumet. Sæpius lentes objectivæ, in ſe conſideratæ nitidiſſimæ, nullius tamen, ſi tubo adaptentur, valoris & uſus ſunt, ac imagines , ſi minimam etiam dederis apeturam, nunquam tamen claras ac vivaces , ut nebula videatur detracta , oculo conſpiciendas ſiſtunt, cujus rei nulla alia ratio dari poteſt (ſi figura ſphærica & politura vitio carent) quam quod perturbatio fluctuum internorum ſumma & intricatiſſima totam maſſam adeo repleverit, ut vix duo radii refracti diverſorum objectorum punctorum ad unum idemque punctum in foco concurrere poſſint. Et ex adverſo, ſi Lens maſſæ non correctæ aperturam eandem cum correcta admitteret, tunc ex hac obſervatione indubitato colligere liceret, tabulam vitream in ſe jam integerrimam atque homo-

homogeneam fuisse. Qui enim Opticorum in terendis vitris laboriosiores sunt, fatebuntur, casu nonnunquam accepisse lentes, quæ præ aliis multis, licet ex una sphæra, parique industria tersis objecta longe majori cum nitore ac vivacitate sistant visibilia. Quam quæso aliam licebit dare causam? quam quod artifices; forte casu, melioris massæ frustum vitreum nullis fluctibus internis, secundum superiora dicta, vitiatum inscii sumserint. Ante aliquot demum septimanas tubulum duobus vitris, oculari concavo, unius digiti, objectivo convexo unius pedis instructum, paravi, cujus generis telescopia multa jamtum me fabricasse fateor, quæ omnia sat pellucida fuere, sed per hoc ultimum, licet vitra non fuerint correcta, objecta adeo nitida, clara, distincta atque illuminata apparent, ut jurares, nulla prorsus inter oculum & objecta interstare vitra. Cum jam scutellæ fuerint cum prioribus telescopiis eædem, cumque machina Leutmanniana, qua utor in sphæricis, licet parum mincatu omnium Lentium sphæricarum mearum sit artifex, certe hujus præ reliquis antecedentibus prærogativa non nisi materiæ harum lentium, quoad interna considerate, perfectioni plenariæ adscribi potest; manifesto indicio, quod hæc hactenus descripta & multis propriis experimentis comprobata emendatio massæ vitreæ prius si lentes opticæ effectus desideratos præstare velint, institui debeat, quam de externa illorum figura iusta & politura suprema cogitandum sit. Hac jam correctione felicissime inventa, qua me tubis præprimis, sphæricis adhuc armatis lentibus, medelam credo optimam dedisse; nunc, si Deus vitam & vires concesserit, in rationes refractionum, pro diversitate massarum vitrearum ita correctarum, inquiram, eumque in finem non modo ex officinis

ficinis vitriariis Germaniæ hactenus, quantum possibile fuerat, vitrorum diversitates examinavi, sed & Veneta, Romana, Anglica & Hollandica &c. vitra quantum differant â se invicem, respectu materiæ, id quod ex variante ratione refractionis petendum, incudi subjiciam. Si mihi cum vitris mere sphæricis res esset, superflua quodammodo hæc censeri possent, juxta mentem plurimorum opticorum; sed cum conicarum sectionum lentes multis parasangis sphæricas superent; harum justa fabrica requirit, ut cognoscantur omnium vitrorum, pro diversa consistentia, diversa ratio refractionis.

Nimirum non quævis linea hyperbolica, exactissima etiam, in se considerata, in dioptricis præstanda; sed bene jam iterum monente licet non explicante KOHLHANSIO, *loc. cit. pag.* 204. *Hyperbola secundum vitrorum refractionem proportionalis esse debet, ut hujus ope tollatur & emendetur refractio.* Cum jam vitra variæ sint densitatis, eoque ipso etiam refractiones differant, sequitur necessario, lineas quoque hyperbolicas alias atque alias futuras, ita, ut ex. gr. lens hyperbolica trium digitorum ex alia linea hyperbolica elaborari deberet, si refractionis ratio esset ut 13. ad 20. aliter si ut 11. ad 17. & aliter si ut 2. ad. 3. Cum etiam insuper proportio lineæ hyperbolicæ cum vitri refractione prius non possit determinari, quam ratio refractionis pateat; nullus certe Opticorum, lentes sectionum conicarum elaborans, felicem laboris videbit effectum, si non primo omnium sciverit, massæ suæ vitreæ hyperbolice terendæ, rationem refractionis. Quodsi intricatissima hæc licet utilissima & scientiam dioptricam ad fastigium

per-

perfectionis suæ evehens, materia, juvantibus, ut spero, Patronis per Europam dispersis, variasque massas vitreas communicantibus, ad palatum fuerit Opticæ studiosis, & istius futuro tempore genuinam descriptionem promitto.

(Fræhnstockhemio Erfordiam missa d. 28. Maj. 1736.)

OBSERVATIO CXXXIV.

DN. D. JOH. FRIDER. HENKELII.

Dyspnoea insignis, anoterica fragmenti costæ bovinæ ejectione curata.

VIr litteratus, sexagenarius, corporis valde succulenti, rheda vectus, in via saxosa, lapsu adeo gravi succubuit, ut brachium & humerus lateris sinistri valde suggillata conspicerentur. Sanguinem tamen non exspuit, nec postea pus ejecit, neque alia ejusmodi perpessus est symptomata, quæ læsionis internæ notabilis indicium fecissent. Quam ob rem non nisi emplastris discutientibus & roborantibus sibi prospici curavit, cæterum sub regimine nonnullo aliquot dies aëri liberiori se subtraxit, graviora mala, si quæ interna metuenda forent, sic evitaturus. Postquam â contusione ista melius se habere cœperat, sicuti ægrotus mihi constanter retulit, non ante, neque tamen multo post, animadvertit gravem dyspnœam, & præterea tumorem aliquem in scrobiculo

cordis, ſub quo ſimul anxie conquerebatur, de ſenſu ingentis molis ſaxeæ, eo in loco pectus valde prementis & conſtanter huic, quaſi incumbentis. Hoc non obſtante, deglutire ſtrenue & ſine dolore valuit aſſumta omnia, imo ipſos duriores panis cruſtas; carnes tamen ingeſtas ægrius progredi animadvertit. Cujus differentiæ cauſa ſine dubio hæc eſt, quod hæ per ſe tenaciores, & maſticatione minus debite peracta, non ita, uti panis cruſtæ comminutæ in canali, quem tranſire debent, vel per obicem aliquem jam præoccupato vel tumore ſui ipſius coarctato, vel ab onere adjacentis partis preſſo, non poſſunt non impingere, motum ejus periſtalticum difficilem reddere atque ita dolorem inferre.

Dyſpnœa igitur morbus fuit, quo cum miſer hic per novem menſes ægerrime conflictatus eſt, nunc quidem tolerabilior, nunc acerbior idque inprimis noctu, vel ſi decumberet, ut ê lecto ſæpius quaſi ſtrangulandus proſilere coactus fuerit. Medici nonnulli anxietates & inflationes hypochondriacas ſubeſſe exiſtamabant, ſcirrhum alii, neutrum quidem ſine ratione: Polypum nonnulli, imo nec deerant, qui phthiſin minitarentur. Æger tandem perſvadere maſculè annitebatur omnibus, lapſu ſupra dicto coſtam ſibi fractam atque coſtæ fragmentum eſſe, quod ſibi palum hunc fixerit. Ridicula ſane opinio; pro variis variorum medicorum ſententiis, in varias itum eſt medendi methodos. Ego in auxilium vocatus, mentem potiſſimum dirigebam ad œſophagum, non equi-ſuſpicans, adeſſe peregrinum aliquod corpus, quod dies quidem poſtmodum docebat, nullus autem ne emunctioris quidem naris homo ſubodorari poterat, exiſtimans

tamen,

tamen, massam aliquam muci densioris tenaciter adhærentem, veram morbi esse causam. Verum neque largioribus digestivorum, maxime incidentium, haustibus neque vomitoriis undiquaque commoventibus & stimulantibus, lapidem movere aut promovere potui. Tandem, præmissis hisce non plane irritis, materia peccans ê loco hactenus affecto dimota & versus superiora sensim revoluta, screatu, tussi & nisu omni usque ad orificium devenit, hominem vero progrediendo ita strangulavit, ut lipothymicus factus, brevi plane exspiraturus videretur. Ad se rediens paululum, tussi levi exspuebat cariosum ossis fragmentum Fig. 3. & 4. Tab. X. delineatum, quod recens humidumque & majus erat, & magis dentatum adparebat.

Est illud sine omni dubio fragmentum costæ, in exteriori parte paululum convexum, in interiori autem porosum, latitudine pollicem non parum superans, longitudine pollicis dimidium, ea crassitie, quam costæ fissæ referunt. In substantia pumicea, qua costarum substantiam exactissime refert, ultra quam etiam tabula extima dentata, vel festucata, prominet, ab utraque longitudinis extremitate diffractiones ita factæ apparent, ac si quis exteriorem tabulam ossis, ubi adhuc integrum fuit, ab isto latere ascia incidisset, ictus vero, ossi plane dissecando impar, reliquum ossis obtuse conquassando fregisset.

Ut taceam materiæ hic exacte depictam & descriptam qualitatem & quantitatem, vel hoc solum, quod nulla ratione intelligi possit, qua via & quo modo costæ in corpore humano fractæ pars in œsophagum, vel, si mavis, arteriam asperam pervenerit, satis evincit, fru-

ſtum oſſis dicti, velut peregrinum in corpus hujus viri aliunde delatum eſſe. Quicunque etiam illud conſiderat, non poteſt non pro coſtæ bovinæ particula id declarare, partim aſcia abſciſſa, partim diffracta, quam hic noſter voracius & improvide deglutiendo, forte eam juſculo abſorpſit, quæque deinceps canalem ingreſſa, aut latere aliquo dentato, aut, quod tamen minus probabile videtur, tota transverſim impacta & â viſcido concurrente magis affixa fuit.

Non plane negligendi ſunt illi, qui in arteria aſpera hæſiſſe hoc corpus delicti autumant, præcipue fiſtulam pulmonalem ſibi fingentes ſolito ampliorem, ſed majoribus certe ratiocinandi difficultatibus ſe implicant. Ut taceam alia, quæ Lector ipſe ex datis recenſitis elicere poterit, argumenta, hoc tantum in memoriam revocare ſat erit quantos motus turbasve vel minima panis mica, in fiſtulam forte illapſa, ciere ſoleat. Quis igitur ſibi perſuadere poſſit, os tantæ magnitudinis, tantæ aſperitatis in eam tam profunde penetraſſe, & tamen oſſivorum noſtrum illud non ſumma cum moleſtia ſtatim animadvertiſſe, neque eo ſuffocatum fuiſſe, inprimis cum & recordari ipſe plane nequeat, quo tempore tale quid ſibi contigerit, ut etiam propterea vix aliunde, quam â lapſu ſupra memorato perpeſſo cauſa & origo hujus cyclopicæ micæ derivari queat, Quicquid tandem de ætiologia hujus rei ſit, optimum hic erit, ſi primo Medicis cautelam circa morbos contumaciores maxime notandam ad animum revocare licebit, quod in iſtis ſæpius, quam quidem cogitamus, peregrina in corpore humano ſubſint, deinde omnibus & ſingulis, qui ſuo corpori curatius proſpicere cupiunt, regulam ex Syracide Medico

repeten-

repetendam, commendo: Mi fili, ne voraciter comedas.

(Freyberga Erfordiam missa d. 20. Iun. 1736)

OBSERVATIO CXXXV.

DN. D. CHRISTOPHORI IACOBI TREVV.

Hydropis cerebri atque meningum pluriumque malorum iunctorum historia anatomico-medica.

VIr quidam macilenti habitus ſeriis gravibusque negotiis in ſolitudine eo usque delectatus, ut motus de die, ſomni vero capiendi noctu, penitus ferme obliviſceretur, ante decennium diros patitur affectionum nephriticarum cruciatus ac largam denique excernit calculorum copiam, poſtea â malo hoc immunis. Ceterum vero per plures jam annos conflictatus eſt cum malo hypochondriaco, cui ſuppetias largiſſimas tulerunt excandeſcentiæ animi crebriores, ut & ſcorbutica acrimonia, utraque temperamenti ſoboles, concurrente ſimul humorum ſpiſſitudine, ex largo paſtu eo magis orta, quo minus maſticatio, ob dentium plurimorum ex ſenio defectum, ſuccurrebat, vel motus inteſtini languorem excitabant commotiones externæ. Omnia graviora fecit regimen valetudinis, quo afflictus, tempore cum primis hyemali, utebatur in conclavibus nimium calefactis, omnem lympham fluxilem perdentibus nervosque ad fe-

 rendas

rendas aëris injurias imbecilles reddentibus. Ita comparatam corporis œconomiam haud parum quoque afflixit tempestatum anni superioris scilicet 1736. inclementia, primum semper fere humida & frigida, deinde valde æstuosa. Vacillantis sanitatis atque naturæ roboris deficientis prodromi erant cessans sub initium dicti anni hæmorrhoidum fluxus per plures annos copiosus, notabilis languor corporis tantum non universalis capitisque præcipue gravitas memoriæque lapsus, siccitas porro oris perpetua & denique accedentes alvi constipationes, appetitus dejectio & vomitus materiæ acidæ & viscidæ copiosi, ructus item frequentissimi cum ardoris & gravitatis in epigastrica regione sensu continuo. Hæc accidebant anno ætatis ejus sexagesimo septimo, & ego reliquorum Medicorum consiliis accessi die mensis Septembris duodecimo, tuncque ægrum inveni lecto quidem nondum affixum, ast, præter nominata mala, de summa virium prostratione, sensuum obnubilatione, appetitus plenario defectu atque conatu vomendi perpetuo potusque metum injiciente conquerentem. Pulsum deprehendi æqualem & sano ferme robore instructum; urinas, & quantitate & qualitate, a sanis vix differentes; linguam haud quidem siccam, non nisi viscoso tamen & spumeo humore madefactam; nasi manuumque extremitates frigefactas. Vomitus hoc in die oriebatur bis, copiam liquaminis viscidi eructans. Non obstantibus pulsu atque urinis, ad naturæ quasi sanæ normam comparatis, summus cumprimis virium defectus capitisque perturbatio satis prodebant, latere anguem in herba, secundum axioma: Pulsus sanus, urina sana; & tamen æger moritur. Situs in lecto supinus utilior quidem erecto commen-

mendabatur, tum ad paucas vires reſiduas conſervandas tum ad deficientem calorem nativum fovendum; ſed ægrotus renuebat, perſuaſus, inde moleſtiarum farraginem augeri. Ex medicamentis propinabantur hoc die pulveres abſorbentes & tonici, atque mixtura ex aquis analepticis & iisdem ferme pulveribus compoſita, quæ medicamenta communi conſilio Dnn. Medicorum hactenus in auxilium vocatorum pridie demum præſcripta erant. Pro cibo aſſumebantur juſcula tenuja & potum conſtituebat ptiſana pauco cinnamomo maritata vinique mediocris unus vel alter hauſtus interpoſitus. Sub veſperam applicabatur clyſma ex lacte aliisque lenientibus compoſitum, quod brevi poſt excitabat blandam ſcibalorum globoſorum excretionem, ſomnus ſequebatur ſatis quidem tranquillus, ſed nullatenus reficiens. Altero die morbus eodem ſe ſiſtebat ſchemate. Quum de congeſtionibus, non ſolum in viſceribus infimi ventris, ſed & in capite factis, nullum ſupereſſet dubium, inflammatio præterea ventriculi, ut cauſſa, vel ſaltem effectus, frequentium vomituum, metuenda eſſet, tanto ſecurius commendaui medicamentum quoddam camphoratum (camphoræ ſcilicet grana decem cum ſesquidrachma olei amygdalarum ſoluta, cujus mixturæ guttæ 10. vel 15. quavis hora ſexta propinabantur) quanto certius hoc ſtaſes incipientes reſolvere, ſimulque nervorum ſtricturas laxare potens eſt. Ad pituitam tenacem ſubigendam ſimul præſcribebatur eſſentia ſalino-amara ex liquore terræ foliatæ tartari, eſſentia corticis caſcarillæ & centaurii minoris mixta: quæ vero, ob ſtimulum in ventriculo maxime ſenſili metuendum, in uſum non vocata eſt. Ceterum viribus proſpiciebatur mixtura cordiali

ſæ-

ſæpius ad cochlearis menſuram propinanda, ut & epithemate carpi regioni applicando noduloque analeptico naribus admovendo. Hujus diei ſpatio unicus tantum oriebatur vomitus, & quidem tunc demum, quum ægrotus a meridie lectum denuo derelinqueret. Veſpera appropinquante clyſma ſuperius memoratum eodem cum effectu repetebatur, & nox iterum absque notabili mutatione tranſigebatur. Tertio die morbus eodem tramite pergebat, niſi quod virium jacturam magis adhuc perſentiſceret afflictus, tum quidem maxime, quum a meridie iterum ex lecto ſurgere animus ipſi eſſet. Vomitus nunc penitus ceſſabant, ructus tamen frequenter adhuc ſuboriebantur. Medicamentis iisdem inſiſtere conſultum ducebatur, ita tamen, ut mixturæ cordiali liquor anodynus mineralis Hoffmanni adderetur, atque præterea ſtomachus ſcuto roborante muniretur. Nocte inſequente grauis ſuperveniebat paroxyſmus ſaporoſus cum ſenſuum plenaria abolitione, qui tamen brevi poſt rurſus ſoluebatur neque adhucdum notabilem pulſus alterationem inducebat. Quarto die proclivitas ad ſoporem perpetua animadvertebatur, ita tamen, ut ſæpius lucida intervalla aliquamdiu intercederent. Præter iuſcula calida ſubinde ſorbillanda, aqua confortans cum pulveribus noſtrarum officinarum, quoad ejus fieri potuit, propinabatur, eique ſubinde aliquot liquoris volatilis oleoſi Sylvii guttæ jungebantur, atque inſuper julepus gemmatus cum ſpecifico cephalico Michaelis mixtus interponebatur; ſed omnia absque effectu: ſiquidem paroxyſmi ſoporoſi graviores, & nocte proxima & die inſequente, ſæpius redibant, nec non jectigationes & convu-

vulſionum molimina intercurrebant, adeoque rem conclamatam annunciabant. Præſcribebatur quidem mixtura analeptico-nervina, ſed intervalla lucida vix permittebant, ut una vel altera ejus doſis propinaretur. Sub mediam hujus diei noctem ſoporis gravitas denuo recurrebat, nec amplius ullius remiſſionis notam manifeſtabat, quin pulſus potius ſubinde quoque vacillare, & reſpiratio brevior atque laborioſior fieri incipiebat, triſtisque harum rerum ſtatus ad meridiem usque diei ſexti durabat. Mane quidem ad veſicatoria ſuris applicanda, ceu ultimum remedium, confugiebatur, effectus tamen eorum inefficax facile prævidebatur. A meridie pulſus, hucusque non, niſi per momenta quaſi, alteratus, in carpo evaneſcebat, & qualiscunque manuum ſudor frigidiuſculus percipiebatur, extremitatibus inferioribus interim calorem naturalem ſemper ſervantibus. Tandem hora ſecunda pomeridiana corporis animæque analyſis ſequebatur placidiſſima.

Mane proximi diei ſectio corporis ſequentia manifeſtabat. 1) Totum corpus deprehendebatur emaciatum, per 18 poſt mortem horas circa abdomen & pectus valde adhuc calens, & per dorſum ſugillationibus copioſis diſtinctum. 2) Abdomen apertum lixiuioſum parumper ſpirabat fœtorem mox tamen ceſſantem. Ceterum nusquam ulla lymphæ collectio ſeu extravaſatio in cavitate ejus apparebat. 3) Omentum & meſenterium naturalem exhibebant faciem, exceptis venis ſanguine nigricante repletis. 4) Ventriculus magnus & in regione fundi valde expanſus, atque præterea externe vaſis ſimili ratione infarctis refertus, conſpiciebatur.

tur. Cavitas ejus continebat copiam ſat largam liquidi fæculenti atque fœtentis, & interna ſuperficies maculis punctisque ſugillatis variegata apparebat. Stupentes quoque vidimus peculiarem pylori, ſeu dextri ejus orificii, conformationem: ubi enim ventriculus in duodenum inteſtinum deſinit, ibi per totum ambitum ſubſtantia ejus, ad palmæ latitudinem, craſſitie largi pollicis & denſitate ferme cartilaginea, ita aucta fuit, ut ſcirrhum quaſi repræſentaret & tranſitum digito intruſo vix concederet. Ipſa pylori valvula, rigida inde facta, officio ſuo amplius fungi non poterat. 5) Inteſtinum duodenum ſtructura ſua naturale, colore vero, extus rubente, intus liveſcente, alteratum ſe ſiſtebat. Jejunum & ileum inteſtinum maximam partem vacua erant, ceterum a naturali norma parum aberrabant. Cæcum inteſtinum, flatibus valde diſtentum & ampliatum, ad pelvim fere deſcendebat. Colon denique vario modo ſe habebat: ad ſtomachi enim fundum a cæco aſcendens, æque ac hocce, amplum & flatibus ita turgidum erat, ut pugni magnitudinem multum ſuperaret; ſub fundo vero ventriculi, ad palmæ menſuram, ita conſtrictum inveniebatur, ut latitudinem duorum digitorum vix æquaret. Poſtea, ad illum usque locum, ubi ſuper renem ſiniſtrum excurrit, priſtina amplitudine iterum diſtinguebatur, mox tamen eodem, quo antea, modo conſtringebatur, & ita in rectum usque inteſtinum pariter conſtrictum, continuabat. Hæc ultima tantum conſtricta portio ſcibalis glomeratis atque argillam gryſeam colore quaſi referentibus infarcta erat. 6) Jecur parvum, flaccidum & quaſi exſangue ſe ſiſtebat, hocque, plane ſingu-

lare,

lare, manifestabat, quod fellea vesicula diu quærebatur frustra. Tandem vero, reperto ductu cholidocho, hujus investigatio docuit, vesiculam quidem in loco consueto hærere, sed adeo exiguam esse, ut, flatu licet expansa, tota pollices duos longitudine & calamum scriptorium amplitudine vix excederet. Aperta unam vel alteram tantum continebat bilis flavæ guttulam, simulque parvum calculum, lentis circiter magnitudine in fundo hærentem. Ductus cysticus magnitudine ordinaria non inferior; hepaticus vero longe superior erat, ita, ut bilis hepatica quodammodo suppleviffe videretur cysticæ bilis defectum. Ceterum uterque ductus communi orificio, quemadmodum in aliis, ope ductus cholidochi communis cum intestino duodeno communicabat. 7.) In pancreate nil notatu dignum occurrebat. 8.) Lien, palmæ magnitudine, flaccidus & lividus apparebat. 9.) Ren sinister recte se habebat; in pelvi vero dextri renis hærebat calculus sescunciam ponderans, atque hinc inde eminentiis variæ magnitudinis inæqualis redditus. Ureter hujus lateris ordinaria magnitudine paulo amplior factus comparebat. 10.) Vesica urinaria flaccida, urinæ sat largam adhuc continebat copiam. 11) Pectus apertum pulmones sanguine hinc inde suffusos atque præterea sinistrum ejus lobum ubique ferme cum pleura concretum manifestabat. 12.) In pericardio parum exstabat lymphæ, atque cor ipsum etiam flaccidum & in dextra ejus auricula polyposa concretio fibrosa, pollicem quasi magna, reperiebatur. Ceterum neque cor, neque vasa majora, multum continebant sanguinis, qui insuper crassus & nigricans ferme

 pro-

profluebat. 13) In capite, ablato cranio, congestionem sanguinis statim declarabant turgidæ venæ per duram matrem transparentes, ipsi vero hujus membranæ sinus, longitudinalis & laterales, vacui prorsus reperti sunt. Remota dura matre, copia aliquot unciarum seri limpidi undique confluebat, multum quoque ejusdem sub ipsa pia matre, raro spectaculo, adhuc hærebat, ut & duos porro cerebri ventriculos anteriores, seu laterales, occupabat, neque tamen in plexu choroideo ulla labes conspiciebatur. Ipsa cerebri substantia deprehendebatur firma, & plura per medullarem ejus partem sparsa puncta ex atro rubentia congestionem ad caput factam ulterius comprobabant.

SCHOLION.

QUi hæcce omnia accuratione debita perlustrat, mira complicati morbi phænomena facile explicare poterit, ex quibus potiora attingere liceat. Diræ & longinquæ infimi ventris perturbationes, quæ formidabili hypochondriacorum affectionum nomine eheu notissimæ sunt, sine dubio primordia sua cœperunt ex bilis cysticæ penuria, quam non solum scibala minus tincta minusque subacta, verum etiam ipsa vesiculæ felleæ capacitas, vix illi infantis recens nati respondens reperta, satis testatam faciunt. Et quanquam sollicita natura defectum hunc copiâ bilis hepaticæ aucta suppleviſſe videatur, hæc tamen, minus amara, eâdem, ac cystica bilis efficacia destituitur: ut taceam, jecur atque lienem labefactatum nec huic laudabilem suppeditasse materiam. Qua vero prærogativa bilis cystica gaudeat non solum in stimulando motu intestino-

ſtinorum periſtaltico indeque dependente ſecernendorum & excernendorum legitimo ſucceſſu, ſed & in dirigenda digeſtione; quæque damna digeſtio læſa ſanguificationi, indeque oriundæ omnium humorum ipſorumque ſpirituum animalium ſecretioni adferat, in ſcholis Medicorum eousque jam declaratum eſt, ut, plura qui adderet, actum ageret. Peculiaris illa pylori conformatio pronuper jam facta, digeſtionem tanto magis vitiavit, quo minus crudorum & indigeſtorum e ventriculo egreſſum impedire potuit. Notum autem eſt axioma, vitium primæ digeſtionis, quæ fit inventriculo, ſi non corrigitur in ſecunda, quæ in inteſtinis peragitur, multo minus corrigi in tertia, quæ ſanguificationi adſcribitur. Commotionum externarum neglectus ſymbolam ſuam in hiſce ubique contulit: (quantum enim iisdem motus inteſtinus, in ſubigendis & eliminandis peregrinis ſuperfluisque occupatus, juvari poſſit, exemplum ruricolarum & gravioribus laboribus addictorum abunde comprobat. Omnia denique exaſperavit animi pathematum & meditationum continuarum, fœcundæ ſimul vigiliarum matris, vis, tanto major, quo magis horum effectu ſpiritus animales, œconomiæ humani corporis conſervatores primarii, turbantur & conſumuntur.

Ex hoc ipſo fonte derivari quoque poteſt calculi renalis generatio: Materia namque ejus, ſemper præſens, facile hæret in renibus, ſecretioni particularum præ reliquis craſſiorum dicatis, ſi excretionis negotium, ex machinæ infirmitate, minus exacte ſuccedit; facilius adhuc idem contingit, & hæcce materia hærens eo citius augumentum capit, quo magis cruditates digeſtionis

 labe

labe minus ſubactæ ad ſanguinis maſſam vehuntur. Quanquam autem mala hactenus recenſita ad valetudinis jacturam efficiendam plusquam valida merito reputentur; vitæ tamen periculo adeo præcipiti, quod ſupervenit, immediate producendo minus apta videntur. Adſunt præterea alia phænomena, quæ tanquam proprior triſtis eventus cauſſa accuſari poſſunt, inflammatio ſcilicet ventriculi & inteſtini duodeni; pulmonum â ſanguine ſuffuſio, polipus in cordis auricula dextra repertus; & denique cerebri hydrops. Inflammatio tamen ventriculi & inteſtini duodeni forſan effectus tantum eſt frequentium vomituum: Nullum enim obſervabatur, febris ſignum, quæ tamen inflammationis idiopathicæ pedisſequa eſt. Sic etiam ſanguinis in pulmonibus congeſtionem non mortis cauſſam, ſed effectum, declarat reſpiratio non, niſi ſub articulo mortis, difficilis. Nec polypoſam concretionem periodo ſanguinis ad ſuſtentandam vitam neceſſariæ impedimento fuiſſe, monet pulſus ſemper æqualis. Supereſt ergo ſola cerebri inundatio, cujus cauſſa procul dubio eſt prava & ad ſtagnationem procliuis ſanguinis diſpoſitio, perpetuis meditationibus majori copia ad caput mota, ſed, ob ingentem ſpirituum conſumptionem, debito modo non promota: ut taceam cerebri compagem illo plerumque vitio in ſenibus laborare, quod minus apta amplius ſit ad ſeroſam colluviem juſte ſubigendam, unde frequentes catarrhi incipientis ſenii quaſi ſunt characteres. Quo minus ergo cerebrum per ſocias haſce cauſſas debilitatum, â ſeroſa congeſtione ſe liberare potuit, eo magis collectio ejusdem & extravoſatio locum invenit. Pedetentim autem facta & aucta ſeri exundatio preſſione ſua cerebri tubulos, ſpiri-

tuum

tuum animalium ductus, primum capitis gravitatem, deinde ſenſuum hebetudinem & virium defectum, poſtea vero ſoporem induxit, tandemque commercium animæ & corporis, vera apoplexia ſeroſa, ſed lenta, accedente, intercepit.

OBSERVATIO CXXXVI.


DN. D. CHRISTOPHORI JACOBI TREVV

De

Cephalalgia ſæviſſima, venæ ſectionem juito largiorem ſequuta poſteaque amauroſin & denique cerebri hydropem producente.

MUlier mediocris habitus, ſanguîneo-cholerica, aliquot annorum ſpatio cephalalgia laborare cœpit periodica & ſæpius recurrente, nullum tamen typum ſervante, nec cauſam manifeſtante, contra quam auxilium in venæ ſectione, bis quotannis nunc in pede, nunc in brachio, repetita, quæſivit atque invenit. Hâc vero, anno ætatis ejus quadrageſimo ſecundo, in brachio iterum adminiſtrata, accidit, ut chirurgus, dum ſanguis flueret cum adſtantibus confabulatus, quantitatem ſanguinis profuſi tunc demum animadverteret, poſtquam pelvim ſatis capacem repleverat, & afflicta ex ſubitaneo dolore acutiſſimo caput quaſi perforante exclamans illum advocaverat. Clamorem editum illico ſeque-

ſequebatur gravis lipothymia, qua diſſipata, eodem momento cephalalgia non ſolum recruduit vehementiſſima, verum etiam dies noctesque ſæviit, eademque vehementia tres integros annos continuavit miſeramque lecto penitus affixit. Longus foret ſermo inſtituendus, ſi omnes, quas ægra interea paſſa eſt, calamitates, quasque contra illas periclitata eſt medicinas, exponendæ eſſent. Nobis ſufficit annotare, medelam ſemper fruſtra exſpectatam, querelas vero ſolum de intolerabilibus ictibus atque pulſationibus caput ferentibus effuſas eſſe, ceteroquin vires permanſiſſe invictas omnesque corporis functiones naturales, ipſo tributo lunari & appetitu integro non excepto, legitime ſucceſſiſſe, tandemque, in miſeriæ complementum, tertia ante obitum hebdomade triſtiſſimam ſubito ſuperveniſſe cæcitatem ex vera amauroſi plenariam, his omnibus autem anno ætatis quadrageſimo quinto ſubitaneam mortem feciſſe finem. Sectio defuncti corporis conceſſa nullum alium manifeſtavit ſtatum morboſum, quam hydropem cerebri, ſeu lympham flavam non ſolum ſub pia matre per univerſum ejus ambitum, & quidem in ſingulis vaſorum areolis ſeorſim, collectam, ſed etiam omnes ipſius cerebri cavitates ſeu ventriculos replentem: Quæ tamen lymphæ extravaſatio ſine dubio effectus potius, quam cauſſa, phænomenorum, ſi mortem excipias repentinam, dici meretur.



OBSER-

OBSERVATIO CXXXVII.

DN. D. CHRISTOPHORI JACOBI TREVV.

Cephalalgia atque amaurosis ex nimiis vigiliis orta & salivatione mercuriali feliciter sublata.

FEmina quædam, robustioris habitus & ſucci plena, facie tamen pallida, infantibus educandis ſemper ancillata eſt. Hæc anno ætatis vigeſimo ſexto infantis inquieti curam gerens & per aliquot ſeptimanas vigiliis ferme perpetuis defatigata in chronicam incidit cephalalgiam, poſteaque notabilem ſentit viſus hebetudinem, nulla in oculis ipſis labe comparente, niſi quod pupilla maxime dilatata conſpiceretur hincque amauroſin proximam indicaret. Huic meum auxilium imploranti, prædixi, plenariam ſub, ſequuturam fore cæcitatem, niſi vitæ mutaret rationem, quod vero conſilium neglexit, usque dum ultra paſſus diſtantiam nil amplius dignoſcere poſſet. Tunc autem calamitoſo hoc rerum ſtatu coacta, auxilium denuo quæſivit &, repetito conſilio obtemperans, quieti ſe tradidit. Reſolventibus & attenuantibus unacum antiſpaſmodicis aliquamdiu adminiſtratis, poſteaque viis primariis probe expurgatis, tandem ſalivationem largam ſola inunctione mercuriali provocavi, qua rite abſoluta, cephalalgia evanuit viſusque integer rediit.

OBSERVATIO CXXXVIII.

DN. D CHRISTOPHORI JACOBI TREVV.

Ren exesus & ureter amplissimus ex sue.

BRuta rarius variis morborum generibus vexari, quotidiana testatur experientia, neque etiam caussa latet; ea tamen ab omnibus haud penitus esse libera, plura non minus probant observata. His addere liceat singularem renis sinistri affectionem in sue quondam observatam. Mactabatur scilicet sus optime saginatus, in quo lanio deprehendit renem sinistrum aliter, quam unquam vidit, conformatum, quare illum unacum uretere atque vesica urinaria excidit & ad me detulit. Reperi internam renis substantiam penitus ferme consumtam, &, loco ejus, sacculum quasi membranaceum colluvie purulenta repletum. Ureter amplissimus in vesicam urinariam eo usque hiabat, ut pus, quod pariter continebat, non solum ad vesicam absque ulla mora flueret, verum etiam, situ mutato, ex hac ad ureterem æque facile reflueret. Calculi nullum aderat vestigium. Expurgatas has partes flatu distendi & exsiccavi, postea vero inveni totam renis substantiam ex plurimis cellulis, a crassa substantia membranacea formatis, quasi compositam. Ostendunt hæc clarius tabula X. fig. 1. & 2. quarum prior renis exsiccati faciem sistit externam & ureteris amplitu-

tudinem ſimul depingit; poſterior vero per aperturam factam cellularum rationem oſtendit.

OBSERVATIO CXXXIX.

DN. D. CHRISTOPHORI JACOBI TREVV.

Calculus renalis ingens per plures annos abſque doloribus geſtatus.

QUam in antecedentibus exhibui ſubſtantiæ renalis permutationem, eandem ſæpius in humanis quoque obſervavi corporibus, ſed calculos ſemper ſimul deprehendi vel ipſis renibus exeſis adhuc inhærentes, vel ad veſicam urinariam digreſſos. Nuper admodum idem obſervare licuit in ſexagenario. Ren ejus ſiniſter totus, quantus, in ſaccum mutatus erat membranaceum, attamen non cauum, ſed, horrendo aſpectu, ab ingenti calculo repletum, cujus formam ab anteriori & poſteriori facie repræſentat tabula XI. fig. 1. & 2. cum aliquot exiguis fig. 3. delineatis. Omnes ponderabant uncias tres cum dimidia & compoſiti erant ex ſubſtantia duriſſima. Decem ante annos dolores nephritici huncce afflictum dies noctesque adeo excruciarunt, ut morti proximus judicaretur; excrevit autem denique largam calculorum copiam diuturno mictu cruento concomitatam, qua ſcena clauſa, ſymptomata graviſſima penitus evanuerunt, & ſanitas eo usque rediit, ut ab omni labe ſe liberatum ſecurus crediderit. Tandem apoplexia quum

obiret, ſectio corporis inſtituta hoſtem tam formidabilem, amiciſſime tamen ſe gerentem, in omnium admirationem detexit.

OBSERVATIO CXL.

DN. D. CHRISTOPHORI JACOBI TREVV.

Atrox mercurii vini imprudenter tractati effectus, calculus felleus ſolitarius & magnus, ut & polypi cordis ingentes.

MUlier quædam a longo tempore ſpeculorum mercurii amalgamate obducendorum præparatione occupata minus provide hocce tractaverat negotium, quin potius manibus illotis panem aliaque contrectata ſæpius devoraverat. Duas ante obitum annos, ſexagenaria jam facta, corripitur omnium artuum tremore indies aucto, cui poſtea ſupervenit glandularum ſublingualium tumor & mandibulæ, præſertim inferioris, caries tanta, ut dentes vacillantes unacum fruſtulis alveolorum carioſis facili negotio eximi potuerint, quam calamitatem concomitabatur oris fœtor intolerabilis. His ægra lecto affixa demum quærit auxilium. Adhibebantur decocta ex helenio atque fœniculo cumprimis parata cum pulveribus abſorbentibus leniterque diaphoreticis. Externe fauces muniebantur emplaſtris emollientibus diſcutientibusque, & cariei

pro-

profpiciebatur linimento ex melle rofarum & fyrupo mororum cum effentia myrrhæ balfamica & terræ catechu mixto. His fedulo adhibitis, tremor artuum, fœtor oris & glandulæ fublingualis tumor multum mitigabatur, fed tribus circiter ultimis menfibus venter & pedes tumebant, tandemque ingefta penitus indigefta excernebantur, quibus placida mors finem fecit. Sectio corporis conceffa fequentium annotandorum dedit occafionem. 1.) Totum corpus erat emaciatum & in brachiis maculæ hinc inde, feu potius fuffufiones, confpiciebantur, quas, dum adhuc vivebat, a folo contactu ortas effe adftantes affirmabant. 2.) Manus utraque, magis tamen finiftra, ad carpi usque flexuram œdemate valde turgebat; in pedibus autem fimilis tumor ad inguina usque afcendebat. 3.) Umbilici cicatrix vix reperta eft neque ex mammarum fubftantia quicquam, præter papillas, remanfit. 4.) Venter nequaquam erat durus, fed flaccidus, attamen expanfus. 5.) Aperto abdomine, aliquot promanabant menfuræ lymphæ extravafatæ, turbidæ, non tamen adeo lixiviofæ & fpiffæ, fed tenuis. 6.) Omentum erat corrugatum, quafi aquæ ferventi fuiffet immerfum, ceterum tamen pinguedine interfius flava refertum. 7.) Ventriculus parvus, & totus inteftinorum tractus nil contra naturam oftendebat. 8.) Jecoris autem facies tota comparuit immutata: color nempe ejus erat talis, qualem poft coctionem induere folet; tota moles corrugata, aut, fi mavis, contracta; fubftantia dura, fcirrhis, granorum milii inftar, undique referta. 9) Veficulæ felleæ facies fuperior jecori non erat immerfa, fed per membranam tantum juncta; inferior autem ejus facies, contra

tra naturam, jejuni intestini principio adnata, quæ aperta calculum continebat figuræ ac magnitudinis Tab. XI. Fig. 4. & 5. ab utraque facie repræsentatæ, substantiæ tophaceæ ac fragilis laxiorisque, coloris ex ferrugineo & gryseo mixti. Ceterum vesicula fellis flaccida naturalem quidem ostendebat magnitudinem, sed, præter calculum præfatum, materiam continebat purulentam ex gryseo flavescentem, ejusque tunica interior crassam & mucidam se sistebat. Ductus cysticus, valvulis spiralibus undique repletus, hepaticus & cholidochus communis, ad digiti minoris crassitiem ferme dilatatus, liquore naturalis coloris & consistentiæ tincti, orificio hiabant in intestinum laxiori. 10.) Pancreas valde erat scirrhosum, suo potissimum in principio. 11.) Lien inveniebatur parvus & contractus, sed colore & substantia naturali gaudens. 12.) Renes aderant secundum naturam constituti & succenturiati insignes. 13.) Vreteres atque vesica urinaria primo intuitu a naturali norma etiam non aberrabant; hæc vero, neutiquam contracta sed relaxata, licet a lotio penitus vacua, curatius examinata, circa fundum præsertim tam tenera reperiebatur, ut digitis ubique perforari facillime potuerit. 14.) Vteri textura nil manifestabat extraordinarium. 15.) Remotis pectoris tegumentis, ne vestigia quidem reliqua erant glandularum mammariarum. 16.) Ablatum sternum in pectoris quoque cavitate detegebat largam effusæ lymphæ copiam, colore & consistentia cum illa in abdomine visa convenientis. 17) Pulmones erant lividi & hinc inde inflammati, præterea sinistro in latere pleuræ adnati, ceteroquin sani. 18.) Liquor pericardii & quantitatem

tem & qualitatem exhibebat consuetam. 19.) Cor autem reperiebatur parvum, contractum & corrugatum, ita, ut vasa ejus coronaria in superficie tantum hæsisse dixisses. Abscisso ejus mucrone, vix una vel altera sanguinis guttula ex dextro effluebat ventriculo, multoque minus ex sinistro. Auricula dextra continebat polypum duos pollices crassum, figurâ globosum, angularem tamen, colore pallidum, substantià tenacem & muci instar coagulatum, neque tamen aquâ neque digitorum pressione solubilem, externe lævem & politum, interne quasi fibrosum, cujus formam repræsentat Tab. XI. Fig. 6. Ejusdem coloris ac consistentiæ polypus alius occurrebat ad insertionem venæ cavæ in eandem auriculam, cujus caput pollice crassius porrigebat duo crura digitum crassa & palmam circiter longa, quorum alterum brevius occupabat venam cavam superiorem; alterum longius inferiorem. In plura inquirere neque temporis spatium neque adstantes permittebant.

SCHOLION.

COnferri cum hac observatione possunt, quæ annotavit acutissimus BAGLIVIUS in tractatu de tarantula Cap. X. sub finem, scilicet, in extinctis a pulmonum morbis copiosam seri fluctuationem observari in cavitate thoracis; eos, qui polypo cordis moriuntur, paullo ante mortem tumore pedum œdematoso vexari, mox cachexia, & tandem hydrope corripi; tumorem manus dextræ cum spirandi difficultate junctum prodere vitium, in dextra cordis auricu-

la

la reperiundum, a quo tranſitus ſanguinis ad pulmones liber impeditur.

OBSERVATIO CXLI.

DN. D· CHRISTOPHORI JACOBI TREVV.

Calculi renales, polypus cordis, & ſtatus inteſtinorum varius infantis triginta ſeptimanarum.

INfans a nativitate macilentæ conſtitutionis, aqua & pulmentis tantum nutritus, doloribus cruciatur nephriticis, quos calculi nonnulli confirmant excreti. Exhibitis pulveribus abſorbentibus atque mixtura, cujus baſin conſtituebat decoctum antinephriticum Foreſti, quietus redditur infans nec calculoſi quicquam in lotio amplius apparet. Mutata inſuper diæta, aquæ loco ſcilicet nutricis lacte in auxilium vocato, melior quoque fit habitus, qui rerum ſtatus per triginta ad votum durat ſeptimanas, nec ulla turbatur ratione, niſi quod alvus juſto erat adſtrictior, cui tamen potiuncula ex melle potiſſimum roſato parata opem ferebat facilem. Poſt hæc vero ſabuloſum concretum denuo apparebat in lotio, cui superveniebat dentitio difficilis, copioſam lymphæ pituitoſo-acris excitans colluviem, quæ, fauces atque laryngem irritans, ſtrenuam & ad halitus usque ſuppreſſionem

va-

validissimam excitabat tussim. Brevi post erumpebant quidem duo dentes incisores inferiores, sed nulla cum symptomatum remissione tussisque nulli cedebat medicinæ. Denique postquam nutrix decocto quodam uteretur pectorali & resolvente, infans vero lingeret eclegma ex manna & oleo amygdalorum dulcium confectum, largusque satis sequeretur pituitæ vomitus, tussis equidem mitior apparebat, sed eam brevi post respiratio stertorosa excipiebat, post aliquot horas ipsam suffocationem producens. Ex sectione corpusculi sequentia occurrebant notanda. 1) Totum corpusculum rursus erat emaciatum, venter autem valde tumebat, quo aperto, lymphæ aliqua effluebat collectio. 2) Omentum ad naturalem normam quidem erat constitutum, sed supra intestina non expansum, quin potius sursum ventriculi fundum versus retractum. 3) Ventriculus aderat vacuus, ast non collapsus, sed flatibus valde distentus. 4) Intestinorum canalis simili ratione deprehendebatur affectus, hoc tamen discrimine, ut jejuni ileique tractus hic & illic spatia naturali expansione minora, totque internodia quasi formantia, manifestaret; cæcum porro cum appendice vermiformi totum collapsum esset, colon vero expansum; recti denique principium recte se haberet, progressus vero primum naturali capacitate quadruplo auctior deinde justo arctior inveniretur, tandemque principii amplitudinem rursus æquaret. 5) Jecoris moles valde crassa & tumida apparebat, &, relatione ad corpus adultum habita, major: quod quidem infantibus ordinarium est. Margo lobi majoris parum inflam-

matus, reliquus vero color naturalis erat, neque compages a naturali norma aberrabat. 6) Lien hypochondrio ſiniſtro accretus inveniebatur, ceterum recte ſe habebat, ſi unum vel alterum excipias ſtigma ſcirrhoſum. 7) Pancreas & meſenterium cum glandulis ſuis ab omni labe liberum erat. 8) Renis ſiniſtri facies externa colore, magnitudine & conſiſtentia erat naturalis; aperta autem ejusdem peluis aliquot continebat lapillos, quorum maximus, lentem æquans, oſtium ureteris, ultra naturæ normam nondum expanſi, occupabat, aliis grana milii æquantibus, pluribusque ſabuli tantum forma conſpicuis, exitum, quem ipſe invenire non poterat, denegans. Omnes duritie vere lapidea, ſuperficie polita atque colore ochroleuco inter ſe conveniebant. 9) Ren dexter ſiniſtro ſimilis quidem erat magnitudine & conſiſtentia, non autem colore pallido, qui etiam diſſectus ne guttulam continebat ſanguinis ſinceri, ſed liquore ſeroſo, ſeu potius urinoſo, loturæque carnis ſimili turgebat, nullum autem calculum, imo nec ſabulum, fovebat. Ureter hujus renis ad duorum digitorum ſpatium duplo major, quam par eſt, deprehendebatur, reliquus ejus progreſſus ſiniſtro reſpondebat. Circa medium ampliatæ partis hærebat calculus maximo ſiniſtri renis major, duritie ſimilis, colore pallidior, figurâ magis irregularis & anguloſus. Huic renem verſus adiacebant duo alii minores, majori ceterum per omnia ſimiles, quorum progreſſum ille intercepit. 1) Veſica urinaria, ad naturalem usque extenſionem lotio repleta, nil calculoſi includebat. In pectoris cavitate deprehendebatur. 11) ſiniſter pulmonum lobus tota ſua ſuperficie ſuperiore &

& pleuræ & mediaſtino accretus, dexter vero ubique liber. Ceterum utriusque color & textura erat naturalis, veſiculas autem ipſamque tracheam ſpumoſa occupabat pituita. 12.) Pericardium ordinariam continebat liquidi quantitatem, & cordis ſubſtantia, magnitudo & color recte ſe habebant, aperta autem dextra ejus auricula polypum manifeſtabat inſignem, colore & conſiſtentia cum illo in autecedenti obſervatione deſcripto convenientem, iterumque duo crura de ſe ſpargentem, quorum alterum & brevius venæ cavæ inferiori inhærebat, alterum autem & longius ad ipſum porrectum erat ventriculum, ibique cum lacertis valde cohærebat, porro ad pulmonalem usque arteriam excurrebat.

OBSERVATIO CXLII.

DN. D. CHRISTOPHORI JACOBI TREVV.

Tumor peculiaris omnia abdominis viſcera ex ſede ſua pellens atque aſcitem prægrandem referens.

Puella ſeptem annorum paupercula ſubito corripitur ventris dolore, & paullo poſt ſuper ileum ſiniſtrum oritur tumor durus, neque tamen rubens neque ad tactum dolens, & ſub tegumentis in ipſa quaſi ventris cavitate explorandus: Non intermiſerunt parentes juſto tempore auxilium ex chirurgo petere, qui primum externe tumorem foucbat ſpirituoſis atque emplaſtris, de-

inde etiam internum jungebat resolventium & evacuantium usum, omnia autem absque effectu adhibebat; tumor enim duorum mensium spatio tantum capiebat augmentum, ut totum occuparet ventris latus sinistrum, & postea ad dextrum ejus latus quoque se extenderet, in augmento autem suo ita pergeret, ut octavo mense totum abdomen eo modo, quo ascites solet, expanderet, simulque costas spurias multum diduceret, super pubem vero non propenderet. Mensura enormis hujus expansionis tunc temporis asterni mucrone ad pubem usque respondebat uni pedi rhenano & duobus pollicibus, a lumbis vero supra umbilicum duos pedes cum dimidio explebat. Ipsa expansio, in rotundum facta, deprehendebatur valde æqualis, sub hypochondrio tamen dextro prominebat peculiaris quidam tumor pugni magnitudine. Tota porro expansio ad tactum non penitus dura, sed tympani instar valde tensa, æque ac in asciticis, percipiebatur, concussa tamen nullum fluctuationis sensum manifestabat. Symptomata hujus mali occurrebant sequentia. Sub primum hujus tumoris augmentum afflicta de paucis conquerebatur incommodis; postea vero, mole aucta, subinde oriebantur præcordiorum angustiæ atque anxietates; febriles autem commotiones nunquam accedebant, neque etiam respiratio difficilis erat aut tussis excitabatur. Quum tumor hic sinistrum occupasset latus, totus pes eiusdem lateris œdemate turgebat; in dextro vero latere pedis tantum extremi dorsum, & quidem ultimis demum diebus, parum tumebat. Somno fruebatur ægra naturali semper ordine tranquillo; alvum deponebat libere laxatam quidem, sed justo non frequentiorem; stare & incedere poterat, quantum necessitas exigebat, postremo

mo tamen imbecilliter; ex tumore contrectato unllam ſentiebat moleſtiam; appetitu gaudebat naturali, ex cibis tamen omnibus præferebat panis cruſtam, eamque duriorem, cujus quotidie largam conſumebat portionem ſed ſine mica: calidi cibi, ipſaque iuſcula tenuia, illico excitabant moleſtiam. Potus erat parcus, & raro unius diei ſpatio excedebat menſuram. Ceterum ab initio jam huius mali reliquæ corporis partes pedetentim magis magisque tabe marceſcebant, usque dum placida mors omnibus optatum faceret finem. Omnium animi erant ſolliciti, quonam ex fonte tantum derivatum ſit malum: ſectio ergo requirebatur defunctæ. Antequam hæc ſuſciperetur, corpus externe denuo exploratum modo ſupra deſcripto adhuc ſe ſiſtebat, ipſa autem ſectio manifeſtabat ſequentia. 1) Tegumenta communia eo usque erant expanſa, ut tenuem referrent membranam pergamenam; muſculi quoque abdominis ſimilem paſſi ſunt extenuationem. His remotis atque peritonæo inciſo, aliquot profluebant ſeri flavi unciæ, & totam abdominis cavitatem peculiaris replebat ſaccus. Dictus ſaccus ſiniſtro in latere cum peritonæo firmiter erat concretus, in dextro autem liber. Ad ſupremam ejus regionem in conſpectum veniebat pars ſtomachi Tab. XII. a a. non, niſi flatibus, repleti, atque ei appenſum omentum b. b. breve & ſuper ſacci partem ſuperiorem expanſum, ceterum ſanum. Infra ſtomachum prodibat portio inteſtini craſſi, quæ a ſuperiori ſacci parte ad medium ejus excurrebat c. c. exinde vero ad peluim recta deſcendebat c. d. cujus pars c. c. vacua erat & compreſſa; c. d. autem flatibus repleta, attamen non expanſa. Superiori hujus inteſtini parti dextrorſum accumbebat corpus quoddam

e. e. quod forma, colore, & consistentia cum pancreate conveniebat, & superiore sui parte peculiarem formabat protuberantiam f. ad tactum mollem & sanguine quasi suffusam seu inflammatam, sub qua magis adhuc dextrorsum alius major ex sacco communi pendebat tumor g. g. g. cujus color erat sanguineus, jecorisque substantiæ similis, qua tamen tactu mollior deprehendebatur; infima ejus pars livorem quasi contraxerat. Infra huncce tumorem & juxta saccum comunem magna pars prodibat intestinorum tenuium h. h. h. h. quæ vacua erant & inflammata. Saccus communis â crassa quasi membrana formatus externe judicabatur & ad regionem i. i. aliquot maculis liuidis haud adeo magnis infectus inueniebatur. Non aliam exhibebat duritiem, quam vesica valde inflata. His omnibus probe exploratis, de connexione ejusdem certior fieri avebam. Elevato ergo sacco sæpius memorato, attonitus quasi vidi, intestinum illud c. c. d. supra saccum excurrens illam esse coli partem, quæ in sinistro latere ad pelvim descendit & in rectum terminatur intestinum. Ad sinistram ventriculi partem & supra saccum accumbebat lien naturali normæ per omnia similis. Sub dextro hypochondrio delitescebat jecur, totum quasi compressum, & pectoris cavum versus adactum, simulque ita e naturali situ pulsum, ut facies ejus concava unacum fellis vesicula spectaret superiora. Duodenum intestinum valde erat expansum & liquamine chymoso repletum; connexio autem ejus cum corpore illo e. e. quod pancreas referebat, clare perspici haud poterat: aderat enim hic tautus morbosus coalitus, qui omnia confundebat; id tamen inveniebatur, duodenum intestinum sub sacco mesenterium, modo ordinario, transisse

tranſiſſe & cum reliquis tenuibus communicaſſe. In pelvi ovarium ſiniſtrum cum tuba ſua ſacco erat accreta, ita tamen, ut corpus ejus permaneret liberum. Uterus ipſe & dextrum ovarium uti alias ſe habebant. Sacco ſiniſtrorſum, quo usque fieri potuit, pulſo, nil conſpiciebatur, præter renem dextrum & venam cavam inferiorem magis, quam par eſt, dextrorſum pulſam. Poſt hæc ſaccus ipſe aperiebatur, & tunc manifeſtum fiebat, illum totum repletum fuiſſe ſanguine congrumato, floccis verè pinguibus, non polypoſis, copioſe permixto, attamen ſponte ſua non profluente, ſed preſſione leni expellendo. Ex quibusdam regionibus liquor quoque promanabat gelatinoſus. Protuberantia illa g. g. g. ſimili repleta erat colluvie, attamen fluidiori, membrana quoque, eandem componens, erat tenuior, ita, ut veroſimile ſit, eandem ex ruptura quadam ſacci majoris imperfecta ortum duxiſſe.


In ulteriori mirabilis hujus inauditi tumoris ejusque præſertim originis inveſtigatione lubens equidem deſudaſſem; aſt temporis, loci, pluriumque circumſtantiarum ratio id abſolute interdicebant. Interea ex annotatis hoc certe colligi poteſt, tumorem hunc primordia ſua ex ilei ſiniſtri regione, & quidem ſub peritonæo, cepiſſe, ſub eodem progreſſus ſuos etiam feciſſe, ita, ut ipſius peritonæi pars inferior ſiniſtraque externum ſacci confecerit involucrum; poſtea vero molem ejus auctam omnia abdominis viſcera ex ſede ſua expuliſſe, & quidem tenuia inteſtina dextrorſum, ventriculum autem jecur atque lienem ſurſum protruſiſſe, ac denique coli ſiniſtram partem elevaſſe, & ad mediam usque ventris regionem deduxiſſe, ſimulque re-

cti principium ut & ovarium sinistrum sibi juncta habuisse. Caussam hujus mali enormis parentes penitus ignorarunt. Quam primum aliquem observarunt tumorem severe ex infante quæsiverunt, num lapsu an alia violentia sibi illum contraxisset? sed infans constanter negavit, se ullius vis acceptæ conscium esse.

SCHOLION.

Quamvis hujus observationis annotatio nullum in praxi medica habere usum videatur, id tamen demonstrare poterit, abdominis intumescentiam caute esse dijudicandam, paracentesin provide instituendam vel saltem ejusdem prognosin non temere formandam. Ceterum de novo testatur experimento, quam multifarium sit nostræ vitæ periculum ex ipsa machina oriundum; probat insuper, dari morbos a priori non dignoscendos nec arte curandos. Illud quoque consideratione dignum est, sub tanta omnium ferme abdominis viscerum mutatione vitam servari, quin & omnes functiones naturales absolvi potuisse. Neque minorem meretur attentionem sanguis tamdiu extravasatus, & tamen non putrefactus.

(*Norimbergæ d.* 31. *Octobris A.* 1736. *exhibitæ.*)



OBSER-

OBSERVATIO CXLIII.

DN. D. JOHAN. ERNESTI HEBENSTREIT.

De

Lapidibus figuratis agri Lipsiensis.

PLurima sunt, quæ *Lipsiam* indigenis exterisque commendatissimam afficiunt, placere potest quacunque parte intuearis, sed & agri sui, quo cingitur, amœnitate non displicet, sive uberrimum herbarum proventum quales planitiei, & nemorum umbris competunt, sive Fossilium quorundam, quæ ubertim circumquaque reperiri solent, numerum consideratione dignum æstimet rei naturalis indagator. Magnam rerum aliunde advectarum copia laudem merentur musæa primatum quarundam domuum. Sed nec minorem hoc ipso gloriam nanciscuntur, qui patriæ historiæ studiosi vulgaria quibusdam visa cum cura collegerunt; Quod si *figuratos lapides*, quos vel aratrum luci admovit, vel fossoris ex sabuleto industria extraxit, vel Curiosi labor passim conspicuos reddit, ordine recensere quis suscipiat, de *Malocostreorum lapide* expressis imaginibus primo loco dicendum esset: Miratu dignum est *Echinodermata* locis â mâri remotis inveniri, stupendum maxime, *Maris rubri Echinum*, quem *mamillarem* apellant, passim, in lapide reperiri: *Echinita* hicce *ovarius*, *papillaris* LANGIO dictus vel integer pyro-

 macho

macho plerumque lapidi, quo ARISTOTELIS termino silicem denotamus, inest, vel eidem sua vestigia impressit. Frequentiora habentur *echinitarum* ejus modi *scutulæ* seu *areolæ* singulares, quas casu dispersas peculiare quodpiam naturæ productum quis diceret, nisi rerum similitudo originem declararet: Eadem nascendi conditio est reliquis echinitis, quas in agris vel sabuletis invenimus. *Echinometritis* quidem characterem eruditissimus BKEYNIUS in eo, quod subtus & supra orificii signum obtineant, largitus est, *Echinoconis* vero quod utrumque foramen exiltat in basi, hos rarius invenimus, prostant tamen: *Echinita ovarius* GESNERI, qui *spatagus* IMPERATI *fibularis* celeberrimi KLEINII, *Ombria* antiquorum, quod cœlitus depluisse videretur, nostris Knopf-Stein, ex vulgatioribus est, *Echinanthi*, cui pentapetalon floris simulacrum superest, fragmenta obtinemus, nec desperamus reliquos bona fortuna manibus obviam fore, quamvis hactenus industriam laboris eluserint. *Fibulares* aliquando pelluciditas, quæ *calcedonium* deceret, commendabiles efficit, videas etiam qui hinc crystallini, illinc silice compacti appareant. *Ichthyo-Ipon dytolithi*, quos piscium vertebras in lapide esse suspicamur, illi potissimum frequentes inveniuntur, silice, lithostroto, lapidibusque calcariis vel crystallinis & spatho æmulis, qui *asteriæ* vel *entrochi* Scheuchzero aliisque Historiæ lapidum Autoribus appellantur. Frequentiores suis columnis cohærent, *asteriæ*, vel *entrochi*, *columnares* inde appellati, nec vero infrequens est articulorum singulorum sigillatim effictorum proventus, *Asteriæ* certe *pentaphyllum* exprimentes ubertim excutiuntur, silice lapidibusque renum forma, qui rupti lamel-

lis

lis ſpathi relucent, quarum figura quandoque ab illis, quas celeberr. LANGIUS delineavit, LUIDIUS deſcripſit, diſcrepant. Minutulæ aliquando eo usque ſunt, ut armato, opus ſit oculo, quotiescunque cum aliis conchyliorum ſimulacris in *lapidibus oſtracomorphis*, prout ab ALDROVANDO appellantur, mixtæ obſervantur. Ex *polythalamiis*, quem terminum ex erudito KLEINII ſyſtemate adoptare decet *lincis* dictus lapis aliquando occurrit: Iucundus eſt *cornu ammonis* iſtius minuti, quod a RUMPHIO deſcribitur in ſilice conſpectus, quod plerumque cum *tubulis marinis* & *corallina* in lapidem verſa maſſisque aliis corallinis junctim in ſinu lapidis hæret, nam *cornua ammonis vulgatiora* utut quotidiana non ſint, reperiri tamen quandoque eleganti ſtriarum quaquaverſum reptantium & articulorum internodiis ſolent; ſed habituri eramus eadem & maxima & ſtriis vel inter nodiis plurimum diverſa ex *Querfurtenſi agro*, etiam ſi iisdem careremus. *Oſtracodermorum* imagines paucæ futuræ ſunt, quæ non lapidibus exprimantur. *Turbinitæ*, *ſtrombitæ*, *ophitæ*, ſi terminum MERCATI de *ſerpentulis*, quæ cochleæ ſpiralis ſpecies eſt, uſurpare velis, *conchitæ*, *amuſia* petrefacta, *pectinitæ*, inæqualibusve auribus *conchitæ anomæ gryphitæ bucarditæ*, *terebratulæ*, *muſculitæ* in polymorphis ſeu oſtracomorphis lapidibus, arenariis æque ac ferro prægnantibus, mirabili haud raro ordine reperiuntur, ita quidem, ut ſint ex noſtris, qui tabulas inde politura conficiant. Ex quibus habentur, qui elevato qui ſculptili & cælato opere lapidem ornant, aliis integris in lapide crepitantibus, hinc ubi ille diffractus fuerint elabentibus. *Corallo-*

lithi in silice semper prostant, *Reteporæ* potissimum, ex quibus habentur, qui nostris in hac arte expertis *lepitodes sive squamati lapides* dicuntur, videtur enim cutis piscis cujusdam detracta in lapide hæsisse. *Corallium* ipsum & *corallina* & *madrepora* in pyromacho reperta fuerunt *scolicoide* seu vermiculari tubulorum marinorum lapide hinc inde admixto. *Enostei* lapides seu ossa petrefacta parum existunt, sed ex *agro Weissenfelssensi*, non multum distante *unicornu fossilis* nomine advehuntur *lithodontes & enostei* maximarum olim belluarum, sed marga est, istarum rerum similitudinem fert: *Ichtyodontis s. glossopetræ* cælatura quandoque in lapide existit pro lithostrotis platearum Lipsiensium; inter quos pedibus conculcatis aliquando magnatum musæis digni existunt. Vegetabilium rerum imagines lapide expressæ rarius occurrunt; *dendroideas* enim figuras in marga vel silice depictas quibus non caremus, nec tamen cælatas vel anaglyptica cum celeb. HENKELIO, â similitudine cum erica vel musco, prorsus abesse judicandum. Singulare quid inest *lithoxylis*, prout ab AGRICOLA, & *Rizoideis*, prout â LANGIO apellantur, lapidibus illis scilicet, qui lignum quercinum, vel abietinum, vel radices arborum fibrarum tractu æmulantur, *phiengites* & *elatites* hoc ipso ab ALDROVANDO appellati: Hos & maximos & prorsus elegantes ex sabuletis eruimus & ita duros; ut ignem hoc ipso excutere liceat. Aliud quodpiam in albo lapide candidissimo & præduro existit concreti genus, quod ramulos arboris incertæ conditionis præ se fert, nec dubium est ad *stelechites* referendum esse; simile illi quod ab HERMANNO *in maslographia* adducitur.

Du.

Dubiæ relationis lapides figurati ex rivulis undique conquiruntur; qui *Carpolithis* lapidibus, amygdalas, nuces aliaque ruditer præ se ferentibus; accenseri solent, sed pauci momenti esse visi sunt: *Aetites*, vel lapillis, vel terra graves unde *Geodes* dicti, proveniunt in Ochra ferreæ indolis, nec desunt lapides generico termino ἠχῆλαι, seu *sonantes* appellati, qui Aetitæ non sunt, quales existunt *Ostracomorphi*, in quibus aliquando pectunculus ex sede sua motus sonitum edit: Ceteroquin *Jaspidibus*, *Calcedoniis*, *Crystallis*, *Jaspachate* in globis non caremus, quas politura satis conspicuos & Musæis percaros efficit. Reliquam Fossilium gloriam Hermundurorum vicinis montibus relinquimus.

OBSERVATIO CXLIV.

DN. D. IOHAN. ERNESTI HEBENSTREIT.

De

Antimonio rubro.

S*Tibium* DIOSCORIDIS, THEOPHRASTI omniumque ex antiquitate Medicorum, quod â Chemicis *Antimonium* appellari cœptum est, utut elementorum compage, & effectu nullo discrepet, miram tamen glebæ suæ, qua nascitur, nactum est diversitatem & formas induxit, quæ pro mineralis istius puritate, vel cognatis quibusdam miscela, itidemque pro superficiei externa politura & colori-

bus, pluries differunt, ita quidem, ut illius multiplici facie haud parum ornentur Curiosorum Metallothecæ. Præter enim quod striarum eadem semper mensura non gaudeat, siquidem metallicis aliud latius, aliud tenuius striatum dici solet. Fortasse & DIOSCORIDES, cui inter Synonyma stibii est τὸ πλατυόφθαλμον, ad hanc conditionem respexit, quamvis eo, quod inter pigmenta oculorum extiterit, sic dictum feratur ab aliis. Præter quod eodem saxo junctim existat, cum minio, recentiorum Cinnabari, plumbo candido vel nigro, Galena, Plumbagine, argenti aurive glebis, inde etiam Libavio Antimonium aliquod aurosum, argentosum aliud, habetur, præter quod haud raro Bisemuthi, vel Cobalti, vel Syritis arsenicalis aliorumque pyritum consortio delectetur, id potissimum attentione dignum est, quod colorem eundem semper haud servet: *Antimonium album* ex Fodinis Transylvaniæ inter rariora habetur, cujus etiam LIBAVIVS Syntagm. Libr. 7. c. 22. meminit, sed singulare prorsus est *Stibium rubrum*, quod paucis abhinc annis prope *Freybergam* ex cuniculo Gratia Dei dicto, erui coepit. Jucundus est concreti adspectus, nam præter hilaritatem rubedinis, spiculorum teneritas & mirabilis eorundem ordo glebam commendabilem efficit: Neque enim tantum plumas & asteriscos sua directione hæc spicula describunt, qua parte superficiem saxi tegunt, sed & integram venum stratis suis replent, ita quidem, ut illa quousque patet, quibuscunque modis in fragmenta disrumpatur, miniatum cum nigro colorem mixtum oculis offerat. Saxum, quod mineralis istius

ma-

matrix existit, Crystallus est; quam *Quarzum*; Germano titulo latinitate donato appellant metallicolæ. Sinuosa plerumque apparet & cavernosa; quam lapidis conditionem **Drussen** appellamus; crystallis; seu fluoribus hexagonis splendidissimis; sed minutulis resplendens. Has cavernas spicula ista ruberrima aliquando prorsus replent; abradi & â saxo separari haud difficulter possunt, & experimenta, quibus Antimonium genuinum esse commonstratur, facilitant. Cæteroquin Antimonium vulgare nigrum confertim eidem glebæ innascitur; ut cognoscas colore saltim hæc duo; ceteroquin unum; differre; Pyrites, qui omnium Venarum metalliferarum hospes est, nec hoc quidem saxum deserit; sed parcius admiscetur. Duo autem peragenda videbantur in Mineralis istius examine; alterum quo reciscerem verumne esset Antimonium, nec minera sterilis, alterum quo certo constaret, rubedinem ex accidenti inesse, nec ex substantia: Dubium movere poterant concreta quædam mineralia, quæ rubore & striarum positu huic venæ tantisper accedunt Cobaldi flores **Kobold-Blüthen** & Cobaldi crustam **Cobald-Beschlag** appellamus. Favillam arsenicalem, quæ Cadmiæ metallicæ, putatæ, (nam lis est num Cobaldum & Bisemuthum nostras Romanis cognitum extiterit,) asteriscis ruberrimis & ærugine perquam rubente superest. Verum præter quod ipse adspectus utriusque concreti manifestam, sed terminis non satis explicandam diversitatem innuat; docimasia docet, flores hosce Cobaltinos, (licebit cum *Dioscoride* qui flores Asii lapidis habet, hoc termino salva latinitate uti,) verum esse cobaltum in vitrum azureum mutabiles: Verum longe aliter res sese habet, cum Antimo-

timonii rubri ſtriis, quæ omnia paſſæ ſunt, quæcunque cum Antimonio vulgari nigro fieri ſolent. Non enim tantum pro divite vena hanc monticolæ agnoſcunt, quam rejecturi erant, niſi ſucceſſus reſponderet, ſed & exprimentis omnia conſtituerunt. Separabantur ſtriæ iſtæ ruberrimæ, & igne reverberii torquebantur: Fatiſcebat maſſa in pulverem album; Fumo interim exhalante, quem pro floribus Antimonii haud difficulter agnoſcere quis poterat. Continuata tortura ignis, ſine additamento vitrum fluebar, quale eſt vulgare Antimonii, quod additâ particula ſulphuris & elegantius & promtius obtinebatur. Ex altera parte iſta ſpicula, per deſcenſum, in regulum vulgari haud abſimilem confluebant, omni evaneſcente rubore, qui in nativo tam miris coloribus luſerat. Crudus ille regulus cum ſalibus in regulum ſtriis elegantibus argentei coloris conſpicuum abiit, nihilque quod Antimonio vulgari abſimile eſſet, commonſtravit, quod ipſum cum vitro & calce in regulum deducto ita ſucceſſit, antimonium adeoque eſt legitimum & prorſus dives, ſed de colore rubinis haud inferiore, qui ſpicula ornat, difficilior extitit quæſtio. Notum eſt metalla in venis haud raro diverſo, quam qui nativus exiſtit, colore conſpici: Quis arbitraretur, niſi artis conſcius, argentum anthracis colore **rothgülden Ertzt**, hepatis colore **Leberfarben Ertzt**, cornei coloris, tale, quam quod igne fit, vere exiſtere? quis plumbum nigrum ex Vena ejus viridi vel rubra, ferrum ex hæmatite & Schiſtinnodo expectaret? cujuscunque demum halitus effectus iſte color ſit, arſenicalis, an ſulphureus, Id cer-

certe conſtare inter omnes arbitror, volatile eſſe iſtud Tincturæ genus, quod ſuperficiem hujus noſtri eleganter adeo mutaverat, igni reſiſtere haud potuit. Eſt aliquis ex ſententia BECHERI, halitus ſubterraneus, qui corpora metallica pervadit, deſtruit, mutat, *Arſenicum* appellant Philoſophi, termino vago; *ſpiritum univerſalem* alii. Quicquid ejus ſit, certe avtopſia docet, duo eſſe principia, ſummam penetrandi vim obtinentia in regno minerali, Pyritis ſeu ſulphuris, qui aureo colore, & arſenicalem, qui rubro colore plerumque tingit, halitum. Hujus veſtigia habemus in ipſo *Pyrite arſenicali*, ſeu *Arſenico rubro maturo*, *Auripigmento nativo*, quod *Sandaraca vera*, *Biſemuthi* & *Cobalti floribus*, & in hoc noſtro, *ſtibio rubro.* Diu multumque cogitatum fuit, an calcinationis ſubterraneæ effectus color iſte eſſe poſſit; docet enim chymia non tantum metallorum calces igne ruborem inducere, ſed & Antimonium ipſum ſi cum calce viva ſtrato ſuper ſtratum collocato, torreatur, igne reverberii, in ruberrimos cineres fatiſcere. Sed alia omnino res eſſe intellecta fuit, eo quod Antimonium â calcinatione rubens fixum eſſet, floribus omnibus, ſeu parte phlogiſta, prorſus exutum, hoc noſtrum quamdiu rubet halituoſum, inde ab igne albeſcens deprehenderetur. Judicatum adeoque fuit. Stibium rubrum arſenicali fumo tinctum & ex vulgatiori ſic immutatum fuiſſe, nam docere id ſtriæ nigræ & lucentes cum rubentibus mixtæ, quarum illæ ſucceſſu temporis etiam rubræ futuræ ſunt, videbantur.

(*Lipſia Erfordiam tranſmiſſa d. 3. Decembr.* 1736.)

OBSERVATIO CXLV.

DN. D. JOH. GEORG. HASENEST.

Opium mentem ſerenans.

Opium animum & ſenſus torpidos reddere, res eſt lippis & tonſoribus nota; In ſubjecto hypochondriaco melancholico autem, mentem cum ſenſibus externis ſerenare, corpusque ad ſubeunda negotia melius diſponere inter admodum rariora recenſendum eſſe reputo. Naturæ curioſi quidem diverſas conſignarunt obſervationes opii innoxie adhibiti, venerem ſtimulantis, & homines animoſos, vel potius furioſos efficientis; aſt torpidos ſuppreſſosque ſenſus id alacres & quaſi expergefactos reddere, res eſt altioris indaginis. Caſus eſt ſequens: Viduam ruſticam in Marckbergel, *Kreſmannia* dictam, quinquaginta annorum, conſtitutione ſicciore dotatam, ad me miſit Parochus loci, Dominus *M. Groſius*, Theologus profunde eruditus die 29. April. anni 1733. Huic jam quadrageſimo ſecundo ætatis anno emanſerunt menſes, & quadrageſimo anno incepit circa præcordia vehementiſſime angi & largiter ſudare, quem ſudorem quidem repetitæ venæ ſectiones ſuſtuleruut, remanentibus autem agrypnia & ſummis anxietatibus melancholicis, quæ etiam urgente licet appetitu, cibum aſſumere non permiſerunt, ſuterim illa ſæpius pro reſtituendo ſomno, vino ad crapulam usque uſa fuit, cumque hoc ab adſtantibus ulterius non concederetur, in tantum furorem nonnunquam agebatur, ut & veſtes & quæcunque obvia, dilacera-

cerare tentaverit. Dominus parochus aliquando ipſi obtulit unicam pilulam theriacæ cœleſtis, cujus uſu aliquam diu tranquillitatem animi & ſomnum ſibi conciliavit, repetiitque uſum ejusmodi pilularum aliquot vicibus, exoptato cum levamine; dum autem parochus quotidianum & ſæpius repetitum dictarum pilularum uſum nimis ſumtuoſum exiſtimaret, ſuaſit, ipſis tantumdem opii crudi ſubſtituere; res etiam ex voto ſucceſſit. Vidua hæc quoties publicum & ſacra (quæ valde ſub anxietatibus averſari ſolebat) frequeutare, domeſticis invigilare, & rem cum aliis habere arduam, geſtiebat, toties granum Opii aſſumſit, & ad omnia ſe aptam menteque compoſitam inde experta fuit. Succeſſu temporis autem ſucceſſive etiam vi conſuetudinis augere doſin cogebatur, ita ut nunc ſpatio ſeptimanæ, ad unciam unam & dimidiam Opii devorare, ſicque ſe ad officia domeſtica alacriter ſubeunda, ſomnumque una nocte ſibi conciliandum diſpoſitam reddere ſueta ſit. Res etiam eo devenit, ut nullum amplius ipſi Opium venditare Pharmacopœi vicini audeant, quem in finem etiam diverſa & exteriora Pharmacopolia adire ea neceſſum habuit.

In cauſas hujus contrarii Opii effectus inquiſiturus, ſalvum relinquo aliorum judicium, & ſic ſtatuo: Fluxu menſtruo præmaturius in ἀταχτάν redacto & dein penitus emanente, motus quidem excretorii â natura ſunt continuati, ad finem autem deſtinatum non pertingentes, exacerbantur & in viſceribus abdominis varios motus inordinatos diverſosque ſpaſmos, caput afficientes mentemque turbantes excitabant, temperamentum cholericum, nec non in ſubjecto noſtro forte for-

tuna ex improviſo excitati & ſucceſſive exacerbati animi motus, ſpaſticis his motibus pondus inſuper addendo malum ſic auxerunt.

Dicti hi motus ſenſim in conſuetudinem degenerantes, ſanguine licet repetitis venæ ſectionibus ſufficienter depleto, tamen urgebant indies magis, inſurgebant quaſi, & fere affectum maniacum moviſſent, niſi caſu per Theriacam cœleſtem ipſis remora injecta, & ſic his remediis opiatis, virtute ſulphuris ſedativi, ſpasmodici hi motus per intervalla ita levati fuiſſent, ut mens à vinculis quaſi aliquandiu liberata, vel potius pacata functionibus iterum præeſſe potuerit.

Huic fundamento innixus hypochondriaco cuidam turbatis in mente ideis ſæpe vexato, theriacam cœleſtem ad gr. I. pro doſi primum ſingulo mane & dein etiamſingulis noctibus ordinavi, ex cujus uſu plus quam ullo alio ex medicamento mente ſe allevatum fuiſſe, ægrotans aſſeveravit. Nollem tamen autor eſſe, ut in affectibus hypochondrico melancholicis ejusmodi opiata ſine diſcrimine & ſine prævia ſufficiente deliberatione, propinentur.

OBSERVATIO CXLVI.

DN. D. IOH. GEORG. HASENEST.

Viſcerum concretio.

AD manus meas nuper pervenit elegantiſſima diſſertatio Celebrr. D. D. & Prof. Lipſienſinm PLATNERI, de *thoratibus*, ubi illum in diverſis locis & quidem §. 3. p. 8. de injuriis, quæ fœtui & liberis inferuntur, merito ita conquerentem legi.

" Elegantiores fœminas, formæ atque muliebri
" venustati magis quam proli servandæ studentes, intu-
" mescentem ventrem, & quod tum surgentis uteri mole
" angustatum est pectus valentius, & quidem immani-
" ter sæpe constringere, tandemque miseram prolem
" ante legitimum partus tempus infeliciter elidere & ex-
" primere; si vero secundum §. IV. p. 10. abortum non
" patiantur tamen fœtus corpusculum tenerum, molle,
" deforme ac monstrosum inde fieri. Immo adhuc acer-
" bius dolet §. V. p. 13. quando dictæ matres, adeo mol-
" le & tenorem corpusculum fasciis injectis violentius
" adstringunt, & sic infanti turpissimas membrorum
" pravitates, nec non infinita ac funesta mala causant,
" inter quæ inprimis etiam hectica est recensenda. Ejus
modi tragicum casum experiri eheu mihi datum fuit ante aliquot annos in puerulo illustri, qui posthabitis omnibus meis dehortationibus, jussu matris, gracilitati corporis studentis, fasciatione arctius quotidie comprimebatur, detractis insuper sufficienti nutrimento & lacte materno, solo decocto ex passulis, liquiritia, & sem. anisi educari cœpit, sub quo & quidem totius vitæ tempore, infans intra velamenta strictiora anxius, multis vexabatur pustulis maculisque supra abdomen & pectus conspicuis, æstu volatico, aphthis, corporis successiva contabescentia, tussi vehemente & continuo cæruleo circa frontem & oculos colore abcessuque supra aurem sinistram contumaci, donec totus emaciatus & vere gracilis, vinculis hisce morte interveniente liberatus fuerit, anno ætatis suæ vix unico superato.

Aperto cadavere reperii 1) cor pericardio, uncias 4. vel 5, aquæ continente & diaphragmati ad trium trans-

versorum digitorum spatium annexo, involutum, sine offensa. 2) Pulmones pleuræ circum circa variis in locis firmiter affixi erant; in anteriore sternum versus parte, albicantes, laxiores & muco pituitaque referti, in posteriore autem dorsum attingente parte indurati instar hepatis ex fusco nigricantis adparebant. 3) Abdomen una cum integumentis communibus & partibus cum continentibus, tum contentis, non nisi manu facta artificiosa separatione, â se invicem distinguendis, unam quasi constituebat massam, nullibi, excepto ventriculo, intestinis folliculo fellis & vasis sanguinem vehentibus, cavitatem admittentem, parte parti circumcirca firmiter mediante præternaturali coalitione annexa, adeo, ut nisi intestina cavitatem suam, licet vix ad digiti minimi admissionem amplam, adhuc retinuissent, totus venter inferior in integra peripheria unicam formasset molem nullibi liberam. Sola vesica urinaria & ventriculi pars anterior sine nexu præternaturali conspiciebantur; hic autem flatibus valde expansus erat, & ob glandulas induratas tactui se offerebat, instar tunicæ milii granis perspersæ.

Mesenterium â ceteris partibus arte liberatum maxima ex parte corruptionis putredinosæ labe conspurcatum vidi, una cum glandulis undique scirrhosis, lapillos & arenulas diversæ magnitudinis æmulantibus. Hepar conspectui se dedit, totum pene induratum, præter naturam magnum, folliculum felleum in se continens valde expansum, humore bilioso limpidiore unciam unam pondere superante, refertum. Lien una cum pancreate, non minus indurationi succubuit, renibus interim adhuc salvis.

Plura obſervare nec mirus complicatusque nexus, neque temporis ratio, neque parentum patientia permiſere.

Omnia hæc mala & per ſectionem reperta præternaturalia profecto, (ut rurſum, verbis D. D. PLATNERI utar) ad compreſſius injectas faſcias, quibus infantem indies arctius conſtrinxerant, referenda eſſe haud dubito, ceu quibus ſanguinis circulus retardatus & impeditus fuit, unde æſtus volatici frontis & faciei color cœruleus, ſcirrhoſitates viſcerum & glandularum cum abſceſſu capitis originem traxerunt, maculæ & puſtulæ corpuſculum defœdarunt, pruritus continui infantulum miſerum anxerunt, & ſic, demto ſomno, emaciarunt; aphthis & tuſſi continua, ut & meſenterii corruptione non minus ex ſero, conſtrictione nimia expreſſo ſtaſique corrupto, principium ducentibus; & quid de concretione totius abdominis tamarcta in unicam molem aliud judicem, quam quod humido illo gelatinoſo interius continuo tranſpirante; partes ſibi invicem ſub tanta compreſſione conglutinando concreverint.

(*Onoldo d. 15. Decembr. tranſmiſſæ Norimbergam* 1736.

OBSERVATIO CXLVII.

DN. D. JOH. FRIDERICI BAUERI.

Relationi obſtetricum raro fides habenda eſt.

OBſtetrices, ſi puerperas â mole ſua liberaverint, & recens natorum funem umbilicalem ſeparatum conſueto more filo conſtrinxerint, ſuo officio ſe

Ma-

plane satisfecisse, omnes fere erronea opinione sibi per-suadent. Quid ergo mirum, quod infantes cæteroquin incolumes, ob obstetricum incuriam quæ ad naturæ errores parum attendunt, vel per totam vitam miserrimi vivant, vel statim â partu mortis faucibus extradantur. Quævis hæc mala anteverterentur, si tenellorum habitus externus non saltem â sordibus mundaretur, sed omnes etiam totius corporis partes externæ probe perlustrarentur quo adpareat, utrum organa juxta naturæ leges fabrefacta sint, nec ne. Accidit, ut infantes edantur in lucem quorum meatus corporis, qui patentes esse deberent e. g. oculorum canthi ac palpebræ, narium ductus, faucium & aurium cavitas, illuvie quadam penitus occlusi deprehenduntur, ita, ut vel cæci, surdastri, vel etiam ad respirationem exercendam & lac sugendum prorsus inhabiles fiant. Pari modo organa emunctoria haud raro inveniuntur obstructa, quemadmodnm in uno alteroque casu meatum urinarium mucosa materia quadam anum vero coalitum me vidisse recordor. Licet hæc incuria obstetricum, quam in examinantis partibus externis quotidie committuut, omni reprehensione digna sit, tamen dissimulare non possum, quod hujus gentis ambitio, quæ sæpe Medicorum monita vilipendunt, maximopere sit taxanda.

Lubet rem sequenti exemplo clariorem reddere, conjux mercatoris nostræ civitatis felicissimo cum successu puellum pariebat, quoad vultum & reliqua membra externa sanum atque formosum. Infans ab obstetrice tractabatur solito more, nec quidquam sua opinione intermittebat, quod circa regimen recens natorum necesse esse solet, dum inter alia ad fæces alvinas expellendas oleum amygdala-

dalarum dulcium, rhabarbarina & mannata aliaque hujus generis remedia lubricantia & ſtimulantia abunde propinabat, ſine ullo tamen ſucceſſu. Altero die meum parentes requirebant conſilium, qui, cum de fruſtra adhibitis remediis jam certior fuerim factus; clyſma commendabam, inſimul vero urgebam, ut filo cera obducto ani aperturam exacte examinaret obſtetrix. Meo reditu, omnia facta eſſe, vetula affirmabat, anum ſe inveniſſe apertum, imo clysma præſcriptum ordine ſe injeciſſe, nec illud eſſe reverſum. Miratus ſum alvi ſegnitiem, hinc ut ſuppoſitorium adhiberetur, abdomen vero, quod in tumeſcere incipiebat, unguento quodam mihi uſuali, quod in ſimili caſu nunquam me fefellit, oblineretur, neceſſarium videbatur. Quum nec hocce remedio alvus munere ſuo fungeretur, de non rite applicato ſuppoſitorio ſuſpicioſe arguebam; aſt, obſtetrix, ſe & illud more conſueto intruſiſſe, ſancte aſſeverebat. Tertio die vomitus & convulſiones mortem indicebant, quæ eodem die non ſine parentum mœrore ſequebatur. Poſt mortem â parentibus mihi concedebatur infantis anatomica inſpectio, ubi antequam ſcalpellum admovebam, non ſine ſtupore fæcum canalem penitus coalitum deprehendi. Facta abdominis inciſione omnia in ſitu naturali conſpiciebantur, eo excepto, quod inteſtina craſſa valde turgida, rectum vero ad trium digitorum transverſorum menſuram expanſum & hinc inde ſphaceloſum occurrerent.

Diſſecto inteſtino recto, membranam ſpuriam, quæ ani orificium occludebat, examinabam, ubi illam plus minus denſam deprehendebam, quæ nec craſſa erat nec profunde inteſtini canali adhærebat, dum in ani par-

te externa, videlicet limbo, suam habebat sedem, ita, ut sine omni molestia & periculo manu chirurgi commode removeri potuerit. Hoc exemplum testatur nec in levidensibus casibus obstetricum relationi fidem esse habendam, Medicum potius, cui salus proximi cordi est, conscientiæ suæ optime consulere, qui omnia organa externa propriis oculis examinat ne infanticidiorum, quæ incuria obstetricum adeo imprudenter sæpe numero committuntur, in simul particeps fiat.



OBSERVATIO CXLVIII.

DN. D. JOH. FRIDERICI BAUERI.

Variolæ arte ſuſcitatæ plurimum ſunt exitioſæ.

IN vulgus notum eſt, vario modo variolas ſuſcitari; plurimi modi, qui in aperto ſunt, ſuperſtitione nituntur. Sunt, qui modo emtionis, vel, petitionis, infantibus ſuis hunc morbum conciliant, ſibi perſuadentes, quod adeo diris ſymptomatibus non ſint, obnoxii. Alii, ne ſuperſtitioſi videantur, hæc ſolennia negligunt eatenus autem cum iis conveniunt, quatenus morbum non ſecundum naturæ ordinem exſpectant, & ſuorum infantum fata directioni divinæ committunt, ſed vi quaſi extorquent. Solent hujus generis homines ſuos infantes, qui variolis non decubuerunt, quando epidemicus, ſed non adeo malignus eſt hic morbus, in ejusmodi portare loca, ubi unus vel alter variolis laborat, ut vel conſortio vel ipſo accubitu contagium contrahant. Quoties ejusmodi ægrotos viſitavi, toties expertus ſum, illos gravius ac ſymptomatibus periculoſioribus decubuiſſe præ iis, qui epidemico laborarunt morbo.

Anno 1734. variolæ hic Lipſiæ omnia fere ædificia pervagabantur & plures infantes affligebant; aſt morbus adeo mali moris non erat; dum pauciſſimi ſuccubuerunt, qui tempeſtive remedia adhibuerunt utilia.

Mater duorum infantum, quæ nil magis optabat, quam ut ambo hi infantes, adeo felici conſtellatione uti loquebatur, hunccemorbum, alias rebellem & malignum

ſuperarent, me qui familiæ hujus ſanitatem curabam, interrogabat anne melius eſſet morbum hoc tempore provocare, quam alio tempore iſtius eventum dubium ac periculoſum expectare. Licet hæc conſilia a me probe refutata fuerint, tamen, me invito, infantes ſuos incolumes & optima ſanitate gaudentes ad infantes extra domum mittebat variolis, mitiſſimis ſymptomatibus ſtipatis, decumbentes. Infantes ad lares paternos reducti ambo contagium reportabant; & variolas, licet paucas, adeo tamen malignas obtinuerunt, ut intra paucos dies vitam cum morte commutarint, mater vero repentinum ſuum animi motum ſero deploraverit. Hanc obſervationem DN. SCHULZIUS *Ephemerid. Dec. I. Ann. VIII. p.* 23. *hunc in modum confirmat, dicens: Notandum eſſe duco, quod ſemper vel plerumque ii ipſi infantes, qui vel per alios emunt ab infectis, licet paucas patiantur variolas gravius reliquis decumbant.*

(*Lipſia Erfordiam miſſa d.* 20. *Decembr.* 1736.)

OBSERVATIO CXLIX.

DN. D. JOH. PETRI WAHRENDORFFII.

Calculus Veſicæ cum aliis peſſimis abdominis vitiis complicatus.

PUer 10. annorum â quarto ætatis anno, & ſic jam dum per ſex & quod excedit annos, inſignes ſenſerat abdominis dolores, contra quos varia hinc & inde

inde uti fieri solet, â medicis & medicastris, peritis & absonis Viris consilia & auxilia expetierant Parentes, quæ mox ad calculum frangendum & pellendum, mox ad viscera obstipata reseranda & nescio quem alium in finem fuerant directa; omnia vero incassum, quippe de die in diem, de anno in annum dolores potissimum in dextro hypochondrio & regione vesicæ urinariæ exacerbabantur, adeo, ut de insignibus cruciatibus inter mingendum cum calcitratione pedum, conqueretur æger, & genitalia contrectare indesinenter cogeretur manibus, ad levamen quoddam sibi comparandum, usque dum admodum fatigatus & emaciatus, per mortem ab omni liberabatur miseria. Post obitum ejus mihi & honoratissimo meo Collegæ ac Compatri, *D. D. Gotschio* tanquam ordinario Medico tum temporis, cadaver pueri â parentibus mœstissimis concedebatur, quod insigniter emaciatum reperiebamus; incisione â clarissimo meo fratre germano, *Ioanne Ludovico Wahrendorffio*, Chirurgo Lignicensi in anatomicis bene exercitato, facta, videbamus.

1.) Hepar in tres lobos divisum ac ad insignem magnitudinem accretum, ita ut utrumque hypochondrium inprimis vero dextrum, impleret & ad umbilicalem regionem extenderetur, uti Figura 1. Tab. XIII. ostendit. In tantam itaque molem expansum intestina versus latus sinistrum comprimebat, cæterum color & substantia ejus bene erant constituta, præter quod in concava parte in margine prope vesicam felleam, in tunica viscus hoc cingente, plumbeam haberet maculam, quæ autem saltem superficialis erat, quippe in substantiam hepatis nequaquam penetrabat.

2. Veficulam fellis majorem, quam naturaliter alias esse solet, liquore viridescente repletam & turgidam.

3. Ventriculum, intestina ut & lienem sine labe, omentum, mesenterium ac mesocolon emaciatum.

4. In duplicatura Peritonæi dextri lateris, ubi intestini coli adjacebat flexura, abscessum, qui ultra libr. ij. materiæ purulentæ insigniter fœtentis, post incisionem effundebat:

5. Sinistrum Renem sacculi formam referentem, cum uretere satis magno & amplo, qui insertionem unius digiti facile admittebat, urinoso liquore repletum.

6. Ren dexter in parte contracta quasdam monstrabat excrescentias, ureter vero prodiens sinistro ferme erat æqualis & urina turgidus, vid. fig. 2. Tab. XIII.

7. In Vesica urinaria calculum deprehendebamus, cervici vesicæ admodum impactum, & insertos ureteres valde comprimentem, ita, ut ne guttulam urinæ transmiserint in vesicam, hæcque ab urina prorsus erat vacua, calculi formam & magnitudinem figura 3. ejusd. Tab. repræsentat. Pondus ejus vero æquabat drachm. vj.

OBSERVATIO CL.

DN. D. JOH. PETRI WAHRENDORFFII.

Fœtus bicorporeus.

ANno 1734. die 6. Februarii parochus Augustanæ confessioni addictus Binowicensis, mihi per litteras referebat, quod prægressa die uxor cujusdam sartoris in prope adjacente pago *Pohlschiltern*, fœtum mortuum per partum admodum difficilem excluserit;

ſerit, ſimulque ad inſpectionem ejusdem me invitabat. Circa meridiem pergebam ad dictum pagum *Pohlſchildern* & in præſentia D. D. *Ræhneri* Collegæ mei honoratiſſimi, & modo laudati Parochi, Rever. Dni *Eberti*, Parentibus concedentibus, fœtum illum monſtroſum, quantum tempus & nox adveniens permittebant, cultro anatomico examinabam. Similis erat iis, quos nobis ſiſtunt *Fortunius* LICETVS in *Tractatu de Monſtris Lib. II. p.* 80. *Collectores Annalium Wratislavienſium Tentam. XVII. p.* 178. & *Actorum Medicorum Berolinenſium Decad.* II. *Volum VI. No.* 4. *p.* 68. inprimis autem exactiſſime cum illo conveniebat, quem Celeberrimus Dn. D. *Joh. Adamus* KVLMUS, in peculiari *deſcriptione anatomico-phyſiologica Fœtus monſtroſi Gedanenſis* exhibuit. Nimirum quaſi bicorporeus erat, ab humeris ad umbilicum plenarie coalitus, ex quo funiculus prodibat umbilicalis; ab umbilico autem abdomen diſtinguebatur ſeparatum. Duo habebat capita, ſeſe invicem reſpicientia, quatuor brachia, totidemque pedes, duos anos & duplicia genitalia muliebria, quatuor mamillarum papillulas, ceterum quoad conſtitutionem non adeo robuſti, ſed gracilioris habitus, dextrum autem latus occupans puella altera erat major quodammodo.

Diſſecto cadavere I.) Hepar erat unicum in parte convexa linea, ſeu crena transverſali ſignatum, in concava iterum conſpiciebatur linea transverſalis protuberans, ut quaſi ſeparatum videretur hepar in duas partes; aderant quoque duæ veſiculæ biliares, vide figur. 4. Tab. XIII.

2.) Duos obſervabamus ventriculos cum ſuis oeſophagis & inteſtinis, quæ ſua meſenteria & Meſocola habe-

habebant. Inteſtina ſeparabat & tegebat omentum ad hepar usque extenſum.

Lienes occurrebant duo, nec non

Quatuor renes cum tot renibus ſuccenturiatis, totidemque prodeuntibus ureteribus ad binas veſicas urinarias.

Coſtæ ab utroque latere cohærebant beneficio cartilaginum, & duplex quaſi efformabant ſternum.

Diaphragma ita erat formatum, uti ſupra citatus D. D. *Kulmus* in ſuo fœtu monſtroſo id obſervavit & peculiari figura expreſſum dedit.


Duo aderant Pulmones cum ſuis aſperiis arteriis.

Duo quoque corda cum auriculis dextris connexa vid. fig. 5. Tab. XIII.

Mater hujus monſtroſi fœtus erat primipara ætatis ultra 30. annos, quæ ob teneriorem ſui corporis habitum, partum laborioſiſſimum habuerat, ſed tamen conſervata fuit, & adhuc vivit; poſtmodum iterum ingravidata, ſanum atque perfectum infantem in lucem edidit.

(*Lignitio Erfordiam miſſa d. 24. Decemb. 1736.*)

F I N I S.



APPENDIX
AD
VOLUMEN QUARTUM
ACTORVM
PHYSICO-MEDICORVM
ACADEMIÆ CAESAREÆ LEOPOLDINO-CAROLINÆ NATVRÆ CVRIOSORVM IN GERMANIA.

CONTENTA
APPENDICIS.

VI. Me-

VI. Memoria BRUNNERIANA.

VII. Memoria WILLISCHIANA.

VIII. Memoria ETTMULLERIANA.

IX. Memoria BAJERIANA.



ANDREÆ LOEW
NOB. HUNG. PHIL. ET MED. D. PHYS. SEMPRON.
ORD. S. R. J. ACAD. NAT. CUR. COLLEGÆ,
SUCCINCTA DESCRIPTIO
DUORUM
HUNGARIÆ
MEDICATORUM
FONTIUM
QUORUM ALTER PENES *LACUM PISONIUM* IN
SEMPRONIENSI COMITATU AD *PAGUM WOLFFS*,
ALTER IN *CASTRI FERREI COMITATU* PENES
BINKAFELD
ENASCITUR;
EX AUCTORIS SCHEDIS POSTHUMIS
RECENSITA,
CURA ET STUDIO FILII
CAR. FRIDER. LOEW,
NOB. CONSIL. ET ARCHIATRI DUCAL. SAXON. ACAD
IMPERIAL. N. C. ADJUNCTI, D. PITTALI ET SOCIETATIS
SCIENT. REG. BEROL. COLLEGÆ.

VIRIS

GENEROSIS NOBILISIMIS CONSULTISSIMIS ATQUE AMPLISSIMIS,

CONSULI,

JUDICI,

AC RELIQUIS

SENATORIBUS,

REIPUBLICÆ SEMPRONIENSIS PROCERIBUS,

PATRONIS ET FAUTORIBUS

COLENDIS,

HANC PATERNÆ INDUSTRIÆ OPELLAM

IN TOTIUS ACADEMIÆ IMP. NATUR. CURIOS. SUIQUE COMMENDATIONEM

DEVOTO ANIMO CONSECRAT

CAR. FRID. LOEW.



PRope Sempronienſium pagum *Wolffs*, circa quem generoſiſſima vina gignuntur, proveniens *fons* ad ſcaturiginem non modo *coeruleſcentem colorem* obtinet, ſed & *odore* graviori *fœtido* de copioſiſſimo teſtatur *ſulphure*, quod & *ſapore*, qui nec acidulus, nec acrior, verum intenſius ſulphureus obſervatur, ſatis ſuperque prodit. Si porro aquam hanc ſulphuream vel deciduam in terram ſpectes, vel poſt coctionem, ſequentemque refrigerationem conſideres, *cuticulam* tenacem craſſam deprehendes, quæ uti ſucceſſive enata *albicat* ſuperius, ita inferius tota quanta *nigreſcit*. Unde huic fonti Parens pie defunctus non tam *Nitrum*, quam *ſulphur* copioſum ſtatuit ineſſe, etſi *tartarum*, ſive *terram albam*, *inſipidam*, *adſtringentem*, poſt coctionem aheni lateribus copioſiſſime adhæreſcentem, atque in ſperſam ulceribus chronicis ſumme proficuam, luxurianti-

que carni resistentem, non sine ratione alterum principium constitutivum innuere censeat. Cumque eidem ex longiori praxi non solum *blanei* hujus *vis constipatoria*, verum etiam *potentior diuretica*, simulque *exsiccans* innotuerit; hinc in *Hydrope incipiente*, speciatim *anasarca*, *pedibus œdematosis*, *ulceribus antiquis fluore albo*, inprimis *scabie*, summopere id ipsum celebrat. Pro roboratione membrorum post perpessam *podagram*, *paralysin* & *contracturam* præstantissimum balneum esse addit, prouti hoc & *phlegmaticis*, & *obesioribus* vel maxime commendat; *macilentis* vero, atque in specie *biliosis* omni modo dissuadet. Unde denique nec in *rhevmatismis*, nec in aliis *affectibus biliosis* balneum hoc admittit, quod non modo vi calefaciente majori polleat ipsis thermis *Badavino-Austriacis*, sed & majores atque copiosiores efflorescentiæ cutis post *balnei* hujus *Wolffsensis*, quam illarum usum, observentur.

Uti autem tam adducta de *balneo* hoc circa Sempronienfium pagum *Wolffs* frequentato, quam de acidulis penes *Binkafeld* jam adducenda per Parentis pie defuncti *observationes Hungaricas* manuscriptas & publico bono destinatas, adhuc magis confirmantur: Ita etiam ex iisdem plenior de utrisque hisce fontibus notitia haurienda erit.

Unde in antecessum notasse sufficiat, *alterum medicatum fontem*, cujus & *Paulus* SPINDLERUS *Centur. obs. med. obs. XI. p.* 38 & Celeberrimus *Car* RAYGERUS *Senior* tam in scholio ad ejusdem SPINDLERI *obs. IX p.* 17 sub nomine *acidularum Binkafeldanarum*, quam in pluribus ad Parentem datis litteris meminit, fontem hunc, inquam, penes *Bincafeld* enatum, atque alias *acidularum Jormanstorffensium* nomine venientem, constare maximam

partem

partem ex *Vitriolo*. plus tamen de *Venere*, quam *Marte* participante. Atque isti principio & *Sulphur anodynum*, & *Sal* quoddam *gratam aciditatem largiens*, junctum esse Auctor scribit. Cumque hæc mineralia optime â natura sint *depurata*, intimiusque fonti immersa, hinc iisdem acidulis non modo ob *particulas vitriolicas* vim potentius exsiccantem atque roborantem, sed & ob *venereas martialesque* resolventem in *obstructionibus lienis*, *hepatis*, *mesenterii* & *renum* tribuit, idque eo magis, quod ob *Sal* quoddam peculiare, vias urinarias reserando *urinam* æque ac *viscidam*, *calculosamque materiam* copiosissime educat. Unde easdem & in *hypochondriacis* & *nephriticis* summopere laudat. Adhibentur autem vel in *potu*, vel in *balneo*, licet internum usum Parens pie defunctus plurimis, vel maxime sub prandio, dissuaserit. *Debiliores* enim atque *sensibiliores* modo ob *sulphur narcoticum* gravitatem capitis inde persentiscunt, modo propter *Vitriolum Veneris* facillime patiuntur vomitus, sequentibus deinde sæpe febribus. *Robustioris* constitutionis hominibus vero hoc minus commendat, quod in his secedant difficilius, nisi vis earundem aut stimulo acuatur quotidie, aut ad III. IV. mensuras, sicque in maxima sumantur copia. Ipse Auctor ad ipsum fontem summo mane semel *IV. circiter mensuras* bibit, quarum *vix dimidia pars* secesserat. Econtrario *balneum*, tam ob vim exsiccantem & absorbentem, quam ob singularem in biliosis, hypochondriacis & nephriticis efficaciam mire prædicat. Utque balnei virtus augeretur, pro potu *acidulas Roitschenses*, Hungarorum naturæ vel maxime convenientes, atque *Vitriolo Martis* abundantes hincque ventriculum magis roborantes æque, ac obstructiones reserantes, perque alvum effectum majorem edentes, *Jormanstorffensibus* substituit. Usitatissimum ei fuit, balneum ordinare per

tres septimanas, ita tamen, ut aliquando post usum *acidularum Roitschensium* balneum suaserit, aliquando in prima atque tertia hebdomade, & matutinas & postmeridianas horas, *lavationi* dicaverit, secundæ vero matutinas horas *potui acidularum Roitschensium*, & *lotioni* postmeridianas destinaverit. Denique monet & *ante balnei usum* vel blandum *laxans*, vel etiam *Venæsectionem*, aliaque pro diversitate subjecti præmittenda esse, & *sub balneo* ratione *diætæ* non modo ea ex *cibis* esse vitanda, quæ obstructioni faveant; sed & pro *potu ordinario* eligendum esse *vinum probe defecatum*, ut ut interdiu etiam interdum *acidulas Jormanstorffenses* in robustioribus admittat.

(Vindobona Noribergam transmissa.)



JOH. JAC. SCHEUCHZERI
OTIORUM ÆSTIVALIUM CONTINUATIO

AD

ILLUSTREM VIRUM

DOMINUM

HANS SLOANE,

SERENISSIMI ANGLIÆ REGIS PROTO-
MEDICUM, SOCIETAT. ANGLICÆ ET COL-
LEGII REGII MEDICORUM PRÆ-
SIDEM.



I.

MAURITII ANTONII CAPPELLERI,

Lucernenſis Medici,

Litteræ ad SCHEUCHZERUM

De

Cryſtallorum generatione.

MUltum Tibi debeo, quod litteras philoſophicas *Dn.* BOURGUET legendi copiam nactus fuerim. Avidos certe adjeci oculos, quoniam abſolvunt materiam (cryſtalliſationem puta) cui dudum ſerio ſtudebam, ante menſem circiter idem fovens conſilium, quod *Dn.* BOURGUET, & ante illum BOCCONE & STENO ceperunt de mechanica corporum organicorum ſtructura, ab iis potiſſimum incipiendo, quæ ſimpliciſſima ſunt, mihique aptiſſima & commodiſſima videbantur, ut ſunt illæ cryſtalliſationes, quæ figura ſua geometrica indagationem hanc facilitare poſſunt. Initium ergo duxi â conſideratione omnium cryſtalliſationis ſpecierum tam in ſalibus, quam aliis regni

mineralis corporibus occurrentium, in primis autem in lapidibus pellucidis pariter ac opacis, naturaliter figura determinata & angulosa gaudentibus. Dein ulterius substiti, videns, neminem Auctorum, qui hanc pertractarunt materiam, inter tot species crystalli, causam figuræ cujuscunque particularis indicasse, vel solius veræ crystalli edocuisse. Talis autem propositio non tam nuda opinione & conjectura, sed plus mille annorum indagatione nititur, uti Clariss. STENO diserte docet in *Experimentis & observat. nat. de Boccone* p. 136.

Omnibus igitur crystallisationis speciebus prætuli Crystallum purissimam montanam, quia magnitudine sua & figura regulari simplici potior mihi videbatur, tum & propter frequentiam suam in Helvetia, & commoditatem loca visendi natalia: Ut vires ingenii tentarem eruendo structuram mechanicam, sperans insuper, si ad intimam ejus cognitionem pervenissem, me quoque reliqua corpora crystallisata & omnia illa, quæ figuram geometricam & determinatam originis & fundamenti loco habent, indagaturum esse facillime.

Difficultas suscepti operis me ad id explorandum incitavit, quod dubiam semper & impossibilem obtinuit fidem. *Quare crystallus sexangulis nascatur lateribus, non facile ratio inveniri potest* ait PLINIUS *Hist. Nat. L. 37. c. 2.* Et cum Doctissimus STENO ingenue confiteatur se nescire certi quidpiam statuere pro causa sexangulorum, illis accedit, qui desperarunt, quod unquam futurum sit, ubi CÆSALPINUS declarat: „ Absque ratione manifesta figuram „ illi certam â natura & Deo datam esse hexagonam statue„ re oportet, ut in multis rebus contingit, quod admirari hæc natura, non intelligi velit. *Lib II. cap. 19 de Metall.*

Copioso itaque apparatu crystallorum conquisito, quæ particularia quævis phænomena tam quoad superficiem quam

corpus

corpus ipſum ſuppeditare mihi videbantur, factoque itinere ad montem Grimſul, ubi ſpatioſæ ſatis & locupletes cavernæ anno 1719. detectæ fuerunt, certe nullis ſecundæ, operam dedi, quantum negotia permittebant mea, detegendi mechaniſmum formationis & figuræ Cryſtallorum, easdem nempe examinans per inſtrumenta mathematica & microſcopia, adhibitis etiam igne & aqua, pro obtinenda reſolutione, ut vocatur, in principia prima.

Non eſt hujus loci omnes enumerare obſervationes à me inſtitutas, neque meum exponere ſyſtema, quod ad omnes reliquas applicari poteſt cryſtalliſationes, jamque in ſcripto meo de Cryſtallographia continetur; vix enim requiruntur ad demonſtrationem, quam de impoſſibilitate Syſtematis Bourguetiani circa cryſtalli figuram prolaturus ſum, quippe quod inter antiquiora illa, quæ pariter ſubſiſtere haud poſſunt, collocari meretur quorum Auctores jam enumeraturus ſum.

Primus eſt CARDANUS *Subtil. Lib. VII p.* 361. ANTONIUS *le* GRAND *Princip. Philoſ. P. VI. p.* 313. cui accedit *Dn.* ROHAULT. *Phyſ. P. III. c.* 7. *§.* 8. & Dn. CHAUVIN in prima editione *Lexici Philoſ.*

Secundus eſt ARETINUS & alii citati à *Boetio de* BOOT. de *Gemm. & Lapid. Lib. I. c.* 13.

Tertius eſt *Boetius de* BOOT. ipſe l. c.

Quartus *R. P.* KIRCHER *Mund. ſubterr. Tom. II. L. VII. cap.* 8.

Quintus eſt recenſitus in *Memor. Acad. Reg.* 1701. *p.* 295. *& ſeq.*

Sextus allegatur à *Dn.* CHAUVIN in *Lexico Philoſ.* novæ editionis.

Septimus eſt *Nic.* STENO *de ſolido intra ſolidum.*

Octavus eſt Dn. LEEWENHOECK in litteris ad Dn. VALKENIER ad. d. 11. Febr. 1704. datis.

Ut ſpeciatim ad ſyſtema *Dn.* BOURGUET me converſam, quod cryſtallus montana conſiſtens in *prismate hexagono* & ſimplici aut duplici pyramide in extremitatibus ſuis, compoſita ſit ex *infinitis minimis triangulis æqualium laterum*, hoc idem eſt aſſertum ac octo memoratorum. Verum quando ſolummodo dicit triangula æquilatera, neceſſario ſciendum eſt, an intelligat tetraëdra, hoc eſt corpora, intra per quatuor ſuperficies comprehenſa, quarum quælibet triangulum æquilaterum, ſiſtit: Poſſet enim quoque accipere parva plana triangularia & æquilatera. Nihilo ſecius apparet pag. 46. quod priora putet Dn. BOURGUET, quia illis tribuit baſes, latera & planities.

Nullus etiam dubito, quin ſi tetraëdra velit, eadem regularia & ſibi invicem æqualia intelligat: Si enim inæqualia & irregularia diverſæ dimenſionis exiſtunt, non poſſent regulare corpus formare, quale eſt cryſtallus ipſa, ſique aliam deberent habere figuram, quam regularem, certiſſime eandem deſcripſiſſet.

Verum enim vero, ut nunc oſtendam, Cryſtalli montanæ figuram ex combinatione tetraëdrorum regularium nullo modo emergere poſſe, notandum maxime eſt, quod ſi duo tetraëdra ſibi invicem imponantur, illa ſpatium inter ſe conſtituant, quod per aliud tetraëdrum ejuſdem figuræ, nempe regulare, nunquam expleri poterit. Quodſi præterea quæcunque alia iiſdem jungas, nunquam efformabis tale ſtratum, ſupra vel intra quod poſſit aliud ex ſimilibus corporibus ſolidum quoddam formantibus, applicari. Quæ enim ibidem ponis, quoad puncta ſaltem, minime vero quoad totam planitiem ſe ſe attingunt. Inſpice, ſi placet, figuras A. & B. TAB. XIII. quæ tetraëdra in plano & elevatione collocata repræſentant ad efficiendum latus hexagonum tunc videbis

bis quod ſpatia vacua ab ipſorum planis formata plane alius figuræ ſint, quamquod tetraëdra admittere poſſint.

Quodſi porro tetraëdra æqualia & regularia ſibi applicantur, unum ſcilicet alteri, quæ ſe per plana ſua tangunt, minime columnas hexagonas habebis, ſed potius corpora magis rotunda, aut ad rotunditatem inclinantia, per differentes particulas compoſita, haud vero amplius cryſtalli figuram exprimentia obtinebis. Optandum eſſet, Geometras inventiones ſuas ulterius extendiſſe, demonſtrando figuras, quæ varia corpora polyedra ſimul reunita exprimere poſſent, quemadmodum contenti fuerunt, nobis demonſtrare tantum ſic dicta quinque corpora regularia, quinque aucta, & novem detruncata, ſeu mutilata. In tali cauſa intimius perveniſſemus ad ſalium & corporum geometrice figuratorum cognitionem, ac ſufficientes jam pro norma factæ fuiſſent demonſtrationes.

Aſt ſi tetraëdra qualitate carent effingendi ſolidum in columna hexagona conſiſtens, eo minus ſufficiunt pyramidi formandæ, qualis eſt cryſtalli, nam latera pyramidum ſibi oppoſita, ſemper angulum reddunt ſolidum 75. graduum in omnibus lapidibus Cryſtalli veræ; adeoque angulum, qui ex tetraëdris regularibus nunquam reſultabit, quantumvis etiam combinetur, aut vertatur. Nec latera pyramidum conveniunt ullo modo cum planis regulariter triangularibus, quod ideo neceſſe eſſet, ſi illæ compoſitæ eſſent ex triangulis æquilateris. Levi opera conferri poteſt triangulus æqualium laterum C. TAB. XIII. cum triangulo, qui planum pyramidale cryſtalli D. exhibiet.

Præter has inconvenientias dantur adhuc plures, tum ratione plagarum horizontalium columnæ cryſtalli, tum ratione polituræ planorum pyramidalium, quæ per multa tetraëdra tales haud apparuiſſent.

Eandem impoſſibilitatis notam incurrunt triangula minorum laminarum, poſito quod Dn. Bourguet illa ſubintelligat; licet enim formare poſſint priſmata trilateralia unum alteri ſuperponendo, hæcque ſibi iterum juncta columnas ſexangnlares producant, pyramis tamen talis ſemper deficiet, qualem in cryſtallo cernimus, quippe quæ pari mechaniſmo configurata eſſe debet cum reliqua lapidis ſubſtantia.

Quod igitur triangula & majora & minora ſint, quæ Dn. Bourguet, circa plana pyramidalia cryſtallorum pone Splugen inventa, ut & circa alia ſpecimina obſervavit, & unde occaſionem nactus erat, ſyſtema ſuum contexendi & concludendi, quod cryſtalli compoſitæ ſint ê parvis triangulis, id ego quoque ipſemet in copioſo numero cryſtallorum obſervavi, & en verba *Cryſtallographiæ meæ P. I. Cap. 6.* ubi de phænomenis figuræ ſuperficialis cryſtalli agitur §. IX. *Aliquando tuberculis quibusdam conſperſa apparent plana extrema, aliquibus ferme rotundis guttularum olei inſtar aquæ innatantis, aut puſtularum, aliis oblongis acuminatis flammæ figuram habentibus.* f. 21. *Alia item mixtæ ſunt figuræ, curvis, convexis, cavisque lineis circumſcriptæ: alia ſunt triangularia iſoſcela, alia denique rhombi figura gaudent, eum ferme in modum ordinata, quo pavimenta quædam laterculis ſternuntur, ſed inæqualiter, nec ubique ad amuſſim diſpoſitis.* f. 17. Ecce rationem, quam adornavi de hoc phænomeno in mea *Cryſtallographia P. II. c.* 6. §. *VI. Guttulæ illæ, puſtulatæ, tubercula, rotunda, oblonga, triangularia, convexitatem minimam quidem affectantia, tum fieri veriſimile eſt, cum ultimo per plana accreta materia cryſtallina non aliter ac ſtricte nimis connexæ tabulæ ligneæ attolluntur, ſeque ultra communem ſuperficiem elevant: hinc illa terminis circumſcribuntur, qui potiſſimum minimarum partium conſtituentium indolem, aut aliquem paralelismum ad primariæ figuræ genium oſtendunt. Hinc aliquando minus*

libera

libera transparentia per haſce figuras, ob ſolutum tantiſper continuum, apparet: hinc etiam radios non aliter ac ſuperficies convexæ reflectunt. Stratorum autem horum ultimorum portiones tum attolluntur, cum denſe & ſtricte nimis concretæ fuerint, quæ ætherea materia, liberum ſibi tranſitum parans, hinc inde ſuſtollere potuit & tantiſper ſublevare.

Habes hic Clariſſime Domine, meas aliquot meditationes ad ea, quæ de formatione Cryſtalli ſtatuit Dn Bourguet, quem ex animo veneror, quamvis ſententiæ ejus de hac materia ſuffragari nequeam. Judicabis inſimul, an Viro eruditiſſimo contradicere integrum fuerit, interim Tibi me intime commendo, mihique honori duco, &c.

Cappeler.

P. S. Memini, me aliquando in adamante adhuc crudo obſervaſſe triangula, cujus figuram dedi in Prodromo meo Tab. III. fig. 14. Videbantur mihi lamellæ triangulares, formatæ per accretam levem portionem materiæ cryſtallinæ adamantis: imo, poſſunt etiam ſimilia formari in planis pyramidalibus & ipſius columnæ Cryſtalli planitie, prout revera id deprehendi, quoniam admodum facile & naturale eſt, juxta Theoriam meam, quod particulæ iſtæ figura hac triangulari gaudeant. Momentum iſtud propterea addendum eſſe credidi, ne ſi forte triangula Dn. *Bourguet* ejusdem eſſent proſapiæ, exinde generalis fieret concluſio, quod ſint parva tetraëdra, ex quibus Cryſtallus & Adamas componuntur.

II. Nobil.

II.

Nobil. Dn. BOURGUET LITTERÆ Ad Clariss. Dn. D. CAPPELERUM, Medicum Lucernensem.

VAldopere gaudeo, communicationem litterarum mearum philosophicarum, per Dominum SCHEUCHZERUM, amicum nostrum doctissimum, Tibi factam, occasionem mihi suppeditasse, litterarium Tecum auspicandi commercium. Sæpius recordatus sum, me apud Illustrem hunc nostrum amicum prima vice Te vidisse Tuique notitiam obtinuisse, cum anno 1711. ni fallor. ab ipso ad prandium invitatus fuerim, ubi in simul mentem meam de Belemnitis & Crystallorum formatione eidem aperui. Certissime sane judicare poteris, Clarissime Domine, quod, si tunc notum mihi fuisset, Te forsitan jamjam pleniorem horum indagationem meditari, Tuum statim judicium de ista mea hypothesi mihi expetiissem; si vero nondum de hac materia isto tempore quicquam cogitasti, gratulabor sane mihi, quod paucis istis prolatis quicquam ad institutum Tuum contulerim, tuamque circa hoc subjectum curiositatem excitaverim. Quicquid interim sit, adseverare tamen Tibi possum, quod quamprimum â Domino *Wetstein*, moderatore studiorum junioris Dn *Talmsb*, primi ordinis in Anglia nobilis, (qui tunc temporis Lausannæ apud Dominum Professorem de *Bochat* commorabatur, â quo in Gallicam linguam translata habemus scripta, controversiam Reipublicæ vestræ cum Nuntio Romano concernentia,) interim cum litterarum mearum manu-

man ıſcriptum eidem communicarem, *Prodromum Cryſtallographiæ* tuæ obtinuerim, valdopere utique mihi placuerit hoc opus, in quo aliquas cogitationes meis non abſimiles, & cum majori ſcientia Geometrica ac diffuſiori eruditione conjunctas, deprehendi, adeo, ut ſi tunc notitiam ejusdem habuiſſem, cum litteras meas exararem, lubentiſſimè & ſumma cum animi voluptate debitam Tibi laudem tribuere haud intermiſiſſem, quod tamen jam ad minimum facio, Tuumque, Vir Clariſſime, præclarum miror judicii acumen, optans inſimul, ut inventa Tua procul dubio utiliſſima, magnoque Tibi honori futura, cum Publico communicare velis.

Quoniam vero contra meam de Cryſtalliſatione hypotheſin quædam monere Tibi placuit, haud ægre feres, vir Clariſſimè, ſi egregias tuas, ad amicum noſtrum Dominum SCHEUCHZERUM, datas litteras quaſi ad me ipſum directas conſideravero. Omnia illa, quæ circa tetraëdra ibi â Te proferuntur, ad me prorſus non ſpectant. Debuiſſes ſane hanc mihi non denegare juſtitiam ſupponendo, quod ſi crediddſem, Cryſtallos formari per concurſum particularem tetraëdricarum, non omiſiſſem quoque has nominare; aſt harum loco ſemper minora triangula vocavi partes integrantes Cryſtallorum. Dum dixi has ipſas habere ſua latera & baſin, nihil quod contra principia ſit, dixi; Tibi enim, Clariſſime Domine, melius, quam mihi, notum eſt, quod Geometrarum triangula habeant ſua crura & baſin; & hæc quoque de moleculis Cryſtallos formantibus mens fuit, eaque omnia, quæ harum intuitu adduxi, evidentiſſime eo ſe referunt, Hinc ſufficienter mihi patet, unde illa æquivocationis ſpecies, inter tuam meamque ideam ocurrens oriatur: Credidiſti nimirum, dum non niſi de lineis & figuris geometricis juxta extremum rigorem judicas, meam quoque ſuper has fundatam eſſe ſententiam, quoniam Cry-

 ſtalli

ſtalli moleculas appellavi triangula æquilatera. Aſt, vix unquam admittam, quod corpuſcula â ſuprema ſapientia formata ejusmodi figurâ geometrica, in iſto ſenſu prædita ſint, cum ê contrario jam perſuaſis ſim, talia nec hactenus obſervata, nec unquam etiam obſervanda eſſe in omnibus creationis operibus. Addo inſuper, quod formatio corporum qualitercunque regularium, ut eſt v. g. Cryſtallus nunquam ab aliquo Geometra per pura principia Geometriæ demonſtrari poſſint. Hinc etiam locum ibi habet illud LEIBNITII axioma, quod principium legum motus (addo principium formationis corporum) non ſit Geometricum, ſed potius principium convenientiæ & ſapientiæ, ex libertate arbitrii divini provenientis; unde eſt, quod puncta & lineæ Geometricæ rigorosè ſpectatæ, locum nec habent nec unquam habitura ſunt in phyſicis. Porro etiam figuras Cryſtallorum & Salium integrantes vocavi Proteos, eamque denominationem in tranſitu etiam applicavi ad moleculas luminis. Satis autem profundo abundas judicio, Vir Clariſſime, ut probe perſpicias, me, dum corpuſculis Cryſtallorum & Salium figuram geometricam tribuo, id minime ſecundum rigorem ordinarium intelligere. Nullus etiam dubito, quin ſi paulo attentius relegere Tibi placet omnia ea, quæ de Cryſtalliſatione â pag. 35. usque ad pag. 59. incluſive dixi, non ſolum juſtitiam mihi haud denegaveris, ſed & inſuper deprehenderis, ideas meas debite inter ſe connectere atque rationem phænomenorum, in *Cryſtallographia* Tua *P. II. cap. VI.* §. 6. allegatorum ſufficienter explicare. Hic accedit, quod ſi Tibi placuerit ope Microſcopii de novo conſiderare Cryſtallos fig. 17. & 21. operis Tui manuſcripti delineatas, certiſſime animadvertes, tam minora triangula, quam veſtigia laterum & baſium eorundem, quæ, dum planum quoddam pyramidis ſuperioris formant, diverſimode implicantur & ſibi invi-

cem

eem ſuperpoſita apparent. Inprimis autem exactius eadem obſervabis, ſi modo particulam Cryſtalli ita collocabis, ut latera vel baſes horum minorum triangulorum poſſint dividere lumen. Minima vero triangula vix unquam per microſcopia, ut ut optima illa fuerint, detegere poterimus. Quæ enim ope concavi ſpectantur vitri, immenſum quantum majora iisdem ſunt, ſimul tamen figuram minorum, quæ viſum noſtrum effugiunt, manifeſtant. Videtur etiam mihi ex loco citato Scripti tui, P. II. c. VI. §. 4. *hinc illæ terminis circumſcribuntur &c.* quod & Tibi eadem, unacum ſententia mea, jamjam cognita ſint.

Veniam autem mihi dabis, Clariſſime Domine, ſi repeto, quod non videaris id, quod inprimis reſpiciendum eſt, ſatis attente obſervaſſe, nimirum quod demonſtratio mea ſit phyſica, minime vero productum ſpeculationum geometricarum, de quibus ipſe faſſus es, complures optimorum Phyſicorum & Geometrarum jam olim judicaſſe, quod impoſſibile ſit illarum ope phænomena formationis Cryſtalli explicare. Occurrunt equidem permulta in hoc Univerſo exempla corporum figuram geometricam referentium. ſed nunquam ſecundum rigorem talis deprehenditur, & quidem, ſi dicere licet, hanc maxime ob cauſam, quoniam, etiamſi idealis origo in Suprema Sapientia fuerit geometrica, conflictus tamen motuum finiumque divinorum in corporali mundo impedivit, quo minus geometricæ regulæ ſecundum rigorem in actum deduci potuerint. Debuiſſent hinc atomi tunc ſimiles eſſe illis *Epicuri* & *Newtoni*, & tamen infinita varietas omnino locum habere non potuiſſet. Inde eſt, quod nihil abſolute & quoad totum illis ſit ſimile, ſive corpuſcula materiæ, ſive corpora organica plantarum & animalium ſpecies. Idem illud principium motus ætheris, quod mecum ſupponis, nec non aëris, aquæ & moleculatum Cryſtalli, &c. certiſſima cauſa eſt diſtinctorum illorum

Cryſtalliſationis & mechaniſmi organici phænomenorum, de quibus in litteris meis ſermo mihi fuit. Priora horum fuſius explicabis in Cryſtallographia tua, cum in tantum ſaltem in eadem â me explicata ſint, in quantum ad Mechaniſmum corporum organicorum ducunt.

De reliquo triangula, quorum mentionem feci, non ſtatim formant prismata trilateralia, prout videris in litteris tuis ſupponere, nec etiam dein conjuncta columnas hexagonas producunt, quippe quæ primo actu formantur. Eſt ſane hic admirabilis ille concurſus ſubitaneus in principio cryſtalliſationis, cujus mentionem facit KIRCHERUS. Non dubito, quin aliquando cryſtalliſationi expoſueris, v. g. particulam quandam ſalis, Vitrioli, aut alius mineralis, ibique obſervaveris ſubitaneum & promptum molecularum concurſum pro formanda Cryſtallo in illo momento, quo liquidum evaporat; pyramides in triangulis, quæ ſucceſſive, additione novæ materiæ cryſtallinæ columnas hexagonas, ut â Te vocantur, formant. Hic ſane idem ille mechaniſmus eſt, qui in formatione Cryſtallorum Aluminis locum habet. Vocavi particulas illas minimas cryſtalliſationum *Bracteolas*, in Epiſtola ad VALLISNIERIUM de Foſſilibus, Gallice impreſſa in *Tom.* 2. *Bibliothecæ Italicæ*, & dein ab eodem me inſcio latino idiomate publicata in Collectione variarum ad Phyſicam & Hiſtoriam naturalem ſpectantium, tractationum, Venet. 1628. p. 25. Ob harum ergo *Bracteolarum* (ſi ita vocare licet) facilitatem omni illo, quod easdem ambit, ſeſe applicandi, quoniam nempe non ſunt veri atomi Epicuri, nec etiam tales in toto univerſo occurrunt, non opus eſt, ut triangulum æquilaterum in tua figura comparetur cum plano aliquo pyramidum Cryſtalli D. cum unum ſit figura perfecta geometrica, alterum vero ſaltem effectus immenſæ copiæ moleculatum infinite parvarum triangularum, quarum motus, dum pro formandis rudimentis

tis apicum aut planorum pyramidalium se se uniunt, longe alius est, ac ille calami vel regulæ ipsius Geometræ, multo minus talis, uti in idea trianguli perfecti, qui saltem in mente & calculo subsistit. Spero igitur Clarissime Domine, quod, si absque præjudicio paulo exactius systema meum, prout vocare tibi placet, examinabis, certissime illud in ipsa Natura fundatum & phœnomenis, quorum rationem reddit, conforme deprehendes; è contrario vero etiam ope egregii tui judicii facile videbis, quod omnes illæ discussiones geometricæ omnino insufficientes sint ad solvenda ista phœnomena. Inserviunt enim nonnisi formandis conjecturis, quæ semper phœnomenon aliquod sine explicatione, relinquunt. Suppono autem modo physicam demonstrationem, facilitatem triangulorum infinite parvorum, conjunctim vel ad latera se se devolvendi, vel sibi invicem se superimponendi motumque intra tertium quoddam tempus magis vel minus recipiendi, aliasque ejusmodi conditiones in Physica mechanica locum habentes: Applica dein calculum omnibus hisce *Datis*, & tunc deprehendes Geometriam mixtam perfecte huc quadrare. Quodsi autem adhibere volueris triangula æquilatera perfecta, in motu & dimensionibus suis immutabilia, aliasque regulas constantes & invariabiles in actione ætheris, aëris, aquæ, sane, nisi omnia me fallunt, nunquam scopum attinges, quoad explicationem formationis unius saltem Crystalli, multo minus omnium. Id perpetuo eveniet omnibus Geometris, quamdiu supponent contra veritatem, quod corpuscula materiæ illorum actio perfectæ geometricæ indolis sint. Possem equidem fusius prosequi hunc articulum, nisi procul dubio tædium Tibi crearem. Mitto interim exemplum Epistolæ meæ, destinatum antea Domino *Wetstein*, cujus vero locum, ubi jam commoratur, modumque, quo obtinere illud queat, ignoro. Melius ergo actum erit eum

hoc libro, si ad manus tuas, Clarissime Domine, perveniet, sique illum tanquam leve quidem, ast sincerum respicies testimonium, quanti tua faciam merita. Gratissimum insuper mihi erit, si annotationes doctissimasque objectiones tuas mecum communicare Tibi placuerit. Nimium quantum veritatem colo, quam ut mihi ipsi non congratuler, si Viri, Tui ad instar docti, mentem suam de levioribus meis conatibus, detegendi nimirum vestigia divinæ sapientiæ in ipsa natura manifestatæ, mihi aperiunt. Tantum etiam abest, ut infallibilem me reputem, ut potius paratus sim ad recipiendam informationem ab iis, qui doctrina sua immensum quantum me exsuperant. Amicitiam tuam summo semper in pretio habiturus sum, sibique magis adhuc devinctum me habet Clarissl. SCHEUCHZERUS, quod id mihi comparaverit emolumenti, quod maximi sane facio &c.

P. S. Oblitus fere eram Tibi, Clarissime Domine, indicare, quod curiosum illud â Domino MONTI, Bononiensi mihi donatum Schediasma de Crystallo, cujus pag. 45. mentionem feci, certiorem nunc reddat, Crystallum formatum esse additione copiosissimarum triangularium tabularum, qualiscunque possibilis magnitudinis, sibi invicem pyramidum ad instar super impositarum, basesque harum tabularum post se relinquere impressiones aut minores sulcos ex omnibus hexagoni lateribus prominentes. Et hæ tabulæ formatæ sunt per concursum & adhæsionem plurimarum minorum molecularum triangularium materiæ crystallinæ. Si Tibi placuerit, Clarissime Domine, de novo paulo attentius eo respicere, plenarie convictus eris, quod arcanum hoc, â tot celeberrimis Viris non observatum, detexerim, non quidem quod profundiore præ iis polleam eru-

eruditione, sed quoniam natura ipsa mihi se monstravit, ut non adeo multo opus mihi fuerit labore, eandem ad confirmandas quasdam antea jam conceptas opiniones disponere, quemadmodum sæpissime omnibus fere Philosophis id contingit. Interim tamen nondum absoluta & exhausta est hæc materia, firmiterque persuasus sum, Te innumera adhuc curiosa atque utilia in opere Tuo de Crystallis exhibiturum nobis esse. Hinc precor Deum, ut per longam adhuc annorum seriem perfectam Tibi largiatur sanitatem, sicque egregias tuas animi vires promovendæ Ejus gloriæ, augmento scientiarum & Reipublicæ vestræ emolumento impendere queas. Ceterum gratissimum mihi erit, si Dominum *Nicolaum Langium*, doctissimum tuum conterraneum, adhuc in vivis esse rescivero: Nondum deposui memoriam ingenui ejus candoris & probitatis, magnoque mihi erit gaudio, si intellexerit, me, licet quod ad lapides figuratos attinet, cum ipso non sentiam, magni tamen ejus scientiam & merita æstimare. Ut ergo, nisi molestum Tibi fuerit, meo nomine humanissime eundem salutes, obnixe peto.

III.

BOMBACE DE VEDRETTI.

INcautos sæpe nos fallunt vel nomina vel relationes infidæ. Allata mihi An. 1730. ex Rhæticis altissimis jugis lanugo, qua pro præstantissimo vulnerario utuntur alpicolæ, venatores cumprimis Rupicaprarum, casibus multis expositi, vulnera hac ipsa lanugine delingantes, quæ non modo brevi sanguinem profluentem sistit, sed vulnera ipsa paucis horis curare dicitur. *Bombace de Vedretti* ipsis audit,

audit, quod Goſſypio ſimilis ſit, & ſub jugis glacialibus, *Gedretti* dictis, ſuccreſcat. Relatum autem mihi â Clavennenſi mercatore, ceterum rerum naturalium haud incurioſo, eſſe hanc plantam ſingularem, ſui generis, quapropter dubius hæſi, an ſit forte alga quædam, muci ad inſtar vel ſitus ex terra ſuccreſcens in ſpatio illo glacialium montium inter radices & Terram, nunc pedali nunc bipedali, vacuo. Juſſi autem, ut me in judicio vel firmarem, vel præjudicio liberarem, inquirere in plantam integram, ut eam examini accuratiori poſſem ſubjicere. Haud caruit tentamen ſucceſſu. Allata menſe Octobri planta, qua viſâ ſublatum illico omne dubium. Et quippe lanugo illa *Salicis alpinæ ſerpilli folio lucido. Bocc. Muſ.* quæ *Salix alpina minima repens retuſo ſerpilli folio lucido Ejusd. Saxatilis minima C. B.*

IV.

Celeberrimo Viro

D. JACOBO BARTHOLOMAEO BECCARIO.

S. P. D.

JOHAN. JACOBUS SCHEUCHZER.

Obſervationes Meteorologico-Medicæ pro Anno 1730.

JANUARIUS.

COelo per maximam menſis partem nebuloſo, ſed vaporibus multis gravido continuant rheumata, tuſſes, Febres catarrhales, licet circa medium menſis miteſcere

teſcere cœperint. In agro, ubi nec deſiderium eſt auxilii, neque uſus, ſed naturæ totum fere relinquitur negotium, corpora, quia magis ſunt, vel propter veſtitum tenuiorem, expoſita aëris viciſſitudinibus, invaleſcebant paſſim febres inflammatoriæ, peripnevmonicæ, quæ paucos intra dies ſuſtulerunt ê medio homines. In pago *Schwvamendingen*, qui vix ultra 300. complectitur animas, primis 10. Anni diebus obiere 12. utriusque ſexus homines, vegetæ ætatis intra annos viginti & 40. plerique, ſed poſtea ceſſavit vel mitius fuit redditum malum, invaleſcentibus ventis Euro-Borealibus, circa medium menſis præfrigidis. In urbe noſtra paucæ fuere ædes exemptæ, ſed evaſere plerique.

Lucernæ ad finem usque præteriti anni degebant ſani ſatis, neque abierunt ad plures, niſi ſenes quidam hydropici. Sed ager iisdem, quibus noſter vexatus tuſſibus catarrhalibus, quæ integros quoque corripuere pagos. Accuſabant ruſtici fructus arboreos inprimis acidos. Exeunte anno veteri, & intrante novo *Lucernæ* quoque graſſari cœperunt Febres catarrhales, & adeo frequentes, ut octidui ſpatio vix fuerint quinque ex mille immunes. Diaphoretica utramque abſolvere paginam. Mixturæ ex aquis diapnoicis cum Antim. diaph. Terra ſigill ſpec. de Hyacinth. Syr. pap. err. cum Eſſ. anod. aliquando alexipharmaca, pro potu Thea ex flor. pap. errat. in defectu exſcreationis mixturæ ex Ol. Amygd. dulc. Aqu Chæref. Card. bened. Acac. ſacch. cand. vel ſyr. Capill. ven. c. ſpir. Sal. armon. aniſato. Sub finem potiones laxantes mannatæ. Ad cauſas ſi reſpicere lubet, ſciendum, urbem hanc Auſtro non ita propter Pilati montem expoſitam ſero ſenſiſſe illius effectum. Hoc morbo non occubuere niſi vetulæ quædam ſeptuagenariæ, quibus exſcreandi vires deerant. In tota *Lacus IV. civitatum ſylveſtrium* peripheria graſſabatur idem morbus â plerisque depulſus diaphore-

tico iterato ex Rob. Samb. cum Theriaca. Verſus finem menſis degenerabant Febres catarrhales in peripnevmonias.

De morbo hoc epidemico dignæ ſunt, quæ huic narrationi inſerantur litteræ conſultiſſimi *Gabrielis de Seigneux* Senatoris Lauſannenſis:

Huc usque Kal. Januar. perveneram ---- quum negotiis interruptus, mox in totius Europæ morbum incidi. Febre ſimulque capitis & lateris dolore totiusque corporis correptus initio frigore inhorrui, lectum petii, bidui fuit febris, poſtridie eadem pene horâ recurrens. Talia fuere omnium fere iſtorum, quæ contagii ſpeciem habent, rhevmatum præludia, ſi lateris punctionem excipias, quæ non adeo fuit generalis, aliàs tuſſis frequens, pectoris preſſio & dolor, algor quaſi continuus, angor anxietasque, ac in pluribus, uti in pientiſſima matre, fuſura potius humorum, quam alvi adſtrictio, alia & varia quidem σημεῖα in aliis obſervabantur. Hic aliunde ſatis mitis morbus tam perverſus fuit, tamque veloci homines invaſit curſu, ut hic ubi non ultra 6000. numerantur incolæ, 2000. ſimul ægrotantes medio Januario numerantur: Horum fere omnes in lecto jacuerunt, multique hactenus jacent. Ex his plures iteratis vicibus correpti, nullum vel pauciſſimos exceptos crediderim. Nulli pepercisse videtur morbus omnino popularis, publicè in pagis & tota regione graſſans.. Ceter m initio pauci niſi infantum molliores vel ſenes caduci naturæ debitum perſolverunt. ---- Verum deinceps periculoſus omnibus, ac aleæ plenus morbus evaſit, moxque juvenum robuſtiores infirmioribus ſenibus æquiparati. Hi febre plerumque ardenti vel maligna extincti ſunt: Attamen non ut de eodem morbo temporibus Franciſci I. Regis Galliæ graſſante narrabatur, *Divitum optimatumque nulli rapiuntur; magis è contra imminuitur plebs, uti minus curata, magisque*

giſque quibusvis naturæ injuriis obnoxia. Ut vero de damni noſtri proportione judicare liceat, primo ſtatuam ex 6000. incolis ſupra datis trigeſimam circiter quovis anno emigrare apud nos obſervatum. Trigeſima ad 200. aſcendens $16\frac{8}{12}$. uno quoque menſe efficiet. Morbus â 6. vero Januarii hic ſe manifeſtans ad 2. vel 3. Febr. usque 83. vel 84. menſe nondum peracto ſuſtulit, ſicque quintuplo major ſolito fuerit populi noſtri jactura. *Genevæ* minor fuit proportione adſervata. Nam eodem temporis ſpatio 160. duntaxat moriebantur, licet 20. vel ab aliis 25000. cives intra pomerium ejus numerentur. Quoad Morbi ipſius cauſam, inde in noſtro climate, uti ubivis gentium eliciendam exiſtimo, quod toto autumnali tempore crebriores ac continuæ quaſi fuerint pluviæ, deinde quod ſtagnans plus vel minus aqua, ſicque corrupta denſiores produxerit nebulas, multum ſecum mineralium partium ſeu ſalino-nitroſarum ſurſum vehentes. Porro quum huic humidiori tempeſtati ſatis fervidus ſol, quantum licuit, ſucceſſerit, hinc rarefactus terraqueus humor, qui in atmoſphærea fluitavit, nullis intervenientibus aquilonibus, minimè diſpulſus fuit. Talem humorem otio pituitoſum, lentum incoctum ſalitum pulmonibus intromiſſum nondum obturatis frigore meatibus in liquidis omnigenis introductum fuiſſe ſatis conſtat. Sed & lympham impuram ſanguinem craſſum effeciſſe. Fluiditate hyemali tempeſtate jam imminuta de novo adhuc obſtitiſſe: Secretiones ſic impeditas vel tardiores factas, hincque ad heterogenearum partium lubricationem, recurrente frigore, minus exitus & elaſticitatis adfuiſſe. Quo factum eſſe mihi videtur, ut creſcente fermentatione febris ferè in omnibus apparuerit, & ex ſecretionum difficultate tumefactiones, muſculorum diſtentiones, ſpirituum tumultuarius motus, & in debilioribus, vel male ſe habentibus mors.

Indies accedunt ignotæ novæque morborum species veluti cum arte Medicorum ex insidiis bellum gerentes. Erasmus. Hæc ille vir politici Ordinis, dignissimus qui & nostro Medicorum adscribatur.

Barometri altitudo maxima die 21. 27.'' 1.''' minima d. 24. & 28. 26.'' $7\frac{1}{2}$''' differ. 6.'''

Aqua cœlo lapsa. $6\frac{1}{2}$.'''

Limagi incrementa. o. decrementa 11.''

FEBRUARIUS.

Die 15. horam inter 10. & 11. a. m. grave non uni duntaxat ædi, sed toti vicinæ minabatur periculum incendium, quo suprema conflagravit Wolfianæ ædis in pago superiori Tiguri contignatio, feliciter civium magnanimâ & probatissima in hujusmodi occasionibus virtute extinctum: cœlum existebat serenum frigidumque per totam diem, vento spirante NOO. & O. Mercurrii in barometro altitudo fuit horâ meridiana 26.'' 10.''' serâ vesperâ 26.'' $9\frac{1}{2}$''' & hactenus inde â Calendis Januarii non lapsa fuit aqua de cœlo nisi $17\frac{1}{2}$''' Vespera hujusdem diei ante h. 6. p. ad 8. usque & ultra versus 5. insolitum apparuit *Meteorum*, fascia lata rubra, coloris nunc sanguinei, nunc carnei magis, arcus ad instar se se protendens ab Horizonte ortivo ad occiduum intensioris semper coloris ad O. dilutioris in summitate arcus, & ab initio compositionis versus N. observabatur, ex altioribus cumprimis locis insolitus flavi coloris fulgor, per integrum sese diffundens Horizontem, tantus, ut qui milliari abhinc distant ad lacum Tigurinum distinctè conspicere potuerint urbis nostræ ædes. Hora I. post μεσονύκτιον ex turribus nostris versus septentrionalem plagam conspecta aurora borealis, fulgoris specie omnem Horizontem collustrantis & veluti ad Urbem radios suos scintillantes protendentis.

Phæ-

Phænomenon idem visum in ora utriusque *Lacus Tigurini*, *Toggio*, *Baronatu Alto-Saxensi.* Incendii fuit nata suspicio, & in omnem eventum emissi urbe, qui extinguendis incendiis destinati sunt, cursores. Dubium haud est, quin hoc ipsum phænomenon aliis temporibus fuerit visum, & nomine *Cœli ardentis*, *sanguinei chasmatis* descriptum, atque in annales, sed sæpe ab inexpertis observatoribus, relatum.

Congruit omnino cœlum igneum, quod d. 20. Jan. 1554. visum fuit h. 5. p. cum arcu iridi simili ab ortu ad occasum protenso. Ex MSc. Abatis Cell.

Anno 1580. d. 10. Sept. h. 8. p. comparuit in cœlo insolitus fulgor cum igneo rubore, quod Meteoron multis Tigurinis & Glaronensibus præjudicium formavit incendii. Haller Chron. MSC. L. XLI. c. 5.

Anno 1582. d. 6. Cal. 7.) Mart. h. 7. p. fuit cœlum versus montem Tigurinum sanguinei coloris: Motum post Meteorum hocce Badam versus, ubi visum h. 8.

Anno 1599. d. 29. Jul. h. 9. p. videbatur versus ortum fulgor igneus, qui tendebat ad occasum. Duravit versus ortum usque ad auroram. MSC. Abbatis.

Anno 1602. d. 10. Jun. Tiguri circa meridiem chasma insolitum igneum visum & per integram horam in meridionali plaga cœli, quod subinde coloribus varium se exhibuit, interdum Iridis speciem referebat, mox flavescere, vel etiam albescere cœpit: nonnunquam instar fornacis ardentissimæ rubescebat, tandemque evanuit. Svicer. Chron. Helv. 125.

Anno 1705. d. 19. Apr. inter horam 10, & 11. p. visa Tiguri claritas insignis totius Atmosphæræ, qua late patuit Horizon per quadrantem horæ, redeuntibus postea tenebris. Conjectabant multi esse alicubi incendium.

Anno 1710. d. 22. Febr. Phænomenon auroræ boreali ſimile rubrum viſum fuit verſus meridiem in Luſatia veſperi. Kanold. Bresl. Samlung. XV. Verſuch p. 288.

De hoc nunc phænomeno, adeo tenui, ut fixæ ſtellæ diſtincte per medium ruborem conſpici potuerint & digitis numerari, variæ mox circumlatæ ſpectatorum opiniones: Aſpexere multi pro prodigio omnineque in fauſto, metum auxerat terror adhuc ex incendio meridiano hominum mentibus impreſſus: Saniores agricolæ, qui futurum acerbum frigus prognoſticabantur. Sane acutum frigus auroræ borealis eſſe ſequelam docent iteratæ obſervationes. Legantur *Kanold.* ſupra citata *Miſcellanea Uratislav Specim.* XV. p. 284. 285. 289. 295. 300. 393. *Supplem.* P. II. p. 58. 62. Phænomenon ipſum qnod attinet, tantam id habet cum auroræ boreali affinitatem, ut ſi verſus ſeptentrionalem plagam fuiſſet conſpectum, non haberemus dubitandi anſam, quin fuerit lumen illud ipſum, quod *Auroræ borealis* nomine venit; adeo tenue eſt & hoc, ut ſtellæ per medium id conſpici queant: rubri ſæpe coloris vel ſanguinei: Circa novilunium ut plurimum conſpicuum, ſicuti & hoc noſtrum compaurit biduo ante novam lunam: accedit figura arcuata. Nihilominus & hoc noſtrum ad auroram borealem, quæ eodem cum illo tempore, licet fulgoris duntaxat ſpecie apud nos, altiori loco ſitos, comparuit, fulgida inprimis poſt μεσονύκτιον, referri debet, ſi non ut mater, certe ut filia. Meteoron certo ad emphatica referendum, quilibet enim noſtrum, quod ex hiſtoria halonum & iridum conſtat, vidit ſibi proprium, inferioris pagi in urbe noſtra incolæ, *in Niderdorff*, videbant in urbis Zenith, ſuperioris pagi homines, *in Oberdorff*, quibus & me adnumero, conſpiciebant Phænomenon meridionalibus urbis foſſis & vallis ſuper extenſum, *Zollinonenſes* videbant idem in Zenith *Kuſnaci*, *Kuſnacenſes* in Zenith *Herrlibergæ*, & ſic porro. Imo haud

aptiori

aptiori vocabulo exprimas meteorum hocce, quam *Iridis Auroræ Borealis*, tanto autem est rarius, quod in tot editis hactenus de aurora boreali scriptis nuspiam occurrat. Consistit ita spectatorum quilibet in centro arcus, vidit, quod jam adnotatum, quilibet propriam iridem, aliam alius, ut si unusvidere potuisset omnes, cœlum integrum qua latè patet vidisset rubeum vel flammeum. Atmosphæram nostram fuisse vaporibus, id est, bullis sive vesiculis gravidam, conjici inde potest, quod inde ab auspiciis anni ad hunc apparitionis diem non fuerint lapsæ de cœlo nisi $17\frac{1}{2}$ Lineæ (Parisienses) aquæ. Unde omnino statuere licet, radios ab ipso lumine boreali in atmosphæram nostram gravidam & bullulis refertam incidentes, & in singulis refractos, unicamque reflexionem passos repræsentasse hoc, de quo nunc phænomenon, quod alios vix poterat colores sistere quam rubrum, qui constat ex radiis minime refrangibilibus, qui etiam primus seu supremus est in iridie primaria, ad inferiores primariæ ordines vix dabatur radiis vel accessus, vel etiam ad oculos nostros reflexio. Et de secundaria iride rarissima quoque in lunari ne cogitandum quidem est. Observavimus in summitate arcus ruborem semper minorem, sæpeque prorsus evanidum ex rationibus in Iridis ordinariæ historia obviis. Imam cumprimis atmosphæræ regionem occuparunt vapores, qui sese exonerare cœperunt die 17. ipsius novilunii. Affinitatem habet meteorum hocce cum crepusculo ratione coloris & fulgoris ut etiam *Auroræ borealis Crepusculum* nuncupari mereatur. Id saltem intercedit discriminis, quod in crepusculis sint nubes inter solem & oculum interjectæ, heic oculus auroram inter borealem & nubes: Retulit ex Rusticis *Suamentingentibus*, se vidisse ante hoc phænomenon, quam se se diffuderat per horizontem, in plaga orientali, forma orbis seu globi rotundi fulgidi.

Visum

Visum hoc Phænomenon in toto fere *Cantone Bernensi Lucernensi*, ubi latitudo observata 10.° vel 12.°

Alto steterat adhuc loco Mercurius postero die 16. nempe 26.'' 10½.''' inde autem ad 20. usque cœlo miti satis descenderat ad 26.'' ½.''' Nondum tunc effusa atmosphæra lunæ ipsius facies conspiciebatur rubicunda. d. 22. & 23. lapsa nix cœlo inconstanti, ventis ex occidentali plaga spirantibus. 4.''' Ab illo tempore ad 3. Martii usque cœlum fuit inconstans ventosum, ventis ex Austro-Occidentali plaga spirantibus. Exonerata subinde atmosphæra: Die 28. Febr. lapsæ 7.''' d. 1. Mart. 4.''' d. 2. & 3. 6½.''' d. 4. 5. 6. 0½.''' unde constat, fuisse illam gravidam ad modum bullulis ad pluviæ effusionem pronis.

In Ætiologia supra exposita id crucem figere videtur, quod ruber duntaxat apparuerit in iride color, non alii θαυμαντιάδος socii. Sed notandum, esse colores omnes alios iridis inferiores ordine, & debiliores, vix conspicuos, nisi collucente sole, ut videmus, iridem lunarem esse albidam magis qoam coloratam.

Curiâ Rhætorum sequentia ad me per scripsit Cl. D. *Walthies* sub 17. Febr. Meteorum rubens & hic observatum incepit sese manifestare hora circiter quinta, majus autem incrementum sumsit duravitque usque ad dimidiam noctis & paulo ultra. Versus orientem, occidentem & meridiem maxime observabatur. Omnibus in Rhætia nostra fuit persuasum, incendium alicubi esse. Nobis apparebat, ac si *in valle Scanficciensi* incendinm foret, mox ac si in *valle domestica.* Versus septentrionem nil nisi clarus, lucidus sine rubore se se oculis nostris sistebat fulgor *Rhetigoviani* putabant, in dominio *Majavillano* esse incendium, & hi ultimi vicissim, ita ut ex una valle in aliam concurrerint homines. In ipsa *Rhetigovia* siti inferiores prope aquam credebant in superioribus pagis incendium esse ortum, & pagi *Griisch*

Griisch & circumvicini incolæ jurabant, esse in pagis *Seevviss* ac vice versa. Ex plurium relatione mihi constat, eadem vespera & nocte calorem magnum in altissimis montium pagis observatum fuisse, ut tectis stillarit resoluta aqua. Nos autem profundius siti frigus sat magnum sensimus, ut ne granum nivis liquefactum fuerit.

Eandem in multis & dissitis locis fuisse aëris constitutionem patet tum ex relatis hactenus tum ex novellis, quæ certissimos nos reddunt, fuisse idem & *Romæ* conspectum, arcu, super D. Petri ecclesiam extenso, quod haud dubie in civium animos tanto majorem causabatur impressionem, quia supremus ecclesiæ Pontifex paucis horis post vita excessit. Videtur & hoc phænomenon se se protendisse per totam *Sabaudiam*, quandoquidem visum fuit etiam *Nicææ*, eadem quâ apud nos hora, eodemque modo, prognosticantibus superstitiosulis belli Italici certitudinem.

Augustissimum si ullibi fuit hujus meteori theatrum, fuit id in *S. Gotthardi* jugis, unde sequentia ad me perscripsit Rev. *Josephus de Sessa* Capucinorum dicti montis superior sub 15. Mart. Anche in S. Gothardo el in tutt' il paese di Leventina, nel stato di Milano, se ireduto il phenomeno di color rosso, come fiamma di fuoco, eccetto che verso le montagne di Savoja detto phenomeno era mischiato di color terreo, con non poco spavento, di chi l'osservo, mentre sembrava, che le montagne di S. Gothardo fossero in un'ardente fiamma: questo e quanto le posso dire, intorno al phenomeno, avendolo ben' osservato, minuta mente cum perspective.

Hæc hactenus de Iride Auroræ Borealis.

Recidivant passim apud nos febres catarrhales epidemicæ, arthritici insultus, rhevmatismi artuum sporadicæ, pleuripnevmoniæ, quæ fortissimos tumulo inferunt, superantur facilius â valetudinariis. Observantur & Tertianæ

& Quartanæ. Continuat & epidemica febris in Rhætia, in qua regione tota ex 100. vix 3. ab ea exiſtebant liberi, morbilli ibidem graſſantur, & benigni, qui ut plurimum incipiunt â larga hæmorrhagia narium. Variolæ quoque benignæ. Ab illa febri epidemica ſeniores nonnulli expirarunt brevi, infantes paſſim repentine ſuffocati, ſine prævia manifeſta cauſa vel morbo.

In *lacu Tugino* die unico 22. Febr. capta fuere Cyprianorum centenaria centum. Phænomenon ex inauditis.

Quodſi attendamus ad barometri notabilem lapſum â 7. die ad 10. inde â 26.'' 9.''' ad 26.'' 1½.''' iterumque inde â 16. die (primo poſt Meteoron viſum) ad 21. â 26.'' 10½.''' ad 26.'' ½.''' perſuadebimus nobis facile, non potuiſſe non præcipites adeo in aſcenſu & deſcenſu mutationes noxas inferre corporibus jam ante per præteritorum menſium decurſum debilitatis.

Barometri altitudo maxima d. 16. 26.'' 10½.''' minima d. 21. 26.'' ½.''' differentia 10.'''

Pluviæ quantitas lapſa. 2.''

Limagi incrementum 1.'' decrementum. 2.''

MARTIUS.

NOvas cauſſabatur prædeſcripta Atmoſphæræ variatio in corporibus hominum turbas. Graſſabantur magno numero in infantili ætate morbilli, quos ſuperatos ſæpe ſecutæ ſunt febres, multis fatales, inter adultos febres tum catarrhales, tum intermittentes, ſpeciatim Tertianæ, ſed mitis indolis, quæ ſi anticipando vertebantur in quotidianas, ceſſabant ſponte vel profligatæ facile fuerunt diapnoicis & antipyreticis.

Barometri altitudo Summa d. 21. 26.'' 8½.''' ima d. 9. 25'' 10½.''' diff. 10.

Aqua

Aqua coelo lapſa. 5.'' 1½.''' quarta circiter pars ejus, quæ Pariſiis, cadit per decurſum anni.

Limagi incrementa. 5.' 7.'' decrementa 2.' 80.''

APRILIS.

FRequentes tertianæ, ſed mites brevi ſanatæ.

D. 28. h. 4. a. m. *Baſilea* forti ſatis terræ motu concuſſa.

Barometri altitudo ſumma d. 10. 26.'' 9½.''' ima d. 2. 26.'' 1½.''' diff. 8.

Aqua cœlo lapſa. 2.'' 11½.'''.

Limagi incrementa. 7.'' decrementa. 14.'''.

MAJUS.

OBſervatæ paſſim Febres exanthematicæ miliares.

Die 13. ſub veſperam prope pagum *Opfikon* ditionis Tigurinæ feriit fulmen quercum 7. pedum circiter in peripheria, reſcidit dejecitque cacumen, hinc per medullam trunci deſcendit ad radices, truncum diffidit per medium, & totum decorticavit, disjectis ramorum fragminibus ad 40. paſſuum ab arbore diſtantiam.

Barometri altitudo ſumma d. 1. 26.'' 9.''' ima d. 29. 25.'' 11½.''' diff. 9½.'''.

Aqua cœlo lapſa. 1'' 6¾.'''

Limagi incrementa. 3.' 2½.'' decrementa 2.' 2.''

JUNIUS.

D. 14. h. 6. p. Tempeſtas ingens in *Novo Johannis pago Toggici* comitatus, ubi fulmine ſuffocati 2. viri, duo alii graviter læſi.

D. 5. h. 10½. p. ex specula turris Carolinæ visæ auroræ borealis pyramides 6. vel 7. nunc comparentes, nunc disparentes. Cœlum rubens, post serenum, clauserat scenam.

Barometri altitudo summa d. 5. 26.'' 7.''' ima d. 17. & 26. 26.'' 1.'' diff. 6.

Aqua cœlo lapsa 6.'' 8.'''

Limagi incrementa 2.' 1.'' decrementa 1.'' 2''. Humida adeo mensis constitutio fatalis fuit vineis florentibus, tenerioribus inprimis uvis, quas Tigurinas, *Zürichtrauben*, vocamus. Obsetvavimus passim febres intermittentes.

JULIUS.

DIe 4. sub vesperam cœlo præcalido nubibus obductum cœlum, effusi passim imbres densi, lapsa grando, quæ maxima intulit damna pagis *Rümlang*, *Glattfelden*, item in *Agro Bernensi*, *Toggio*, *Lucernæ*, ubi lapsa grando 9. drachmarum, maximo fenestris & frugibus damno. Forma quadantenus referebat cancrorum lapides, centro niveo præduro, & harum aliquando quinque vel sex concretæ in unam massam. Feriit hæc 20. ditionis Lucernensis pagos. Ad *Lacum Tigurinum* feriit fulmen turrim & templum Tallwvilæ.

Die 5. inter h. 4. & 5. a. *Badæ* per amphoras inter continua fere tonitrua, cœlo fulgurante, effusæ aquæ. Post horam 6. in pago *Nidervvyl* fulmine læsa mulier graviter, inde â mento usque ad pudenda, cute ipsa lacerata, illæsâ quæ adstiterat ancillâ.

Alio fulmine icta Juglans *in der Auro* haud procul ab arce Præfecti, ad Limagi ripam, discerpta & ramus ex majoribus ad 100. passuum distantiam ab arbore projectus, alius in ipsum Limagi alveum.

Eodem

Eodem tempore ferit fulmen *Eglisovium*, quod graphice delineat Rev. loci paſtor *Haugius*, Litter. ſub Jul. ad me datis.

Non dubito, quin ad aures tuas pervenerit triſte fatum, quod arva noſtra & vineas afflixit, nosque fulmine longe terribiliſſimo terruit. Quum autem fama plerumque nuntia, uti nuntia veri, ſic etiam falſi tenax, & fere in majus omnia evehat, quovis ita uti animus ejus vel timidus & querulus, vel conſtans & malorum patiens eſt, referente, operæ pretium eſſe duxi te de valida manu Dei, qui brachium ſuum minitans nobis oſtendere, in media vero ira miſericordiæ ſuæ documenta exſtare voluit, curatius edocere. Fuerat ſiquidem dies Martis 4. Jul. qua nebulæ illæ exiliores & fumi ſimiles, quas noſtri *Streichnebel* vocant, & quas Hannibal jam olim tempeſtatum acerrimarum prænuntias æſtimavit, montium vicinorum latera & cacumina circumlambere viſæ, veſperaſcente die prævio æſtu calentiſſimo conglomerari nubes, magno miſceri murmure cœlum, tonitrua fulminaque emicare, nimbi denſiſſimi inſequi, verum quæ Dei erga nos bonitas fuerat, omne hoc impune detonare, una hac pro vicinis noſtris ærumna nobis relicta, murmur illud confragoſum & cœli mugitum grandinis graviſſimæ ſive indicium ſive effectum, ubi ubi fuerit maximo cum damno decaſurum, ſed tempus docuit Deum ſævam hanc grandinem in arva hoc anno quieſcentia miſiſſe, magnamque ejus partem Querceetum, quod *Bulacum* & nos interjacet, feriiſſe. Nos interim atra, fulminibus diſtincta, tonitrubus horrida nobis incubuit, quæ præeunte tonitru validiſſimo, quo contremuere ardua terrarum & campi, ruente æthere toto turbido imbre finiit, diei que locum ceſſit; hæc circa horam ſecundo, tertiam matutinam acta. Sed hora quinta ſexta, nox poſtliminio

 redire,

redire, intonare, poli, effusis imbribus tempestas atra sine more furere, crebris ignibus æther micare, una ruente noto zephyroque, commista grandine nimbus succedere, vineis frugibusque mortem intentare, adeo ut de messe & vindemia omnes desperaremus, supplices ad cœlum palmas tolleremus, ut Deo placeret tonitrui Dei & grandinis validum suum *sufficit* ingeminare. Quo facto comperimus, Deum pro immensa sua misericordia præter spem nostram non contemnendam benedictionem nobis reliquisse, magna quidem vinearum pars, inprimis quæ grandinem ante tres hebdomadas lapsam perpessæ fuerant, infando cum vinitorum præcipue pauperiorum, & ære alieno tantum non oppressorum dolore, foliis disruptis, uvis dejectis, palmitibus per vim grandinis ad medullam usque læsis miserabilis stragis speciem præ se ferunt. Cannabis quæ largissimo incremento spem largam excitaverat, omnino deleta. Ita & triticum cum siligine magnam calamitatem passum. Sed verò vinearum aliæ vel leviter tactæ, vel tantum non illæsæ vindemiæ uberis adhuc spem injiciunt, & siligo, quam nunc nostri demetiuntur, diffractis licet culmis nihilominus & numero & pondere sub præstantibus manipulis agricolæ manum explet. De tritico inprimis, ubi calami validiores erant, & propter glebam pinguiorem spissius creverant, spem concipimus. Deo quæ restant custodiente, graviores de defectu querelas non fere movendas. Unici *Tössriediani*, & qui ipsis innexi, jacturam tritici maximam passi, ita ut non constet, quo pacto misel li & opibus plerumque destituti annonam comparare queant. Et hæc de grandine. Ceterum quæ de fulmine referunt, miraculi divini speciem habent: Scilicet viderunt nostri una cum tonitru penetrantissimo, & quod sonitum displosi majoris tormenti superarat, ædesque omnes concusserat,

rat, ignem ſatis diffuſum cœlitus ſuper turrim vigiliis deſtinatam, quæ portæ oppidi ſuperædificata eſt, dependere. Ignis ille vigili per feneſtram ſpectanti ſuper caput in hypocauſtum penetrans, vagari viſus, cunasque infantuli ejus circumdare, ita ut jam de ejiciendis cum infante cunis cogitaret: Sed ille cum uxore & infante fugam capeſſens evadebat cum ſuis innoxius, neque quicquam ab igne illo læſum, excepto ferreo illo vinculo, quo malleus horæ numerum pulſu campanæ indicans trahitur, quod cum nullibi reperiatur, ab igne hoc liquefactum putatur. Alter vigilum, qui noctem inſomnem traduxerat, horas proclamando in imo ædium habitans ac dormitans fragore tonitru expergefactus, etiam lectum ſuum circumdare, cubile vapore fumoque replere animadvertit, & ſolus fumo tantum non enecatus, vix tandem ad ſe rediit etiam illæſus. Quatuor perſonæ ſub janua ædium turri proximarum tutelam quærebant. Illarum duæ vi fulminis retro collapſæ pro mortuis reputatæ. Tertia vix reſpirare valens, ex ædibus proſiliens id unum agitabat, ut obſervaret, quo loco flammæ ſint erupturæ: quarta de magno ardore brachiorum, quorum crines igne hoc conſumtæ erant, quiritavit: Omnibus tandem ſalvis & incolumibus. In ædibus ipſis utrumque hypocauſtorum, ſuperius & inferius, igne repletum, qui ſtellæ ad inſtar circumiens extinctus fuliginis copiam quandam in menſis ſcamnisque reliquit, cujus reliquias manibus etiam meis & oculis uſurpavi. Alia hujus ignis particula, ex alto in aream, quæ ante ædem ſcholaſticam patet, ſenſim decidua (fruſti lini ſulphurati, quo vietores in commodum doliorum uti ſveverunt ſimilis) ardebat adhucdum deſidens in ſolo, ſed largiſſimi nimbi vi mox extincta. Ita & fulmen hoc impune tranſit, Deusque minatus tantum non executus pœnas, quas nimium ſumus meriti &c. Hæc Doctiſſimus Haugius Diaconus nunc Tigurinus.

In

In agro *Lucernensi* & *subsylvano* grassabantur variolæ, cum petechiis, Febres item petechiales (speciatim in Kerns) quibus obiere multi, non tam morbi violentiâ, quam curatione sinistra.

D. 28. observata passim pruina ad montium altiorum medietates lapsa nix, visum sub initium noctis h. 9. p. *Lucernæ* phænomenon singulare, versus meridiem nempe arcus duo alti instar Galaxiæ, inferior durabat per horam, qua finita obductus fuit â nubibus; circa meridiem hujusdem diei frigidi cadebat nix ad usque fere radices montium.

Barometri altitudo summa d. 16. 26.'' 7.''' ima d. 4. 26'' $\frac{1}{2}$.''' diff. 6$\frac{1}{2}$.

Aqua cœlo lapsa. 5.'' 8$\frac{1}{2}$.'''

Limagi incrementa 18.'' decrementa 25.''

AUGUSTUS.

Die 3. inde â radice *Gotthardi* montis pagoque *Airolo* per totam *vallem Lepontinam* & ultra ad Ducatus Mediolanensis confinia, vehementi motu concussa tellus, quo *Bellinzonæ* sonuere campanæ, *Canobii* prostrata contignatio tecti.

Die 6. in agro *Glaronensi* & *Provincia ad Fines* Tempestas grandinosa h. 2. & 3. p. inundationes graves, unde ingens damnum passa *Biltena* inprimis inferior, *Nider Bilten* ex torrente, ablatum molendinum, suffocatæ aliquot personæ, cellæ subterraneæ aquis & glareâ repletæ, saxa ingentia per pagum disjecta; ablatus pons, *diet Sibnerbruk in der March*.

Barometri altitudo summa d. 1. 26.'' 6$\frac{1}{2}$. ima d. 5. 11. 13. 18. 28. 26.'' 2.''' diff. 4$\frac{1}{2}$.'''

Aqua cœlo lapsa 36$\frac{3}{4}$.''' = 3.'' $\frac{3}{4}$.'''

Limagi incrementa 11$\frac{1}{2}$.'' decrementa 22$\frac{1}{2}$.''

SEP

SEPTEMBER.

D. 9. h. 3. a. vidit Frater Johannes *Bada* luminis borealis expirantis finem.

Barometri altitudo ſumma d. 23. 26.// 9./// ima d. 19. 20. 23. 26.// 1½./// differ. 7½.///

Aqua cœlo lapſa 14½ = 1.// 2½.///

Limagi incrementa 3.// decrementa 2½.//

OCTOBER.

Die 8. h. 12½. a. ex noſtris ſpeculis viſa ſuper medium urbis rubedo intenſa, qualis eſt carbonis ardentis, figuræ rhomboidalis, à qua deſcenderat utrinque faſcia lata, virgis illis ſimilis, quas ſol dicitur extrahere aquis, retro quam ſurgere videbantur fulgurantes ſtriæ, terminavit ſeſe phænomenon hocce, poſt horam I. in tractum longum verſus occaſum. Viſum hoc phænomenon paſſim quoque in agro pro incendii diagnoſtico habitum. Lumen videtur fuiſſe boreale. Die 12. ſecutum Novilunium, quo die h. I. a. iterum obſervabatur fulgor verſus N. W. albicans, cœlo ſtellifero, ſecuta mox nebula denſa. Illud diei 8. longe lateque viſum, etiam in Toggio.

Die 9. h. 9½. p. ſenſit *Baſilea* terræ motum levem.

Die 16. cœpit Vindemia.

Notatu dignum, quod die 12. & ſeqq. imam regionem aëris perſpiraverint Euri & Boreales venti, lapſa nive, quum in editioribus jugis, e. g. Regio monte, *Rigi*, cœlum fuerit calidius, nive nulla manente, flante ibi Auſtro, qui tandem vincens colonos liberavit metu.

Barometri altitudo ſumma d. 1. 26.// 9./// ima d. 16. 17. 26.// 2./// differ. 7.///

Aqua cœlo lapſa 39½./// = 3.// 3½.///

NOVEMBER.

Die 3. h secundo-tertia a. vidi auroram borealem, cœlo versus meridiem claro, versus septentrionem aliquantum nebuloso: Visa hæc rubens insigniter primum in ortu, hinc se se protendebat sensim ad occasum, indeque redibat versus ortum: Visa quoque pyramidum vestigia; stellæ eodem tempore cadentes, proxime ad ædes meas.

Barometri altitudo summa d. 22. 24. 26.″ $10\frac{1}{2}$.‴ ima d. 9. 26″ 1.‴ diff. $8\frac{1}{2}$.

Aqua cœlo lapsa $31\frac{1}{4}$.‴ = 2.″ $7\frac{1}{4}$.‴

Limagi incrementa 20.″ decrementa 24.″

DECEMBER.

Barometri altitudo summa d. 18. 27.″ 1.‴ ima d. 9. 26.″ 2.‴ differ. 11.‴

Aqua cœlo lapsa $30\frac{3}{4}$. = 2.″ $6\frac{3}{4}$.‴

Limagi incrementa 1.′ $\frac{1}{2}$.″ decrementa 1.′ $11\frac{3}{4}$.″

Summa totius Anni

Barometri altitudines	Summæ.		imæ.		differentiæ.
Januarius	27.	$1\frac{1}{2}$.‴	26.″	$7\frac{1}{2}$.‴	6.
Februarius	26.	$10\frac{1}{2}$.	26.	$\frac{1}{2}$.	10.
Martius	26.	$8\frac{1}{2}$.	25.	$10\frac{1}{2}$.	10.
Aprilis	26.	$9\frac{1}{2}$.	26.	$1\frac{1}{2}$.	8.
Majus	26.	9.	25.	$11\frac{1}{2}$.	$9\frac{1}{2}$.
Junius	26.	7.	26.	1.	6.
Julius	26.	7.	26.	$\frac{1}{2}$.	$6\frac{1}{2}$.
Augustus	26.	$6\frac{1}{2}$.	26.	2.	$4\frac{1}{2}$.

September

September	--- 26.	9.	--- 26.	$1\frac{1}{2}$.	---	$7\frac{1}{2}$.
October	--- 26.	9.	--- 26.	2.	---	7.
November	--- 26.	$10\frac{1}{2}$.	--- 26.	2.	---	$8\frac{1}{2}$.
December	--- 27.	1.	--- 26.	2.	---	11.

Aqua cœlo lapsa.

Januario	0.''	$6\frac{1}{2}$.'''	Julio	5.''	$8\frac{1}{2}$.'''
Februario	2.	0	Augusto	8.	$\frac{3}{4}$.
Martio	5.	$1\frac{1}{2}$.	Septembri	1.	$2\frac{1}{2}$.
Aprili	2.	$11\frac{1}{2}$.	Octobri	3.	$3\frac{1}{2}$.
Majo	1.	$6\frac{3}{4}$.	Novembri	2.	$7\frac{1}{4}$.
Junio	6.	8.	Decembri	2.	$6\frac{3}{4}$.
	18.	$10\frac{1}{4}$.		18.	$5\frac{1}{4}$.

Summa totalis. 37.'' $3\frac{1}{2}$.'''

	Limagi incrementa.			Decrementa.	
Januar.	1.'	0.''	---		11.''
Februar.		1.	---		2.
Mart.	5.	7.	---	2.	8.
April.		7.	---	1.	2.
Maj.	3	$2\frac{1}{2}$.	---	2.	2.
Jun.	2.	1.	---	1.	2.
Jul.	1.	6.	---	2.	1.
August.		$11\frac{1}{2}$.	---	1.	$10\frac{1}{2}$.
Septembr.		3.	---	1.	$9\frac{1}{2}$.
Octob.	1.	11.	---	1.	1.
Novembr.	1.	8.	---	2.	0.
Decemb.	1.	$\frac{1}{2}$.	---	1.	$11\frac{3}{4}$.
	18.	$10\frac{1}{2}$.		16.	$9\frac{3}{4}$.

Inter Tigurum & Gothardum sunt differentiæ Mercurii inde â 16. Mart. 1729. usque ad finem Junii sequentes,

4.''	4.'''	quater
4.	$4\frac{1}{2}$.	bis.
4.	5.	semel
4.	$5\frac{1}{2}$.	quater
4.	6.	5.es
4.	$6\frac{1}{2}$	8. es
4.	7.	quater
4.	$7\frac{1}{2}$.	10. es
4.	8.	6. es
4.	$8\frac{1}{2}$.	8. es
4.	9.	11. es
4.	$9\frac{1}{2}$	6. es
4.	10.	16. es
4.	$10\frac{1}{2}$.	12. es
4.	11.	15. es
4.	$11\frac{1}{2}$.	19. es
5.	0.	21. es
5.	$\frac{1}{2}$.	12. es
5.	1.	12. es
5.	$1\frac{1}{2}$.	8. es
5.	2.	5. es
5.	$2\frac{1}{2}$.	ter.
5.	3.	quater.

Altitudo maxima d. 19. Mart. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 28. Jun. - - - - - - 21.''. 10.'''
Altitudo maxima d. 24. Mart. - - 21. 1.

- Differentia. 9.

A. 1, Julii ad 20. Novemb. differentia altitudinum.

4.''	4.'''	quater.
4.	$4\frac{1}{2}$.	8. ies
4.	5.	8. ies

4. $5\frac{1}{2}$.

4.	5½.	10. ies
4.	6.	25. ies
4.	6½.	22. ies
4.	7.	23. ies
4.	7^{1}.	24. ies
4.	8.	20. es
4.	8½.	15. es
4.	9.	20. es
4.	9½.	17. es
4.	10.	20. es
4.	10½.	16. es
4.	11.	7. es
4.	11½.	5. es
5.	0.	14. es
5.	½.	8. es
5.	1.	9. es
5.	1½.	quater.
5.	2.	6. es
5.	2½.	0.
5.	3.	semel.
5.	3½.	semel.

In prædicto intervallo temporis.

Altitudo maxima d. 15. Jul. 25. 26. Sept. 28. 29. Octob.			
- - - -	-	21.''.	10.''
Altitudo maxima d. 21. 27. Aug.	-	21.	3.
	Differentia.		7.

Superiori Anno 1728. quod meminisse juvabit, invenimus differentiam inter Tigurum & Gothardum 4.'' 11½.''' item 4.'' 11.''' nunc inter 16. Mart. & finem Junii prodeunt, si pluralitatem vicium numeres 5.'' 0.''' quandoquidem hæc 21.es occurrit. Ast inde a 1. Jul. ad 22. Novemb. si medium quæras inter extrema obtinebimus 4.'' 9½. si ad plu-

ralitatem vicium attendas ſeligere oporteret 4.'' 6.''' utpote quæ 25.es occurrit, ſumi poteſt 4.'' 10.''' ut pote quæ & pluralitate vicium & medietate loci inter bina extrema ſeſe commendat.

Obſervari meretur, quod menſe Junio cœlo præcalido alto ſteterit loco Mercurius in Gothardo reſpectu Tiguri: Unde patet caloris intenſior gradus in vallibus & planitiebus, quam in montibus â ventis perflatilibus. Et eſt hoc ſingulare Dei beneficium tum erga alpicolas, tum erga vallicolas. Illi ſi aëre fruerentur montano ſimul & calido, ſpirarent adeo tenuem, qui alendæ flammæ vitali vix ſufficeret. Hi ſi ê contra frigidum illum montanum haurirent experirentur frugum deficientem maturationem. Imo videtur aër ipſe vallibus incumbens rarefactus, aſſurgens per reflexionem veluti quandam adjuvare montani illius & frigidioris preſſionem, & hoc ipſo altius evehere Mercurium.



DIS-

DISQUISITIO PHYSICO-MEDICA

DE

THERMIS SILESIORUM HIRSBERGENSIBUS,

AUTORE

D. CASPARE GOTTLIEB LINDNER,
LIGNICENSI, n. t. MED. PRACT. HIRSCHBERGENSI.

ILLUSTRISIMÆ ET UBIQUE GENTIUM CELEBERRIMÆ
ACADEMIÆ IMPERIALIS LEOPOLDINO-CAROLINÆ NATURÆ CURIOSORUM

PERILLUSTRI, MAGNIFICIS, EXCELLENTISSIMIS EXPERIENTISSIMIS CLARISSIMISQUE

DOMINIS

DN. PRÆSIDI, DIRECTORI, ADJUNCTIS atque COLLEGIS,

VIRIS HONORUM, MERITORUM, FAMÆ FACTORUMQUE GRAVITATE PER ORBEM SPECTATISSIMIS,

SEQUENTEM

DISQUISITIONEM PHYSICO - MEDICAM

DE

THERMIS SILESIORUM HIRSCHBERGENSIBUS

DEBITA, QUA PAR EST, OBSERVANTIA

D. D. D.

AUTOR.



A. A.

PROEMIUM.

PArturiunt innumeræ orbis terrarum cryptæ ex ſtupendo conceptu, continua quaſi ingravidatione tumidæ, ſtimulo, niſi, nixu nunquam non perenni, tam ubertim ſuos fœtus, tamque multiplici & numeroſo edunt partu, ut Naturam toto die ſuperfœtari, nec inepte, nec inique dixeris. Perſcrutare enim animo intimiora antra & penetralia telluris, tota quanta portant onus gremio. Diſcerne viſu margines, ſeu cortices terræ, ubique ſolvunt ſua pignora luci. Hem! terram, matrem maxime polytokam! Inter tot continuos nixus & enixus, nec abortivum, nec hydatiformem, nec ſecundinum, nec ſerotinum, nec ſuppoſititium, nec penitus monſtroſum arbitrare partum, ope cujus tot & tanti ubique prodeunt fontes, qui lympham ſuam; vel ſpumidam dulci murmure ebulliunt; vel ſonoram ſuſurro ſtrepitu eructant; vel garrulam per jugera montium præcipitant; vel tacitam per molle gramen fundunt. Perfectiſſimi ſunt hi fœtus, maturiſſimæ mo-

lis, optimæ ſpei, plurimique uſus, omnes omnipotentiſſimum indigitantes *Agens*, hujusque ſummam providentiam, admirandam ſapientiam & immenſam manifeſtantes benignitatem.

Non fontes innuo, qui aquam ſcaturiunt nimis crudam, duram, acerbam, aſperam, nivealem, glacialem, tophaceam, calcaream, lapideſcentem, conſtringentem, limoſam, paluſtrem, ſqualidam, deſidem, ſtagnantem, fœtidam, variaque virulentia, qua ſubterranei tractus hinc inde referti ſunt, inquinatam. Hos volo, qui laticem fundunt, vel prorſus ſimplicem, homogeneum, levem, ſpirituoſum, limpidum, perſpicuum, inſipidum, quem vulgo vocant dulcem; vel heterogeneum, odorum, ſapidum, alienis viribus imbutum, mineralique imprimis virtute maritatum.

Hi communi hodie inſigniuntur titulo, unoque verbo audiunt *Fontes Soterii.* Certe æquali jure: Sive enim velis vitam agere & protrahere incolumem; ſive velis morbos imminentes avertere & præſcindere; ſive velis præſentes averruncare; ſuppetias ferunt, ſimplici aut connubia virtute, utrique ſalutares, verè *ſoterias*, modo debite adhibiti. Excitantur merito Regiones, in quas hi perenni, largo & multiplici flumine, & prodigis quaſi alveis derivantur, cur maximè de ſe glorientur. Excitantur, cur de his inquilinis propriis exſultim lætentur. Excitantur, cur prærogativam affectent, hancce per orbem pleno, ut ajunt, gutture ebuccinent. Nec hinc *Sileſia* ſilet; catholica alias divinæ beneficentiæ & naturalis benevolentiæ fœcundiſſima matrix Nec blandior, nec ſuperbio, affirmans: Naturam in illa & hac in parte, tantum non luxuriari; quippe tota quanta fontibus dictis ſoteriis uberrime irrigua & exundanter impraegnata exiſtit. Innumerum haberemus numerum, ſi quivis locus patrios ſuos & proprios, proprio enumerare ſciret

nomine,

nomine. Multi ob copiam contemnuntur. Plures ex negligentia peſſundantur. Plurimi ob ignorantiam deſpiciuntur. Perplurimi rudi palato guſtantur. Hinc eſt, quod pauciſſimi hactenus publicis inclaruerint encomiis, imo ne ſuis quidem privatis innotuerint virtutibus.

Noſcit quidem *Boleslavia* antiquum ſuum fontem regium, den Querckbrunn. Noſcit ſuos *Lignitium*; unum in foro urbis publico, den Heringsbrunn; alterum ante portam Goldbergenſem verſus meridiem, das Wieſenbrünnel; & duos extra portam Glogovienſem verſus Septentrionem, den Bade-Brunn und den Hedwigs-Brunn, quamvis hunc posteriorem injurio & incurio modo nunc ab extra inſqualeſcentem. Noſcit ſuos *Sekarſine* & *Werſingave* in Ducatu Olsnenſi. Noſcit ſuos *Altvvaſſer*, *Tannhauſen*, *Reichenau*, *Steinkunzendorff*, *Petersvvalde*, *Salzbrunn* in ducatu Svvidnicenſi. Noſcit ſuum *Svvidnicium* ipſum. Noſcit ſuum *Lehnum*, den Kühnbrunn. Noſcit ſuum *Kunzendorff* prope Friedebergam. Et noſcunt, vel me ignorante, vel prolixius non annotante, loca alia alios ſuos inquilinos. Hoc tamen negari non poteſt: noſcerent longe plures, ſi omnes illos merito & debite ponderare vellent, imo poſſent, qui hactenus tam liberali fluxu laticem ſuum fuderunt ſoterium.

Sed quid extra terminos vagor? noſcit & *Hirſchberga* ſuos, ſuum per diſtrictum largiter ſcaturientes. Quatenus ſpectas, eatenus ſurgunt, eatenus ebulliunt, eatenus erumpunt fontes nitidiſſimi. Pauciſſimos tangam. Noſcit Opidum ipſum vicinum ſuum *miraculoſum*, den Märckelbrunn, ad radices tractus montoſi, der Sattler dicti, verſus Occidentem ſitum, aqueum certe nectar ſtillantem. Noſcit pagus *Straupitz* ſuum, den Schwefelbrunn appellatum. Noſcit *Seidorff* ſuum, quibusdam acidulatum nuncupatum,

das Annebörnchen, oder den guten Brunn. Noscit *Warmbrunn* suum, den Schmiedebrunn. Noscit vicinia suum ad jugera devolventem montis, quem premit arx diruta *Kynast*. Noscit *mons Gigantéus* suum *aureum*, & finitimum, *album Pratum argenteum* nominatum. * Nulli tamen magis ultimo hoc ævo virtute & usu innotuere, quam famigeratissimi horum locorum *fontes calidi*, qui constituunt sic dictas *Thermas Hirschbergenses*. Harum quidem laudes, vires & effectus jam pridem fama, voce, litteris tantum inclaruere, & adhuc annué secunda & semper repubescente experientia inclarescunt, ut verbis & litteris vix magis indigeant. Imo mihi ipsi inde, tale quid meditanti, prima fronte frondibus folia addere, actumque agere videor. Sed perpendenti, infinitas illis debere laudes, & nunquam earum satis extollendas esse virtutes, animus redit, & verbis verba calamisque calamum addere, minimé vereor. Suadet hoc imprimis inquilinus quidam stimulus. Harum Thermarum confine solum nunc per quadriennium inhabito; ab eo scilicet tempore, quo spe, prece, voto citius, mundo valedixit genuinus Mystes Hygieiæ, Vester *Euryphon* Noster *Hippocrates*, & hujus loci Physicus, veré Physicus, *D. Adam Christianus* THEBESIUS. Abhinc larem hic curo. Æsculapio immolo. Naturæ ministro. Morbis medeor. Consilia suggero. Saliunt fontes in propinquo. Horum virtutes, vires, effectus, experior, video, audio, annue, quotidié, continue. Qui quæso, hæc singula alto conticescere possem silentio? nunc?

* Examen physico medicum virtutes & fructus horum & aliorum plurimorum fontium super & subter *Sudetes* nostros, aquam soteriam vena frigida fundentium, temporis accessu, si DEus vires & vitam concesserit, publice litteris consignare totus mecum constitui. Plures lancem hydrostaticam jam experti sunt. Reliqui illam expectant. Singuli uberiorem tantum usum practicum anhelant.

nunc? cum manum agitent absconditæ quædam scribendi illebræ. Dememinisse laris & officii viderer, maculamque ingratæ frontis proderem, si exoticis & peregrinis magis inhians, vernacula & indigena nostra averso prorsus vultu despicerem. Trahor ex adverso totus domesticis nostris. Solæ mihi Thermæ nostræ arrident, Solæ mihi hac vice sufficiunt. Accipite ergo, VIRI ILLUSTRES, MAGNIFICI, EXCELLENTISSIMI, sequentes *de Thermis Hirschbergensibus earumque Scriptoribus, loco natali, situ, natura, contentis, usu & effectu*, cogitationes, rationi & experientiæ, quantum mearum fuit partium, suffultas. Accipite has comprecor; magis vero in obstrictæ mentis documentum, quam in summe exasciati & numeris singulis absoluti operis testimonium. Cedant vero singula ad summi Numinis Gloriam & Proximi Salutem!

CAP. I.

De Autoribus, qui hactenus Thermas Hirschbergenses seorsim editis in publicum celebrarunt & commendarunt scriptis.

NUllus quidem scriptor, quantum ego scio, qui unquam Historiam Silesiæ, sive penitus universalem, sive à parte naturalem, licet & hanc generatim, debite contexuit, litterisque prodidit, *Thermas nostras Hirschbergenses* sicco præterivit calamo; imo ne præterire ausus est. Tantum enim omni tempore earum emicuere laudes & virtutes, ut publica moliri scripta, inque his illas prorsus conticescere, moliri nefas censeretur. Ipsi exteri non denegarunt paginas. Ut adeo haut brevis concresceret catalogus, si singulorum tribus etiam nunc verbis meminisse conarer. Sed nec poscit tale quid propositi ratio;

nec vult præfixum studium brevitatis. Sufficiat hac vice eorum tantum Auctorum fecisse mentionem, qui seorsim, aut plane peculiaribus scriptis de nostris egerunt Thermis. Antiquissimus omnium est *D. Caspar* HOFFMANNUS, Archiater Ducalis & Physicus Custrinensis. Hic anno 1569. Epistolam ad *D. Paulum* LUTHERUM dedit, qua *naturam, conditiones, vires, usus & abusus harum Thermarum* graphice delineat. Legitur hæc in *Consiliis & Epistolis medicinalibus Joh.* CRATONIS à KRAFFTHEIM *aliorumque præstantissimorum Medicorum p.* 240. Succedit *D. Joachimus* BAUDISIUS, Physicus Lignicensis & Coenobialis Lebusii, Hic quoque commendationem brevem epistolarem conscripsit, inque hac naturam, effectus harum thermarum, methodumque iis utendi paucis delineavit.

Primus vero, qui eas separato condecoravit scripto, famosus est ille Naturæ Mystes & Consultus à similis nominis fanatico toto distinguendus cœlo, *D. Caspar* SCHWENKFELD, Physicus tunc temporis Hirschbergensis, postea Gorlicensis. Edidit vernacula sua sub titulo: **Hirschbergischen Bades in Schlesien unter den Riesen-Gebirge gelegen, kurtze und einfältige Beschreibung: was dessen Natur, Art und Eigenschafft, Krafft und Wirckung sey: wie es recht und nützlich zu gebrauchen: was für eine** Diæt **darinnen zu halten: auch wie man den Zufällen darinnen begegnen und abhelffen möge. Nebst einem allgemeinen Berichte von mineralischen Wassern und Wildbädern/ und kurtzem Verzeichniß derer Kräuter und Berg-Arten, welche um diesen warmen Brunn hin und wieder auf den Gebürgen gefunden werden. Görlitz** 1607. & denuo **Lignitz** 1619. & 1708. 8. Æmulatus est hunc maxime *D. Matthæus Adalbertus* ZINDEL, t. t. itidem Physicus Hirschbergensis; opusculo eundem ferè in fronti-

spicio titulum gerente: Hirschbergischen warmen Bades in Schlesien unter dem Riesen-Gebürge gelegen / kurtze Betrachtung, was dessen Natur, Art und Eigenschafft, Krafft und Wirkung sey ꝛc. ꝛc. Lignitz 1656. 8. Annumerandus hisce duobus *D. Martin* PANSA, Medicus Provincialis Erebniscensis; cujus prostat libellus, titulum sortitus: Bade-Ordnung, oder kurtzer und allgemeiner Bericht von den warmen Bädern und ihren Eigenschafften: was einem jeden, der solche zu besuchen und zu gebrauchen in Willens, nothdürfftig zu wissen: Dabey auch insonderheit die Art, Eigenschafft, und Tugend des Hirschbergischen warmen Bades in Schlesien / sowohl auch des Landeckischen warmen Bades in deutscher und lateinischer Sprache kürtzlich beschrieben wird, sammt etlichen nützlichen Fragen und Kräuter-Bädern: und letzlich mit wenigen von der Natur der Sauer-Brunnen, sowohl auch vom Gebrauch und Mißbrauch der gemeinen Wasser. Leipzig. 1618. 8.

Hi quidem omnes litterarii conatus debitis suis non sunt defraudandi laudibus. Singuli, suos ferunt usus; singuli sua continent, cur maxime æstimentur. Imprimis si practica spectes. Agnoscunt hæc ut plurimum simplicem & multivariam experientiam, fidam & sectandam Magistram, ambabus amplectendam manibus Minime tamen numerum omnem consummant. Minime fontem funditus exhauriunt. Quædam inanibus & caducis superstruuntur fundamentis. Quædam imaginaria virtutum commendantur persuasione. Quædam ofucatis & fallacibus insistunt experimentis. Stat imprimis theoria labili & infirmo talo. Nunc in utilibus teritur quæstiunculis. Nunc incomtis confunditur opinionibus. Nunc lepidis conspurcatur fabulis. Tantum abest, ut in se natura secundum naturam

turam elucescat. Fingitur. Detorquetur. Contemeratur. Apertius hæc data patefiunt, si vel unice varia rimemur principia seu elementa, que in genere aquas soterias in amplexu suo fovere crediderunt. Mirum certe hic commentantur. Mox enim aurum, argentum, cuprum, stannum, plumbum admittunt. Mox illis mercurium vivum, antimonium, arsenicum, calcem vivam affingunt. Mox gemmata varia, ambram, succinum, terram sigillatam inesse somniant. Mox vitriolum, alumen, nitrum & sexcenta alia salium genera enumerant. Indicant inde virtutes. Contra indicant vitia. Formant methodos. Figurant effectus. Reapse vero docte admodum fabulantur. Et dum plurima agere satagunt, nihil aut plane præpostere agunt. Nemo tamen, studio novitatis pruriens nimio, audacter affirmet, hallucinari tali modo veteranos hos & clarissimos auctores sola propria culpa. Indulgendum est illis maxime. Quidquid debent, genio sui seculi debent. Medicina tunc temporis eò pervenire non poterat, quo nunc penetrare industria & felicitas præsentis seculi concedit. Ignorabatur vera & experimentalis Philosophia physico-chymico-mechanica. Nesciebant inde verum & genuinum fontes horumque ingredientia debite explorandi modum. Nesciebant minus fallacem elementa dijudicandi methodum. *Chymiæ & Physicæ experimentalis notitia destituti, subolere potius, opinione cernere, & populari approbatione metiri, quam experimentorum & tentaminum ope contenta expiscari, scrutari ipsisque rerum ponderibus librare potuerant*, egregiè inquit germanus Germaniæ nostræ Hydrographus & communis fere in aquis perscrutandis præceptor, Illustris *Fridericus* HOFMANNUS, *in opusculis physico medicis Tom. II, p.* 41. Poscunt ergo superius enumerata Auctorum scripta, neque lectorem penitus credulum, neque præjudicio & amore antiquitatis nimium occæcatum; sed animo liberum, veris principiis

cipiis chymico-physico medicis imbutum, judiciosum, qui nihil precario, nihil præconceptus, nihil stupidus admittere necesse habet. Hic facile nucleum ad palatum decorticabit.

Sed mitto hos antiquæ autoritatis & decumatæ honestatis viros, prævios non sine gloria duces; & ad nostra demum tempora transeo; visurus, qui & quanti thermas nostras literis condecorare maxime insudarunt. Ubi duo se præprimis offerunt: Prior & omnium princeps est Excellentiss. Dominus *D. Christian Michaël* ADOLPHI, patria Hirschbergensis, opera, officio & honore in Athenis Phylireis hodienum celeber. Hic anno 1710. ibidem Lipsiæ conscribebat eruditam, numerisque pluribus absolutam *Disputationem* theoretico-practicam, 1726. deuo recusam, *de Thermis Hirschbergensibus*, dignam hercle, quæ cum consensu legatur. Post hunc nuper demum molitus est opusculum, vir scriptis, Hirschbergense celebrantibus solum, hactenus inclarescens, Dn. *M. David* ZELLER, Scholæ Hirschbergensis Q. C. Collega II. Edidit nempe Anno 1726. 8. **den dritten Theil der Hirschbergischen Merckwürdigkeiten, darinnen von dem so genannten Hirschbergischen warmen Bade gehandelt wird.** Dolendum vero, autorem in hoc opere hinc inde antiquorum figmentis, qua theoreticis, qua practicis interdum nimium indulsisse. Hanc tamen condit prærogativam, quod præter additamenta quædam historica varia variorum carmina in laudes & virtutes harum Thermarum, ut OPITII, FECHNERI, SCHARFFi, &c. tradat, & sub finem duo verbotenus annectat Judicia medica, alterum sup. cit. *Casparis* HOFFMANNI, alterum *Joachimi* BAUDISII.

CAP. II.

De Solo natali, situ, ortu facieque hodierna externa Thermarum Hirschbergensium.

„Hirschberga seu *Cervi montium*, inclutum est Sile-„siæ inferioris in ducatu Jauraviensi versus meri-„diem oppidum, Regno Bohemiæ his oris pro-„ximum, hominibus & incolis frequens (verbis utor Sile-„stographi maximi nominis HENELII) & artificiis lini ele-„gantioribus celebre, ad confluentem Zacki & Boberi flu-„viorum intra sudetos loco amoeno commodoque positum." Inter plurima, quæ indigena possidet naturæ dona, à divina munificentia largiter concessa, non postremas sibi vicinas numerat thermas, proprioque suo nomine cognominat *Hirschbergenses.* Vicinas ajo. Itur enim intercapedine unius horæ per prata, per arva, per campos, per nemora, prope littora, prope colles, prope jugera montium jucundissimo & amœnissimo prorsus ambulacro ad pagum, illustri & antiquæ Dynastiæ *Kynast* subjectum, ut hodie domibus amplum, imo splendidum; sic populis arctum & frequentissimum. In hujus pene meditullio prosiliunt fontes soterii thermales è binis separatis scatebris, eique sortiuntur agnomen *Warmbrunn*, sive *Warmbad.* Qua patet regio ab extra, *edita & tota est ferme montana*, ut apprime notat Clariss. ADOLPHI *de Thermis Hirschb. p.* 5. *vallibus arborum virentium serie obsitis, sylvis in magnum spatium diffusis, & saltibus, proceris arboribus, umbrosis pratis gemmantibus, segetibusque ad prospectum jucundis interdistincta, plana tamen & recta regione magis, minus in latitudinem spatiosa. Qua vergit ad Orientem & septentrionem ad la-*

tera

tera utrinque montes interpositi, depressi magis ventorum aditum concedunt, qui vario agmine exsurgentes tandem paulatim cum aliis, hisque altioribus coëunt concatenatis eorum tractibus planitiem claudunt. Versus Meridiem præsertim in agros fertilissimos ac prata lætissima oculis ad milliare spatium, ad usque arcem elatam decurritur, ubique objecta rerum facie, qua nihil cerni jucundius, venustiusque potest.

Aër spirat ubique salubris, nubibus quidem, nebulis, nive, imbribus frequentioribus ingravidatus, & ex niviferis montibus, nocturno imprimis tempore, subfrigidus; nullis tamen tetris, putridis & venenatis effluviis, sanitati hominum maximé infensis, inquinatus. Solum ab extra quaqua versus sive frugum, florum, plantarum, herbarum, graminum ferax & fœcundum; sive piscinis variis, quin sparsis paludibus subaquatum; sive torrentibus, rivulis, fontibus, hic dulcibus, illic acidulis, ibi sulphureis, alibi martiatis, ubique vero salivam facile moventibus, irrigatum. Princeps præprimis hujus loci fluvius, *Zackus* dictus, celeri flumine ex montium jugeribus præcipitatus, varia secat suis flexibus arva, ipsumque pagum thermalem interfluit. Hic terra pinguis, lubrica, mollis, rara; illic durior, macra, arida, sicca, glareosa, lapidosa. Maxime ubi in montium assurgit cacumina, gazas divitiarum plenas, aurum, argentum, aliaque metalla & minarallia, imo lapides pretiosos condere affirmatur, qua de re præprimis evolvendus *D.* SCHWENKFELD, tam in cit. *Tr. de Thermis Hirschberg.* quam in illo, qui audit: *Catalogus stirpium & Fossilium Silesiæ.* In vicino pago *Schreiberhau* ante hæc demum lustra ex marcasita sulphureo-vitriolica submartiali vitriolum confectum est. Imprimis vero tractus hi montosi subterranei mineris scatent ferreis, de quibus testatur contermina *Schmiedeberga*, oppidum ad latera montis Gigantei situm, ab HENELIO ideo *metallicum* dictum. Ipse pagus noster *Warm-*

brunn iis sparsim refertus est. Hoc tamen imprimis memorabile & scopum nostrum proximius tangens, quod solum thermis nostris confine, ceu patuit plus vice simplici sub struendis domuum fundis, aut effodiendis cellis, larga lithantracum custodiat strata, nunquam fere hactenus notata & allegata; imo quod condat tractus late spatiosos lapideos, pyritem argenteum manifestantes, einen weiß / schwartz und röthlich gläntzenden Wasser-Quartz, qui ubique pene ad superficiem ulnæ, imo altius luto subcœruleo, pingui, unctuoso, mit einer blaufärbigen Lette, teguntur. Insuper hinc inde variæ varii generis eruuntur argillæ nigræ, rubræ, luteæ, albæ.

Nunc ad *fontes ipsos*. Saliunt hi perenni flumine, uti jam traditum, in pagi thermalis pene medio, è duobus separatis & ad passus circiter duodecim ab invicem distantibus scatebris. Uterque fons hodie ædificio tegitur & circumcingitur lapideo, cellulisque caldariis adornatur intestinis, in usum & commodum balneantium adstructis. Funditus vero in scrobes seu alveos, muris circumvallatos & ligneis tabulis coassatos, laticem suum fundit tepidum, qui nunc *thermarum* nomine venit. Harum unæquæque superbiunt peculiari & diverso cognomine. Alteræ *Schaaffgotschianæ* vocitantur das Schaaffgotsche Bad: Alteræ *cœnobiales* & imprimis à Præpositura vicina audiunt: das Probst-Bad. Priores, quia longo jam ab ævo illustrissimos *Dn. Dn. Comites de* SCHAFFGOTSCH, ex perantiquo & generosissimo stemmate natos, perpetuos tenuere & tenent. Heros & Dominos: Posteriores, quia Abbatiam Grüssensem, hujusque maximè hic constitutos præpositura alumnos agnoscunt possessores & proprietarios: de quibus singulis *vid. M.* Zellers dritter Theil der Hirschberg. Merckwürd.

Thermæ *Schaaffgotschianæ* hodie cœnobialibus secundum ambitum capaciores, ampliores & spaciosiores, fundunt

dunt & prosiliunt aquam suam maximè quintuplici venna, terra unctuosa lutea subcoerulea & pyrite petroso argenteo, aus dem in hiesigen unterirdischen Gegenden liegenden Quarzstriche, der meistens mit einer blau-färbigen Lette bedeckt wird. Nullæ nunc magis peregrinæ illis immiscentur scaturigines, foterium laticem adulterantes, calorem naturalem refrigerantes, viresque & virtutes infirmantes. Etenim conatus & præscriptum clari hujus loci Inspectoris thermalis, *Dn.* DUCKWIZII, tantum valuit, ut funditus illæ præscinderentur. Merentur ejus verba, quæ de hoc labore in *Annalibus Uratislaviensibus physico-medicis an.* 1717. *Mens. Jul. p.* 72. leguntur, ut denuo hic relegantur: Daß das Bad heuer (1717.) heisser oder wärmer sic fertur ibidem, als es vorhin gewesen, muß ich billig, nebst allen, seit Pfingsten, darein gebadeten Personen affirmiren; wie es auch das Thermometrum ausgewiesen, da die hiesigen Herren Geistlichen solches noch darzu bald Anfangs, da der Bau kaum geendiget, gegen das ihre (Probst-Bad) probiret, und wärmer als ihres befunden. Es ist anjetzo fast ein halb Jahr, da ich Sr. Excellentz, Herrn Graf von Schaaffgotsch, hinterbracht, wie sich der unterste Kasten wegen der im Grunde vom Quelle abgenützten Steine mehr als 1½. Viertel Ellen gesencket; dahero berathschlaget wurde, solches heraus zunehmen und den Grund zu visitiren, sogleich den 28. Nov. in Gegenwart Sr. Excellentz erfolgte. Woselbst man gewahr ward, nachdem alles Holtz ausgeräumet, daß sehr viel kalt Wasser dem Sandstriche nach von aussen hineingedrungen, und da man beschäfftiget ward, die Anzucht oder den Ablauff zu räumen, und gegen der Grund-Mauer auswärts einen Graben zu ziehen, ward man ge-

wahr, wenn das Bad ordinari voll war, daß es unter der Grund-Mauer austrat. Man dachte erstlich eine neue Quelle gefunden zu haben; so bald ich aber das Bad ausschöpffen ließ, blieb der Quall zurück, und trat das im Sande versickerte Wasser, nebst einer kleinen kalten Quelle, auch eine andere, so tief im Grunde sich mit den warmen Quellen melirte, hinein; welchen man endlich immer nachgegraben; biß man sie in einem Winckel gegen des Platzes Seite etwas höher, als die warmen Quellen, gelegener befunden, und solche mit einer gutten Kütte/ die im warmen Wasser fester, als ein Stein wird, zu versetzen und fortzubringen suchte. Und weil wir im Grunde gegen ein paar Ellen tieffer geräumet, biß wir einen festen steinigten Boden fühlten / haben wir die warmen Quellen in einen Fenster-rauthen-mässigen Kasten gefasset; denn die Einfassung aus dem Grunde mit Quadersteinen, hinter denen ein starcke Mauer in lauter Kütt, aufgeführt, und der Ablauf 5. oder 6. Ellen tieffer geleget, oben aber einen von feinen breiten Steiuen gehenden Umschrot und inwendig einen Umgang rund herum gebauet. Dahero leicht zu vermuthen, daß es itzo, wegen der abgesonderten Quelle, wärmer, als vorhin. Exundantem hujus balnei aquam educit canalis ligneus, eandemque transmittit ad conterminum receptaculum, quod ante hac viliorum & pauperum usui dicatum erat, & das Armen-Bad dicebatur, nunc autem caldarium constituit, in quo egeni balneis utuntur laconicis. *Conf. Annal. Uratisl. c. l.* Abhinc ad vicinum fluvium Zackum defluit, hujusque festinante abripitur alveo. *Thermæ Præposituræ* aquam suam è scatebra tantum duplici & magis ex subtus petroso & in arctum coëunte saxo produnt. Hoc alunt imprimis ab illis distinctum,

quod

quod frigidam assumere & immittere scaturiginem, nulla fere arte coercendam, necessitentur. Abhinc evadunt limpidiores & dilutiores; imo tepescunt remissius.

Sic saliunt proximè, sic perennant publicè, sic cooriuntur quotidié hi nostri fontes soterii, judicibus oculis, testibus manibus. Sed unde è longinquo? per quos & quantos subterraneos terræ mæandros? à quibus maxime incunabulis? Perapte huc quadrat vulgaris illa paroemia: *hic hæret aqua.* Tantis enim generalis etiam doctrina de origine fontium irretitur difficultatibus & ambiguitatibus, ut has penitus enodare velle, idem penè esset, ac Nili quærere caput, nubesque manu tangere. Insudarunt quidem omni nervo & ingenti æstu enucleandis istis acutissimi etiam & curiosissimi Naturæ Mystæ. Sed videas, fontium genuinos fontes vix primorditus exhausisse. Speciem præprimis veritatis repræsentant modernorum plurimorum hac de re conjecturæ. Sed speciem ajo. Premit unamquamque suus adhuc scrupulus.

Sunt, qui omnium, quotquot, scaturiunt, fontium originem ex ditissimo mari & terræ centro arcessunt, atque derivant. Sed uti hæc, imprimis veterum sententia, non modo omnibus legibus mechanico-staticis sed etiam ipsi rationi refragatur: ita eandem merito tanquam perversam & erroneam improbandam & rejiciendam esse reor, inquit Excell. *Frid.* HOFFMANNUS *in Opusc. phys chym med. Tom. II. p.* 127. Maxime est de modo ascensionis aquarum harum controversia. Alii cum SOCRATE succussationi adscribunt: alii cum PLINIO Spiritui: alii cum BODINO terræ ponderi; alii altitudini maris: alii & recentiorum quidem non pauci cum BECCHERO destillationi & sublimationi peculiari subterraneæ. Sed hæreo, num hæc singula indubitatæ veritatis testes, tum rectius inanes ingenii fertilis lusus & imaginationis luxuriantis fœtus dicam? Audiamus tamen

men Clarissl. Dn. *D. Joannem* JUNCKERUM, qui modum posteriorem, tanquam acutissimum, ut fertur, & recentissimum brevibus, sed perspicuis verbis in suo *Conspectu Chymiæ theoretico-practicæ p.* 262. ita tradit: „ *Præeunte* BECCHERO *& sequentibus hunc, Regis Suecorum Archiatro,* HIERNE, *aliisque, verosimiliter statuitur, longe adhuc infra oceanum positam esse cavam abyssum, seu centrum terræ magnum quoddam & convexum spatium esse, in quod aquæ salsæ & pingues per fundi maximi poros & fissuras assidue destillent, ex hac vero tam longa & profunda transcolatione per fundum arenosum, limosum & sulphureum, aquas magnam salis sui partem amittere, magisque luteas, turbidas, bituminosas reddi; exinde fieri, ut in abysso illa, seu vortice centrali, facile motu putrefactorio corripiantur, incalescant, ebulliant & tanquam in æstuario vaporent; cum istas convexi centri partes, è quibus aquæ marinæ destillarunt, ob solidiorem statum & superincumbentis oceani molem non æque penetrare possint, se recipere in interiorem magis porosam molliorem & passim cavernosam telluris partem, hinc per longissimum tractum altius assurgere in solidiorem terram, seu crustam globi telluris, magna ex parte lapideam, ibi quasi à frigore in guttas condensari, tum sub fornicibus antrorum subterraneorum tum profundius in glarea mobili,* Triebsand, *tum præcipue etiam etiam in luto subcoeruleo.* „

Sunt, qui fontium incunabula vaporibus ex oceani superficie prodeuntibus maxime adjudicant; vaporibus ajo, qui præprimis intra tropicos vi Solis æstuantis copiosissime sublimantur; qui ventis mox agitantur & hinc inde dissipantur; qui præaltis & perfrigidis montibus adhærent, inque his variè condensantur, colliguntur & guttatim concrescunt; qui tandem sic formati terræ visceribus & mæandris intestinis per poros, fissuras, imo hiatus se insinuant, donec

tan-

tandem funditus ad latera, ad radices, in confiniis montium longe lateque iterum exundant & affluunt. Sententiam hanc imprimis amplexus est *Cl. Joh.* CLERICUS, *Phys. L. II. c. 7. p. 171. seqq.*

Sunt, qui scaturiginum ortus assignant stagnis lacubus & maxime fluviis, pleno alveo hinc inde terram subrepentibus, hancque inundantibus. Alii probant hujus sui asserti nervum exemplis & experientia convicti, quos inter est Ill. *Johan. Gottfr. de* BERGER, *in Tract.* vom Carls Bade, *p.* 17. 18.; alii simul ratione & judicio suffulti, ex quibus *Dn. D. Joh.* KANOLDI meminisse sufficiat, *in Annal. Uratil.* 1718. *Sept. p.* 1676. *ita differentis*: Es dürffte vielleicht auch nicht gantz improbabel seyn, daß hin und wieder grosse inländische See, Teiche und Flüsse / vermittelst unterirrdischer Transcolation, durch bequemes / sonderlich sandiges Terrain, und Krafft der von oben druckenden Wasser-Last, vornemlich / wo dergleichen Gewässer so hoch, oder höher, als die entgegen liegenden Ebenen, gehen, zur Entstehung und Unterhaltung der Quellen ein grosses, ja vielleicht hin und wieder das Hauptwerck contribuiren. Einen kleinen Erweiß hiervon giebt die gemeine Experienz, daß bey hoch-angelauffenen Flüssen, und bey deren angehenden Abfallung, die offt ziemlich weit entlegenen Keller unter Wasser gesetzt werden. Zum wenigsten ist aus dieserley Fundament viel eher, als vom Regen, zu deriviren, wenn bey langwieriger Hitze und Dürre, ohne allen Regen, hier und dar neue Quellen und Gesundbrunnen entstehen, die man doch bey vormahliger Nässe nicht bemercket hat: ohne Zweiffel daher / daß durch die Grösse langwieriger Hitze das Erdreich allzutief ausgedorret, das sonst feste Erdreich mürbe und locker worden, folglich den

ordinairen Antrieb zum Ausquall in viele Gänge frey vertheilen können.

Sunt, qui orginem & maximé alimentum fontium annumerant pluviis, imbribus, grandini, nivi, rori, pruinæ, glaciei liquescenti, nubibus & nebulis, montium cacumina & tractus ingravidantibus, sese illorum poris, rimis, commissuris & aperturis insinuantibus, subterraneas cavernas pervagantibus, & tandem data occasione juxta leges staticas in apricum prodeuntibus. Et hanc arripiunt sententiam modernorum Physicorum perplurimi. Unicum HOFFMANNUM, ceu testem generalem adducam, quando *in cit. Opusc. phys. med. p.* 128. ait: *Pluviæ, nives, nebulæ, ros ac pruina sunt, quæ fontibus non minus, quam fluviis, materiam & alimentum suggerunt largissimum; adeo, ut quo copiosiores decidant imbres, eò magis augeri scatebras & flumina, & vicissim decrescere & exarescere omnes in tellure aquas, his per longum temporis spatium deficientibus, observemus. Accedit, quod omnium fere fontium in vallibus & depressioribus locis exstet scaturigo, dum aquæ vel ex vicinorum fluviorum, altiori constitutorum, alveis secedentes, vel etiam in montium ac collium apices per pluviam delapsæ, per copiosissimos terræ poros ac mæandros repunt, & tanquam per cribrum colantur, donec in solida ac tenaciora conceptacula, strata nempe lapidosa & argillacea, delatæ, ibique copiosius collectæ, impedito ulteriori descensu, ad superiora tandem eluctantur, & ex concluso flumine in salientem venam sese aperiunt. Hæc est genuina origo & generatio fontium.*

Ego, ut in Circulum redeam, præprimis asserto huic posteriori adstipulor, spretis tantum non omnibus opinionibus aliis; lubensque concedo, imo confidenter affirmo: „*Thermas has nostras Hirschbergenses eandem trahere ori-„ginem, idem accipere nutrimentum & pabulum ex prææltis „ac maxime spatiosis horum locorum montium jugeribus,*

„*tan-*

„ *tantum non semper pluvia, nebulis, nubibus, nive, &c.*
„ *obnubilatis & imprægnatis.* Fidem tamen non omnem
„ disputo, nec speciem veri diluo, conjecturæ, quam
„ prodit *Cl. D.* ADOLPHI *Disp. cit. de Therm.*
„ *Hirschb.* scribens: „ fontes nostros ortum suum trahere
„ non ex oceano, quoniam hæc petitio nimis esset diffita;
„ *sed ex vicino Fluvio Zacko, aut ex montibus vicinis:* „
Potius ut dignam, quæ judicetur appono.

Verbum adhuc addere, ratio postularet, de loci ipsius quaquaversus patentis felici, hilari & jucundissimo ingenio, quo nempe huc tendentium & hic commorantium recreat animum, vitæque mentale addit pabulum; ne dicam, indulgendo insidias struit. Irretitur enim oculus, amœnissimo ubique spectaculo, tantis rerum naturalium inter se splendidissimè luxuriantium illecebris, ut facilius sit, huic regioni *immori*, quam ad tempus tantum *immorari.* Sed egit de hoc fusius & graphice *cit.* ADOLPHI *p.* 9. §. 6. sesamoque & papavere sparsis singula depingit verbis. Adeat hunc, cui volupe est. Ego cum HENELIO nostro *Ausonium* hic tantum transscribo:

Quodsi Cumanis huc afforet hospes ab oris,
Crederet Euboicas, simulacra Exilia, Bajas
His donasse locis: tantus cultusque, nitorque
Allicit, & nullum parit oblectatio luxum.

CAP. III.

De Natura & Elementis, sive Principiis constituvis Thermarum Hirschbergensium.

COnstitutiva nuper aquarum nostrarum thermalium scrutaturus principia, de industria neque multa, neque ambigua, neque incerta, neque plane sterilia molitus sum experimenta. Memori semper manet mente repostum illud magni HOFFMANNI *in Opusc. Phys. med. Tom.* 11. *p.* 117. judicium: *Notandus & tanquam inanis merito rejiciendus est Physicorum & Chymicorum quorundam mos, qui in mineralium aquarum examine experimentorum multitudine splendorem affectare videntur, & iisdem innumera, propemodum, ad rem tamen nihil prorsus facientia, commiscere solent.* Potiora prolixis, necessaria supervacaneis, utiliora curiosis, probabiliora lubricis ubicunque præferre ratus, nec levitatem, nec gravitatem illarum, aquarum scilicet, magno & fastuoso instrumentorum, ponderum, liberarum, lancium hydrometicarum & cylindrorum staticorum apparatu machinatus sum. *Omnia* enim *hoc modo adornata lubrica admodum esse & fallacia, præsertim ad pondus aquarum thermalium exigendum*, cum eodem HOFFMANNO p. 119. confidenter affirmo. Neque principia earum volatilia, seu spirituosa, scrupulosis & operosis coctionibus, destillationibus, atque sublimationibus nancisci rimatus. *Volatilia enim*, ut apprime ait *Rosinus* LENTILIUS *A. N. C. Dec. II. ann. V. p.* 402. *ob summam subtilitatem, arte chymica capi non possunt, certe sunt hactenus à memine capta unquam. - - destilletur quævis aqua mineralis vel centies, nihil tamen, nisi aqua communis, tantillum empyrevmatica, transcendet alembicum, relicta in fundo parca calce.* Neque

partes

partes earum fixiores, & ſolidiores, aqueo elemento abſcondité intertextas, variis aliis ignis torturis, multo minus tumultuariis, dicere, expiſcari & in apricum trahere conatus ſum. Ignis enim mihi ſemper cum BOYLEO & BOHNIO infidus audit corporum analyſta. Fidem plurimam adhibui illis maxime obſervationibus, quæ vel ſponte, absque omni arte & coactu, nudis ſe obtulerunt ſenſibus, vel experimentorum inſontium quorundam phyſico-chymicorum ope, ſimplici puta reagentium diverſorum immixtione & placida evaporatione enatæ ſunt, utræquæ revelantes nupta aquis noſtris primaria & intimiora elementa. Hujus imprimis fuere cenſus ſequentes:

1.) Subeunti balneorum tecta & receptacula mox in veſtibulo halitus compungit nares lixivioſo-ſulphureus: fortior & penetrantior in thermis Schaaffgotſchianis; rarior & imbecillior in cœnobialibus.

2.) Ubi aër ex frigida-humidiori cœli conſtitutione gravior ambit fontium ſolia, circumcirca preſſi, nebuloſi & denſi viſuntur vapores, qui innubilo die & minus nimboſa tempeſtate, rarius diſſipati, penitus ſubterfugiunt conſpectum.

3.) Aquæ funditus emergentes copioſiſſimas, easque albicantes in ſuperficie ſpumant & figurant bullulas, quin reiterata vice capaciores eructant, illicò tamen crepantes & evaneſcentes.

4.) Ex ſcatebris hauſtæ easdem, fundo vitri ſeſe colligentes, ad ſuperiora copioſius admittunt; agitatione conquaſſatæ marginem vitri innumeris plane cryſtallorum inſtar inveſtiunt.

5.) Calidæ exhauſtæ & frigefactæ lib. I. gran. V. & ultra ex cœnobii; ex illuſtriſſ. Comitis fonte gr. VIII. quantitas decreſcit. *Conf.* ADOLPHI *l. c. p. 29.*

6.) Diutius libero sub aëre detentis, aut alia loca translatis, odor & virtus perit.

7.) Argentum recenter politum, iisdem & præprimis Schaaffgotschianis, inditum, fusco, imo subatro inficiunt colore; auri vero tincturam exaltant.

8.) Solutioni argenti cupellati cum aqua forti induunt saturate puniceum colorem.

9.) Post omnimodam liquoris exhalationem & evaporationem, concrementum relinquunt inflammabile, sulphureum spirans odorem, & cum sale Tartari in hepar sulphuris transiens. *Conf.* ADOLPHI *l. c. p.* 32.

10.) In receptaculorum testudinibus genuini flores sulphuris calore sublimantur & concrescunt, ut eorum per annos aliquot colligere posses liberas.

Indigitant hæ conjunctim sumtæ animadversiones primarium & nobilissimum aquarum nostrarum ingrediens, principium nempe spirituosum, tenuissimum, mobilissimum, subtilissimum, æthereo-aëro elasticum, subalcalinum & maxime sulphureum. Sulphureum inquam, spe fretus, quod nullus, quantus quantus etiam alias sibi videtur emunctæ & acutæ naris sophillus, aliud quidpiam, hermaphroditicum, nitrosum, vitriolicum aut martiale subolfaciet, nisi hodietenus audire velit veteranum nostrum SCHWENKFELDIUM *c. l. p.* 46. tali modo vellicantem: **Daß jeder Brunn einen Schwefel habe, welcher spiritualisch und lustig, muß ein jeder bekennen, daß er es beym Brunnen reucht. Es wäre denn die Nase verstopft, oder der Geruch verderbt.** Scio equidem, perplurimos modernorum Thermographorum, & inter hos decumanos quoque & experientissimos, sulphur commune, hujusque specificos halitus, magna ex parte é thermis & acidulis proscribere, adeo ut in affirmativam satis acerbe invehatur Ill. *Fr.* HOFFMANNUS. *l. c. p.* 53. *Constans plerumque* inquiens, *& pervulgata Medicorum est*

sen-

ſententia, omnes thermas ſulphur, in complexu ſuo alere; imo ab ejus connubio plurimi caloris in iis cauſam derivare ſatagunt. Et hi fere ſunt, qui thermas non frequentarunt, aut tanquam canis Nilum, eas deguſtarunt; ideoque non mirum eſt, ſi eximiè fallantur. Illis potius ſulphur quoddam minerale, nativum ut ajunt, purius, penetrantius, minus empyrevmaticum adjudicant; cujus differentiam à formali illo idem HOFFMANNUS *p.* 151. hoc modo graphicé depingere molitur: *Incidit non exigui momenti dubitatio, cur videlicet, ſi mineralis fontium ſpiritus vapori ſulphuris debeatur, is non ejusdem cum ſulphure vulgari tetri ac fœdi odoris ſit? Hanc vero ita facillime diluendam eſſe reor. Conſtituenda videlicet eſt differentia inter ſulphur minerale commune, arte ex mineris elicitum & inter illud, quod purum & nativum in ſubterraneis tractibus reperitur. Nam vulgare ſulphur, non niſi ope ignis culinaris ſuccenſisque lignis vel carbonibus cogitur; quo fit, ut cum pura illa nativa ſulphuris materia, etiam empyrevmaticum, quo omnia ligna fœta ſunt, oleum in ſe recipiat. Nativum autem ſulphur, ignis torturam nondum expertum & empyrevmatico contagio non temeratum, ſimpliciſſimæ & puriſſimæ eſt indolis, omnisque ſpecifici odoris expers.* Scio ergo, quod repeto, hoc verum & genuinum ſpecifici odoris ſulphur novellorum Chymicorum plurimos è thermis relegare. Sed neſcio quoque, fieri & accipi hoc aſſertum ubique cum grano ſalis; ubi nempe neque ſenſus neque ratio, neque experimenta evidentius contrarium evincunt. Evincunt autem hoc evidenter obſervationes no. 1. 7. 8. 9. 10. allatæ, manifeſtiſſimisque monſtrant indiciis, aquis noſtris thermalibus nuptum eſſe formale & genuinum ſulphur. Qui ergo precarium, præconceptum aut plane fictum aliud ipſis adjudicare poſſem? Abſit.

Ineſt

Ineſt illis, quod audacter affirmo, evidenter ſulphureum principium, omnis ex minerali proſapia virtutis & effectus primarius nervus & cardo.

11.) Aquæ vitris infuſæ, utræque limpidæ apparent; perſpicuæ, & ex albo cœruleæ, magis tamen cœnobiales præ Schaaffgotſchianis, quæ turbidè quaſi ſubalbicant. Hujus rationem inde peto, quod Schaffgotſchianæ ſimul è terra limoſa, cœnobiales vero è duriori & minus ſolubili ſaxo prodeant, & quod maximi eſt momenti, quod hæ ſcatebram admittant limpidiorem, ſpuriam, ut in genere omnem, totam & unicam differentiarum mutuarum, ſic & hic ſpeciatim pelluciditatis cauſam.

12.) Guſtatæ linguam demulcent primum ſapore ſubdulci, molli & lubrico; hunc autem mox excipit ſaponarius quidam ſtimulus, ſimulque ſubadſtringens quaſi amaror, palatum feriens, & facile faſtidium ciens.

13.) Ad tactum ſunt inſimul molles, lubricæ, imo unctuoſæ, & ut optime ait *D.* ADOLPHI *l. c. p.* 29. *temperato & non modo tolerabili, ſed & tam jucundo calore, adeoque calori nativo humano maximè conveniente præditæ, ut optimo jure id de noſtris dicere poſſim, quod* WERNHERUS *de Thermis Badenſibus dicit, quod tam jucundo ſint calore, ut velut humano ſtudio temperatæ naturæ ſingulari benignitate ad hominum lavacra datæ eſſe videantur.*

Cauſæ caloris thermalis & imprimis hujus noſtri inquilini tribus meminiſſe verbis, juſtum æquum hoc loco cenſeo. Mitto autem omnes, quas antiqui unquam hac de re ſomniarunt fabulas. Mitto PLATONIS flammeum barathrum. Mitto DEMOCRITI terras calcareas. Mitto ARISTOTELIS fulmina. Mitto ſpiritus & halitus calorificos. Mitto ſolis in ſubterraneas cryptas penetrationem. Mitto effervescentias contrariorum ſalium, hujusque farinæ alia lepida commenta: unice intentus, quam momentosè

noſtra-

nostrates & moderni Philosophiæ naturalis Proceres judicent. Rem ut levioris molis, sic facilis conceptus autumat Dn. D. *Joh. Samuel* CARL, *in Tr.* vom Gebrauch und Mißbrauch der Gesundbrunnen/ ubi p. 30. mentem brevibibus ita explicat: Die Wärme ist leicht zu begreiffen, wer weiß, was intestinus motus fluidi, vornehmlich in währendem Auflösen, zumalen eines subjecti sulphurei für eine Wärme erregen kan. Die Experimenta mit Kalck ablöschen, die Vermischung des Olei Vitrioli mit Wasser, die solutio des Eisens, Zincks, Zinns mit Scheidewasser, die Vermischung des Schwefels mit Eisenfeilen u. d. gl. sind ja bekannt, welche Hitze sie erregen, daß man die alte träumerey von unterirrdischen Feuer unter die Quelle nicht setzen darff. Sed hæsito, num hæc tam consummatim quam nervose dicantur. Operosius & ponderosius processum delineare satagunt LISTERUS, SEIPPIUS, HOFFMANNUS *&* *de* BERGER. Hic posterior imprimis in eleganti suo Tractatu vom Carlsbade cap. VI. toto, ratione & experimentis minus ficulneis & lubricis suffultus, uti omnem calorem subterraneum, sic & in specie thermalem ex pyritis seu marcasitis, sub terra aqua inundatis, & hinc fervidius æstuantibus, ad oculum fere demonstrare annititur.

Adstipulor quidem magna ex parte huic sententiæ; sed tanquam universalem, solam & unice sufficientem minime accipio. Movent maximum scrupulum, nostris imprimis in thermis, formales & evidentes halitus sulphurei. Ponunt obicem substrati terræ tractus carbonum fossilium. Tenent mentem magmata illa subatra cum aquis è fundo fontium superficietenus emergentia. Imo suspendunt animum minores proventus principii fixioris alcalini & martialis, nullæque fere terræ calcareæ; quæ tamen singula juxta illorum Autorum sententiam evidentius incurrere deberent sensus.

Mallem confidentius ad Exemplum Cl. Dn. D. *Christiani Henrici* ERNDELII, *originem ac vires Thermarum Teplcensium in Ephem. N. C. Volum. III. Append. p. 121. seqq.* delineantis, afferto subscribere, quod celeber. Dn. D. *Joannes* JUNKERUS *in Conspectu suo Chymiæ theoretico-practicæ p. 263.* his verbis adumbrat: *Præcipue efficacia lithantracum quorum venæ per globum nostrum copiose & profunde discurrunt, ad ignem tam concipiendum, quam perdiu affluente commoda materia, sustentandum, hic non est prætereunda. Et vero levia quædam tentamina caloris artificialis, è mixtura sulphuris & ferri suborientis, non sufficiunt ad explicandam genesin tam insignis thermarum æstus, qui vero similius pendet à subterraneo incendio aut ardore, non solum à pyritis, sed etiam à magnis carbonum fossilium aliorumque bituminosorum venis sustentata & in proximas sibi mineras alias sulphureas progrediente.*

14) Insperso aquis pulvere Gallarum, protinus etiam ad ipsas scatebras, neque purpureus, multo minus subater prodibat color; neque ad infusionem olei Tartari p. d. aut solutionis facchari Saturni lactescebant. Sufficienti testimonio, nec sale vitriolico esse armatas, nec terra crudiori calcarea imprægnatas.

15) Affusum acetum vini destillatum post aliquot demum momenta innumeras, easque plane subtilissimas è fundo vitri ad superficiem protrudebat bullulas.

16) Pulvis Rhabarbari immixtus liquori, pallide rutilantem largiebatur tincturam, quæ in saturate rubicundam emergebat, ubi ad dimidiam partem evaporata erat aqua.

17.) Syrupus violarum inditus, colorem suum non mutabat quidem, solutioni vero salis post evaporationem & elutritionem residui additus, subvirescebat. Quæ trinæ hæ observationes luculenter detegunt salis alcalici nostris in ther-

mis

mis hospitium. Inficiari quidem non poterit, parcius innidulari ipsis, quippe testante ADOLPHI *p.* 32. libræ XX, aquæ ex fonte Schaaffgotschiano suppeditant tantum scrupulum unum; ex cœnobiali drachmam semis. Sed intelligendum hoc est de fixiori; cum volatilioris longe majorem & diffusiorem detineant quantitatem, quæ halitu illo lixivioso, sub thermarum introitu nares vellicante, sufficienter & minus obscure dignoscitur.

18.) Ubi balneariorum ambitus cinguntur muro, hicque ligneis incrustatur tabulis, & ubi aqua exundans per canales lapideos effluit, agglutinat sese materia quædam subpinguis, unctuosa, mucosa, ex atro subcœrulea, quæ non raro etiam in superficie aquæ, rarioris ad instar cuticulæ concrescere conspicitur; quando scilicet aquæ, neque fortius, & in uno tenore ebulliunt, neque ab externis causis nimio motu concutiuntur. Non errabo, si hanc materiam terræ supra citatæ limosæ & unctuosæ, subtus & per anfractus subterraneos longe lateque se extendentis, pronuncio progeniem, & inde rationem peto, cur balneo exeuntibus tam firmiter adhæreant indusia, ac si cuti visco agglutinata essent subpingui.

19.) Per vices & tantum non semper é fundo scatebrarum emergit nunc flocculorum, nunc frustulorum instar magma quoddam leve, rarum, primo sub aspectu, ex atro coeruleum tactu lubricum, pinguiusculum & lævius friabile. Conspicitur hoc hodie copiose accumulatum & ad altitudinem ulnæ præcipitatum in superius notato solio balneario viliorum & pauperum. Hactenus quidem unanimi consensu sub bituminis titulo inclaruit, sed quo jure, nondum video. Exsiccatum enim, crama leve terreum constituit, coloris maximé cinerei. Prunis injectum, neque inflammatur, neque crepitat, neque fumat. Ubi candefit; fit hoc autem difficulter & cunctanter; odorem de se spargit penetrantem sul-

phureum. Fallor? peritiores judicent, si hoc magma productum dico ignis, per anfractus subterraneos longe lateque diffusi, latentis & tacite gliscentis. Fallor? si caput mortuum apello, seu partes incineratas, quales quales etiam, sive carbonum fossilium, sive alius terræ bituminosæ Has aqua subtus præterlabens suo maxime aqueo elemento sibi insinuat, & ubi eas ad & per terram luteam vehit, hanc simul, & nunc eò facilius solvit, ambas miscet, & abhinc in majus vel minus frustulatum conglomeramen molle, lubricum, læviusculum figurat. *Hæc est sententia nobis.*

CAP. IV.

De Viribus generalioribus Thermarum Hirschbergensium, & morbis, quibus in Specie opitulantur.

Ex his hactenus allatis & nunc collectim sumtis observationibus & experimentis luculenter admodum constat, posse thermarum nostrarum principia, quæ alunt & in sinu suo recondunt, maxime in duo dispesci genera, quorum *primarium* comprehendit tam elementum lixivioso-sulphureum, elasticum, æthereo-aëreo-spirituosum, quam calorem gratissimum, & aquam, qua aquam, mollem, mitem, lenem: *secundarium* vero sal alcali fixius, terram limosam & unctuosam, & magma illud sub atro cœruleum, hactenus nuncupatum bituminosum. Suaderet nunc vulgaris scribendi mos, ut quodvis horum ingredientium singulatim expenderem, ejusque virtutes & effectus, imo maximé operandi rationes, curiosis, scrupulosis & fastuosis deductionibus, argumentis scilicet physico-chymico-mechanico-mathematicis, magno & splendido verborum apparatu, à priori, ut ajunt, & ad oculum usque demonstrarem, indeque

deque confidenter indicarem, quomodo & quibus morbis tot ſpirituum ſulphureorum, igneorum, æthereorum, aëreorum, tot ſpiculorum, angulorum, bullularum, globulorum, & quorum non ope ſpecialius opitulari poſſent? ſed tenent me plura, cur in hanc lubricam & ambiguam conjecturandi palæſtram lubens tranſcendam. Tenent me in genere fallaciſſimæ à poſſe ad eſſe concluſiones, ſtomachum tantum non ad auſeam usque moventes. Tenent me monita, firmiori innixa talo, longe præſtantiſſimorum virorum, quorum exemplum præbet D. VAJUS, notante & aſſentiente RIEDLINO *A. N C. Dec. II. an V p.* 406., quando inquit: *Meo quidem judicio, non tantum è mineralibus, quæ continet aqua ſoteria, de uſu & efficacia decernendum, ſed maximum eſt experientiæ tribuendum: Ita ut cognoſcitur è fructibus arbor, pari modo ex effectibus demum vires aquæ ſalubris cognoſcuntur.* Tenent me denique acutæ & mordaces veterum, & imprimis moderniorum quorundam cenſuræ, quibus argutiæ illæ phyſicæ nimiæ & ſaltem theoreticæ increpantur & caſtigantur. Lubet hic præ multis meminiſſe judicii, quod fert jam cit. Dn. D. CARL *in Tr.* **vom Gebrauch und Mißbrauch der Geſund-Brunnen** *p.* 40. *ſeqq.* & ita ſonat: Iſt nicht bey ſo vielen Waſſer-Scribenten eine ſo gar wäßrige Anweiſung zu dem gantz general objecto indicationis, indicati & indicantis, daß keine Documenta und Experimenta practica beygebracht werden, welche die Anwendung dieſes Waſſer Mittels in die gehörige ſyſtematiſche Ordnung bringen könten? Findet man nicht ſo viel Großſprecherey, tanquam ſuſpenſam hederam, von den Brunnen-Doctors? Sind nicht ſo viel Muthmaſſungen, wenn man nur den Haupt Grund gern wiſſen möchte, in welchem genere vitalitatis læſæ dieſe Artz-

ney-Art sicher, nothwendig und nützlich zu gebrauchen sey? Ja wenn ein Patient vor seinen Zustand gern einen Rath fodert; so heißt es mit pleno στοχασμῷ: es sey ein fürtrefflicher Brunn, man müsse es versuchen/ vielleicht rc. In solchen wichtigen Wercke heißts nun immer vielleicht, zum grossen Mißtrauen über die Medicos, weil selten die Brunnen von ihnen mißrathen werden. Wäre es also nicht weit nützlicher, in solchem Heylungs-Vorwurff um einen mehr gewissen Satz besorgt zu seyn, als um die generalia physica der Beschaffenheits des Halts so viel dicentes zu machen? Gewiß der Vorwand ist nichtig; als wenn dadurch der Weg zum eigentlichen Nutzen müsse gebahnet werden; sintemal schwerlich solches mit Exempeln zu beleuchten, daß eine Artzney aus raison, à priori, in Credit gerathen, sondern allezeit eine ohngefehr geschehene und gleichmässige Erfahrung das Werck in Gang gebracht. Darum obschon die physicalische Untersuchung an seinem Orte und Werthe gerne stehen lasse, und diese subtile Lustbarkeit den Brunnen-Gästen und Wirthen gönne; so sage doch, daß es weit nöthiger sey, diejenige Gewißheit zu bekommen, wo / wie in welchen Umständen man solche Mittel wohl und klüglich anwenden solle / als mit tausend experimenten, und so viel microscopiis alle Eckgen und Spitzgen der flüchtigen und fixen Brunnen-Geister zu durchschauen. Denn nutzet uns wohl in der gantzen Pharmacie solche Subtilitæt zum Hauptwercke der Therapie? Ob man wohl einen Medicum nicht für sehr ungeschickt sollte halten, wenn er die innere Beschaffenheit der einfachen und zusammen zugesetzten Arneyen nicht wüste, uud deren Art zu

wür-

würcken durch physicalische und mathematische Demonstrationes nicht vorstellen könnte. Aber was hat diese Physica (denn es ist nur die Physic, ob es schon vielen schwer zu glauben und zu begreiffen vorkommen sollte) für einen sonderbaren Einfluß in den geraden und unmittelbaren practischen Nutzen? Wer hat wohl aus der physicalischen und chymischen Untersuchung erfahren, daß Rhabarber und Jalappa purgiren; andere radices resinosæ amaræ schweißtreibend und Magenstärckend seye? Wer sollte schliessen à priori, daß Cinnabaris ein antispasmodicum, mercurius dulcis verdünnend und laxirend sey? Nur da wirs wissen à posteriori; so müssen nothwendig unsere supposita sich appliciren lassen. Ist also wohl zu begreiffen, wie das gantze Werck in dieser Materie auf eine rechte Erfahrung ankomme / welche wichtiger ist / als alle Vernünfteleyen. So ist nur dabey zu erinnern, daß solche experimenta vor andern physicalischen Beschaulichkeiten auf das genaueste gesucht und ans Liecht gestellet werden. Besser ists vor Wissen und Gewissen, GOtt und den Menschen das Zeugniß eines sorgfältigen Medici, als eines hochgespitzten Physici darzu stellen.

His ego totus convictus, quin aliquo modo conterritus mitto promptissimo animo omnes illos subtiles & sublimes conatus theoretico-physicos. Mitto omnes, splendidissimos etiam, conceptus indicativos. Mitto omnia magis à priori desumta decreta medica, quantum alias his antiqui & moderni insudarunt Medici. Valet respectu thermarum nostrarum perapte tritum illud: *Non opus est conjecturis, ubi rerum aperta & manifesta adsunt testimonia.* Quippe hæ nostræ non heri demum aut nudius tertius ex-

ortæ

ortæ sunt, & in usum tractæ. Fundunt jam per multorum seculorum decursum soterium laticem, & tam multiplici & plane consummata se commendarunt experientia, innumerisque ferè & verè practicis innotuerunt usibus, ut speculativos & theoreticos vix superaddere admittant, quam profunde alias & acute excogitatos. Qui ergo huic superfluo insudare possem labori, quin plane inane meditari & conari? Potius cum nunc mecum constitui, thermarum nostrarum tradere, virtutes, effectus & usus; solam illam multoties expertam experientiam, omnes Medicinæ practica supremam magistram, tanquam securissimam & firmissimam amplector basim. Hac suffultus à posteriori magis, ab eventu scilicet, ***non possibili, sed potenter solemni***, palam faciam & ostendam quibus morbis fontes nostri calid, ***verè & actu, non una, sed innumera vice*** profuere & adhuc prosunt. Ubicunque denique ne nihil plane Theoriæ indulsisse videar, rationes brevibus subnectens physico-medicas, quantum quidem judicii feret conditio & acumen. Moneo tamen insuper & in antecessum, me minime omnes morbos nominetenus adducturum esse, quibus unquam Thermæ nostræ tulerunt opem. Multo minus rariores, insperatos, inexspectatos & plane specialissimos tangam. Nisi enim hoc penitus vetaret propositi circumscripti ratio; procrastinat id tamen illa circumstantia, secundum quam, Deo volente, peculiares plane casus, vel à me, vel ab aliis notatos, peculiari scripto publici juris facere mens immota sedet. Sufficiat ergo hac vice præcipuorum tantum meminisse affectuum, & illorum maxime, qui vulgari cum applausu, exemplis uberrimis & annue repubescente experientia sensus incurrunt, animosque occupans.

Primo: Stupendos & primarios plane edidere & adhuc edunt Thermæ nostræ effectus in affectibus paralyticis, hemiplecticis, membris nervorum & musculorum tono fractis, enervatis, resolutis, laxatis, & torpentibus. Non satis enim

enim dicendum, quam egregié tonum & robur ſolidorum erigant & firment, & quam mirificé partes nervoſas & muſculoſas, ob lenti aut deſidis humoris decubitum, aut alio modo viribus ſuis orbatas & dejectas roborent. Anchoram ſalutis absque jactantia illas dicerem enervatorum & elumbium, niſi ſub hoc titulo reapſe jam permultis inclaruiſſent. Adeo enim principio ſuo ſulphureo, ſpirituoſo, ſubalcalino & calore acceptiſſimo ſuffulciunt atonas fibras; adeo diſſipant tenaces intra ſtabulantes humores; adeo avocant nimium ad debilitatas partes affluxum; adeo revocant ſenſum abolitum; adeo promovent circulationem ſanguinis; adeo adjuvant reciprocum humorum curſum, reſerantque impactiones; ut hic ſolùm genuiné reconvaleſcere & robur priſtinum colligere poſſe crederes, viribus quomodocunque exhauſtos. Recte hinc ſcribit *noſter* ZINDELIUS, poſtquam varias adduxiſſet ſpeciales obſervationes: „Den Paralyticis „kan kein beſſer Bad weit und breit gefunden werden„ *Tract. II. p.* 22. Conſurgunt hîc relevati, qui ani lubricitate & procidentia, qui urinæ ſtillicidio & incontinentia, qui paralyſi ſphincteris veſicæ, quæ uteri prolapſu, quæ fluore albo, qui partium internarum abdominis, imprimis vero tono dejecto, qui externis intumeſcentiis cachecticis, qui tumoribus pedum œdematoſis, qui tremoribus, languoribus, gravitatibus & imbecillitatibus artuum, qui ſpermatis virilis ſtillicidio, qui membris fractis, qui herniis inteſtinalibus initiantibus, quique demum poſt morbos diuturnos perpeſſos, aut alio modo motuum vitalium aut naturalium ullo laborant defectu.

Secundo: Neque inferiora ſuppetunt Thermæ noſtræ auxilia & levamina morbis perplurimis ſpasmodicis, dolorificis, quin plane convulſivis, membris rigidis, contracturis, ariduris, rheumatismis, ipſis quoque podagricis & calculoſis, tam ad paroxyſmum præoccupandum, quam jam

declinantem eò citius & felicius terminandum. Quippe gratissimo calore, lubrica & unctuosa terra, subpingui magmate, & imprimis unda molli, miti, leni, exsuccas nimis partes admodum humectant & irrigant, rigidas & tensas emolliunt & laxant, strictas, crispatas & corrugatas reserant & solvunt, dolentesque denique leniunt & demulcent. Certe & modis maximè momentosos & plane divinos, semper ediderunt effectus, ut ideo *Dn. D.* ADOLPHI *cit. Disp. p.* 47. æquo jure affirmare potuerit: *In his casibus gravioribus præ omnibus aliis balneis nobis notis palmam præripiunt, adeo ut ad nostras artuum articulorumque affectibus capti ad ultimam quasi asylum, ob tot felices, quos in iis procurandis edere solent effectus, longe lateque notos, confugiunt.* Consentiunt, quæ habet *D.* SCHWENKFELD **vom Hirschbergischen Warmbad** / *p.* 42. **Den Gliedern ist es ein kräfftig Bad, bequem und gut für allerley Geschwulsten, Schmertzen, Reissen, Aufdunsen,** Contractur **und Lähme, fürnehmlich für das Zipperlein der Glieder, Hände, Füsse und der Hüfft,** Ischiadica **genannt. Ich habe ihrer viele gesehen, welche von fremden Orten gantz** contract**, krumm und lahm zu diesem Bad gebracht worden sind, und gute Besserung empfunden haben, ja gesund aus dem Brunnen gegangen sind, da man sie zuvor hinein tragen oder führen müssen rc.**

Tertiò: Morbos insuper, ab inæquali circulo sanguinis, vel plane impedito derivantes avertunt, congestiones sanguineas, imprimis vero serosas, vulgo frigidas dictas, præmuniunt aut disrarant; catarrhos varii generis solvunt; quin hæmorrhagiis ipsis opitulantur. Horum singulorum innumerum enumerare possem numerum. Sufficiat tantum mentionem injecisse vertiginis chronicæ à causa magis serosa, cephalalgiarum immodicarum, affectuum soporosorum, ocu-

lorum

lorum & aurium manationum & dolorum, visus hebetudinis, auditus difficultatis, infarctus pectoris, lienis, hepatis, uteri & in genere mali hypochondriaci & hysterici, tanquam lernæ symptomatum morbosorum. Debent has suas soterias facultates præprimis gratissimo suo calori & spiritui, quem irretiunt, agillimo & subtilissimo, ubique corpus penetrando, humores stagnantes & desidé stabulantes distrarando & resolvendo, motum sanguinis universalem augendo, circulum ejus æqualem & liberiorem reddendo, imo motum, tonicum hodié dictum, firmando & impellendo. Hoc ultimum tantum non omnes, balnea ingredientes, experiuntur; ubi exterior corporis habitus, stimulante imprimis principio sulphureo, tam sensibiliter constringitur & corrugatur, ut clamitent: **es ziehe oder schnüre ihnen den Leib zusammen, daß sie es recht mercklich fühlten.** Est hic effectus inter palmarios thermarum nostrarum referendus. Sub hac enim sensibili cutis & subjacentium musculosarum partium constrictione plurima pars humorum exterius hospitantium intus reprimitur, imo ad tempus retinetur, quæ nunc dilatando, pandendo, incidendo, colliquando, lubricando, emolliendo, diluendo, humectando, resolvendo, abstergendo variarum internarum & pertinacissimarum obstructionum repagula laxat, & partes oppilatas egregie deobstruit, ut maxime inde valeat de nostris, & huc quadret illud HOFFMANNI, *Opusc. Phys. Med. Thom. II. p.163. Calidæ aquæ dum oppilata in mesenterio, hepatis & lienis viscere, vasa reserant, ductusque biliosum humorum convehentes ab impactis exonerant & liberant, cachexiæ, scorbuto, ictero, melancholiæ hypochondriacæ, contumacibus quartanis febribus, nec non aliis intermittentibus, imprimis prænaturé, causa earum adhuc intus delitescente, suppressis, insigni cum levamine succurrunt.* Ex hoc eodem fonte atrophiæ, rachitidi, tympanitidi, colicæ flatulentæ, hæmorrhoidibus

obstructis, cœcis, intestinis saburra viscida, mucosa, glutinosa obrutis, sterilitati mulierum, abortui alias consueto aut imminenti, & inde quoque efficaciter menstrua sexus sequioris obstructa, aut difficulter manantia cient.

Quarto: Thermæ nostræ morbis omnibus ab impedita aut retardata, aut plane suppressa transpiratione provenientibus medentur. Eheu, quantum Augiæ repurgant stabulum medicum! excretionem quippe admodum vegete promovent, dum non solum Spiritus, caloris & elateris sui adnisu canales dilatant & expandunt & occlusa emunctoria cutis reserant, subtus stagnantes humores rarefaciunt; verum etiam sulphureo suo principio & imprimis salinis, quibus aquarum interordinia referta sunt spiculis, materiam viscidam, crassam, tubulorum lateribus appositam, impedimentumque liberiori transsitui objicientem, promte dissolvunt & eluunt, nerveas sensibilioris texturæ fibras ac membranas lacessunt & vellicant, ut aucto horum motu, superflua in organorum secretioni dicatorum officinis separentur, exprimantur & soluta è corpore proscribantur. Nec hanc periphericam solum, sed & alias corporis excretiones facilitant, eliciunt, & maxime antea dicti motus tonici aucti ope proritant. Videmus enim plurimos balneantium largiter alvum deponere. Videmus alios largiter urinam emittere. Videmus alios largiter salivam fundere. Quibusdam efficiunt hæmorrhagias narium; quibusdam hæmorrhoides; quibusdam menses, ut alia taceam. Quis ergo thermas nostras non jure & æquo genuinum & verum, imo universale existimet corporis purgatorium?

Quinto: Opitulantur insuper tumoribus varii generis, duris flatulentis, œdematosis, callis, nodis, pernionibus, tophis podagricorum, imo strumis incipientibus; quos singulos partim colliquant & emolliunt, partim dissipant & discutiant, partim resolvunt & deobstruunt, partim repellunt & partes laxatas firmant & refocillant. Sanguineas quoque

&

& subcutaneas suggillationes, suffusiones, stagnationes à causa externa ortas efficaciter auferunt. Imprimis vero perplurimis cutis vitiis & decolorationibus, imò fœdissimis & alias insanabilibus, quin plane leprosis occurrunt exulcerationibus, mirificè admodum abstergunt, mundificant, eluunt, siccant, consolidant, & ab iis laxatum cutis tonum suffulciunt. Testatur hoc iterum suo jam tempore & perantiqua experientia vir experientissimus Dn. D. SCHWENKFELD, quando *cit. loc. p.* 54. ait: **Schlüßlich heilet dieses warme Bad allerley Mängel, Gebrechen, Unflath der Haut, als da sind allerhand flüssige Grinde, böse Krätze, Rauden, um sich fressende Flechten, Zittermähler, Schupen, Jucken und Beissen der Haut, angehenden Aussatz, heßliche Farbe, Flecken und andere dergleichen Unreinigkeit.** Et possent hæc singula dicta uberrimis demonstrari exemplis, quorum ego aliquot memori recondo mente, captum pene omnem humanum exsuperantia. Sed & hæc differo ad aliud tempus. Confiteor interim, effectus hos tam stupendos me palmariò adscribere principio evidenter sulphureo. De sulphure enim hodie satis superque notum est, quod externe adhibitum scabiem & alia ulcerosa inquinamenta præsentissime corrigat & repellat; licet non plane negem, contribuere suas quoque vires consocia ingrediensia, suumque addere quodvis symbolum. Imprimis calor adhuc peculiarem edit effectum, quippe qui aut arte, aut ultro repulsos, aut retrocedentes cutaneos affectus iterum revocat & externo corporis cortici infigit; quod & de podagra valet retrocessa.

Speciali adhuc gaudent Thermæ nostræ facultate, quod scilicet solemnissime sub earum usu, aut etiam post eum, exteriorem corporis habitum sensibili suffundant rubore, qui tandem sese in maculas & efflorescentias explicat, & cutim sub forma papularum vel pustularum minorum, rubentium,

tium, vel etiam subalbicantium obsidet. *Ordinaria,* inquit Dn. D. ADOLPHI c. l. p. 40. *nostrarum thermarum operatio, quam omnes propemodum, maximè balneantes, experiuntur & quæ iis quasi propria censetur, est, quod post aliquot modo ex balneo dies cutis rubris maculis aut purpura totius corporis, cum maxima euphoria suffundatur, quæ efflorescentia modo in his per unius saltim septimanæ spatium, modo in aliis per plures 3. 4. 5. atque quandoque 6. hebdomades & ultra subsistit & vel balneo continuato iterum decedit, vel etiam non raro post usum balnei absolutum protrahitur. Imo nota sunt exempla eorum, qui domum jam reversi per tres menses purpurati manserunt & quibus hæ cutis efflorescentiæ tribus vicibus inter hoc tempus redierunt & sponte sua temperato regimine habito, cum euphoria etiam decesserunt.* Controversum hactenus diu multumque, undenam & qua de causa proveniat hæc ecthymatica excretio? Abusui horariorum & imprimis fragorum & cerasorum, ob æmulum forsan ruborem, ingenuose magis, quam judiciose & solidè adjudicat; verius autem impuritati sanguinis, incongruæ diætæ & nimium calido regimini adscribit D. Schwenkfeld in cit. Tr. quando *p. 76.* sentit: **Es kommt aber diß Ausschlagen her vielmehr aus Unreinigkeit des Geblüts, indem der Leib nicht gnugsam von derselben scharffen Feuchtigkeit gereiniget worden; auch von überflüssiger und zu unrechter Zeit zu sich genommener Speise, darzu nicht wenig Ursache geben, Erdbeeren, Kirschen, und andere rohe Früchte zu Ubermaß genossen, item hitzige Weine/ heisse Wannen, welche etliche zum öfftern brauchen, nur daß sie sehr darnach sollen ausschlagen, mit welchen sie ihnen doch mehr schaden.** Alii & imprimis modernorum non pauci cum magno eruditionis profundissimæ viro & Helvetiæ celeberrimo Naturæ Consulto Dn. D. SCHEUCHZERO *Ephem. N. C. Vol. II. Append. p.* 48. sentiunt, *non pendere*

re has efflorescentias cutaneas á calore duntaxat tubulos secretorios cutis laxante & ampliante, sed & á particulis in aqua contentis salinis, cutim quodammodo stimulantibus. Meam ut exponam hac de re mentem, lubens confiteor, trahere hanc purpuraceam cutis excretionem suam quidem & sæpius etiam originem ab impuritatibus in corpore & succis vitalibus exsuperantibus, imprimis, ubi balneis utentes, his ne minimum quidem præparati aut ullo modo expurgati insident, aut sub eorum usu diætæ inconventi indulgent. Omnium vero sæpissime, fateor, idem accidere, ut illa soli incongruo regimini sua debeat incunabula, quando balneantes nempe sudores, quos tamen Thermæ nostræ in quovis subjecto, & maxime in disposito, sub quovis insessu, quovis tempore proliciunt & æstimandos plane volunt, vel minus debite post egressum balneum fecundant, vel floccipendunt, vel turbant, vel plane impediunt. Quare neque universaliter necessarium judico, ceu vulgaris quidem vult persuasio, ut tam diu balneis immorandum sit, donec demum excretio illa appareat exanthematica; neque credo, quibus apparet, ideo longe majorem spem salutis promittere. Reliqunt enim Thermas nostras morbis levati, purpurati facti & non Amplector hinc ambabus verissimum & experientia subnixum judicium Dn. D ZINDELII, *cit. Tr. II. p.* 25. Es irren derowegen alle diejenigen, welche nicht eher aus dem Bade ziehen wollen und abreisen, es habe sich denn ihr Leib gefärbet, und lauffe die Haut mit rothen Flecken an, oder werde mit kleinen Blätterlein, wie Hierß überschüttet; und zwar ehe öffter sie auf diese Weise ausschlagen, je lieber ist es ihnen, meinende, die Natur reinige sich und tribe durch das Geblüt ab scharffe schädliche Dünste und mit denen viel böse Zufälle. Solch Ausschlagen ist nicht allemal des Bades/sondern hitziger Constitution sein effect, wer nun von Natur und Art kalt ist, müste sich gar zu tode baden, ehe daß er ausschlüge. Viel baden sich gesund, schlagen aber nie aus.

Quæ

Quæ hucusque de usu thermarum nostrarum multivario dixi, intelligenda sunt unicé de usu earum externo, quod balneum, quatenus scilicet ægri artus affectos soteriis ipsis submergunt undis & his pleno corpore ad mentum usque insident. Innotuere quidem etiam adhuc alii exterius illis utendi modi & particulares plane, ut embrocationes seu stillicida, fomentationes, capitiluvia & pediluvia, gargarisationes, clysterisationes, imo delutationes & similia, mitto autem omnes, tanquam hodie valde obsolescentes, aut plane peculiares, illosque ad propositum meum specialius recondo. Neque earum usum internum, potum puto, pluribus extollam; præter enim quod idem rarius hodie & non nisi in robustioribus adhibeatur, mihi quoque ob principium sulphureum, quo largiter nuptæ sunt thermæ nostræ, non adeo commendari videtur. Qui interim de singulis modis scire cupit plura, adeat superius citatos Autores & inter hos maxime SCHWENCKFELDIUM, ZINDELIUM & ADOLPHI. Potius in fine meæ tractationis pauca quædam adadjiciam verba, de hactenus præconcepta & insolescente pene opinione, ac si Thermæ *Schaaffgotschianæ* Coenobialibus virtute, effectu & usu longe inferiores essent. Ex dictis autem superioribus constat, esse Schaaffgotschianas neque spuriis fontibus adulteratas, neque calore hodie aliquo modo præ cœnobialibus privatas, insuper gaudere longe evidentius principio sulphureo spirituoso elastico, uno verbo, esse quoad ingredientia saturatiores; quis quæso sanæ mentis compos maculam inferioris famæ illis affingere posset. Suadet ratio plane contrarium, & evincit potissimum experientia, valentissima veritatis testis, pollere superiori longé effectu, maxime illis in morbis, qui incurabiles & desperati alias judicantur, ut sunt paralytici, spasmodici, ulcerosi, quin plane leprosi.

Hirschbergæ, d. 1. *Aug.* 1736.

SUB

SUB

VAMPYRI,

AUT

SANGUISUGÆ LARVA

A

VERÆ PHILOSOPHIÆ

ET

RATIONALIS MEDICINÆ PLACITIS
DETECTUM AC DEJECTUM
DEPRAVATÆ IMAGINATIONIS SPECTRUM

PER

FRANCISCUM ANTONIUM
FERDINANDUM STEBLER,
PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTOREM, AC
CIVITATIS MONACHIENSIS PHYSICUM

ILLUSTRI, EXCELLENTISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO

VIRO

DOMINO

JOHANNI JACOBO BAIERO

ARCHIATRO ET COMITI PALAT. CÆSAR. S. R. J. NOBILI,

IMPERIAL. LEOPOLDINO - CAROLINÆ ACADEM. NAT. CURIOS.

PRÆSIDI,

UNIVERSITATIS ALTORFINÆ SENIORI ET PROFESSORI MEDICINÆ PRIMARIO

DOMINO AC PATRONO MEO

OBSERVANDISSIMO, COLENDISSIMO.



Illustris, Excellentissime ac Experientissime Vir,

Patrone observantissime, colendissime.

QUamvis mutua Epistolarum commercia iis maxime solennia esse comperiantur, quibus communia Litteratorum studia sacro quodam & amico vinculo non ligandi tantum, sed & in suæ æstimationis pretio conservandi, novisque identidem incrementis amplificandi præcipua fere facultas obtigerit; in eo tamen *Illustris Naturæ Curiosorum Academiæ* percelebre Institutum præ cæteris sese multa suæ commendationis prærogativâ distinxisse videri potest, quod naturalium scientiarum progressus sedulis observationum, inventionum, ac tractationum annotationibus non minus promovere, quam annuos suos,

 quos

quos ex fertili ſubtiliſſimorum ingeniorum agro ſollicite collegit, eosque uberes fructus univerſæ Litteratorum Reipublicæ publicis typis exhibere, & communi bonorum omnium emolumento ſe ſuaque ex integro deferre laudabiliſſimum ſibi finem ac metam conſtituerit. Hujus ergo utiliſſimi æque ac nobiliſſimi propoſiti intuitu, uti *Illuſtre illud Collegium* ſublimes quosque, & ob profundæ eruditionis copiam à vulgo ſeparatos animos ad ſcrutanda interioris naturæ myſteria generoſis ſtimulis incitat; ita nec humilium quidem & pro curto ſui ingenioli modulo in detegenda phyſici cujusdam effectus ratione utcunque deſudantium conatus ſuperbo oculo deſpicatui habere, quin benigno potius complexu amice fovere, ſuaque confiſis clientelâ omni benevolentiæ ac amoris ſtudio favere ſolet.

Hæc cum ita ſint, *Illuſtris ac Excellentiſſime Præſes*, ecce, quas ampliſſimo tuo Nomini eâ, qua par eſt, ſubmiſſione, inſcriptas volo præſentis tractatus paginas, utpote quas de Tui patrocinii propenſione non ex vano ſibi gloriaturas tanto certius mihi perſuadeo, quo magis inter curioſa, ſeu mira Naturæ effecta, curioſam ſibi, Naturæ Curioſorum meritiſſimo Præſidi conſecrari dignam materiam, elegerint, & in eo tantum aſſerendo ſtudioſe contenderint, quod vera, & arcanæ Philoſophiæ prodigiis conſona ratio conſtituit, non autem ad cujus fidem fingentis, vel ſpectro-

rum

rum larvas perhorrescentis Phantasiæ persuasio leviter inducit. Id quod quidem uti omnibus naturalia phænomena interpretantibus altum cordi hærere exoptarem: ita Tuum jam erit Illustris & Excellentissime Vir, ut has meas ingenii primitias æqui bonique consulere, Tuoque immenso Favori & Patrocinio commendatissimum habere haud dedigneris.

Illustris & Excellentissimi
Nominis Tui

Dab. Monachii d. XVII. Septembr.
MDCCXXXII.

Perpetuum Cultorem
Franciscum Antonium Ferdinandum
Stebler.

ARTICULUS PRIMUS.

In id potiſſimum inquirit, quod ſub Vampyrorum, aut ſanguiſugarum nomine vulgus proprie intelligit.

PErtractanda inpræſentiarum *Vampyrorum*, hiſtoria, ut ſua ei â commenti ſuſpicione remota veritas conſtare poſſit, circa illorum præcipue relationem & accuratam inveſtigationem occupata erit, quorum non dubiam fidem ſuperiorum juſſu & auctoritate inſtituta, pluriumque rem certam aſſerentium teſtimonio roborata inquiſitio, ex *Serviæ* quodam ad *Albæ Græcæ* confinia ſito tractu haud ita pridem, non alium, credo, in finem nobis confirmavit, niſi ut narrationes mirum quantum luxuriantes annotantium, & de ludicris Vampyrorum prodigiis plenum ſibi aſſenſum extorquere conantium, ad anilium potius fabularum nugas ablegandas, quam inter veros Naturæ effectus collocandos eſſe doceamus, tunc denique nuturalium rerum æqui conſores futuri, ſi haud iniqui cum lenitate & levitate aſſenſores erimus. *Vampyrorum* igitur, quos diſtincta crudelitatis ſuæ nota *Sanguiſugas* etiam vocant, cruentas animas id genus cadavera inhabitare ferunt, in quibus velut â communi putredinis lege exemptis, extra ſæpius venarum anguſtias ſe effundens, purpureoque colore feralia lintea tingens fluidi ſanguinis maſſa non tantum ebullit, ſed dentium etiam, unguiumque apices nova nutritionis acceſſione germinant, & roridæ pinguedinis portiones ſuo ſe jugiter incremento dilatant.

Atque hæc, ſi vulgi ore loquamur, Vampyrorum ſpectra, nocturno ut plurimum tempore ſuis in cubiculis, objecto etiam, repagulo hoſtium inſultus arcente, incolas crudeli rabie invadunt, nil horum pertimeſcentibus morſu ſanguinem eliciunt, & exquiſitis cruore ſuffuſorum ſtigmatum notis ſuæ crudelitatis veritatem â falſi ſuſpicione eximunt, dum interim Vampyri hujus, qui diſtinctam ſui ideam memoriæ illorum imprimit, quorum ſanguinem exſuxit, immutatum absque ullis, quæ reſeratum, aut apertum id fuiſſe teſtaretur, indiciis deprehenditur ſepulcrum. Et licet magna vulneratorum pars ſuæ afflictionis non inane ſæpius auxilium in ipſo Vampyri talis ſepulcro quæſierit, dum ſcilicet extracto inde ejus cadavere, pectore ſub evidentis ſuſpirii aut gemitus perceptione confracto, capite amputato, ſingulis his tandem combuſtis, maleficos Vampyri cineres, ne id genus monſtra terræ gremium de novo concipiat, in profluentem projecêre, atque hac tandem ratione â cruentis ſe morſibus liberos præſtitum iri credidere. Sæpius tamen evenit, ut plura Vampyrorum cadavera, quæ cum ſuæ jam putredinis coeno colluctabantur, ſalutaris aliàs hujus remedii eventum eluſerint, & irritos iſtorum conatus reddiderint, qui propterea ad arcendos horum ſpectrorum terrores alterum illud remedii genus petebant, ac illito ſibi hoſtis ſui recenti ſanguine, â ſepulcri, quod relicta cruentæ ſuctionis ſpecies notum fecit, pinguis terræ reperita vice portionem ore ſumebant, nec tamen inde, ne ſcilicet ſola ſit hæc calamitas, ab illius legis acerbitate exempti, quæ non habito ſexus, ætatisve diſcrimine, tales â Vampyris demorſos pariter mordentes ſua poſt fata Vampyros agere, & ſanguineam Vampyri plagam in vita expertos, ſanguineis pariter dentibus in alios poſt mortem furere jubet, iis etiam ad præſtandam huic decreto obedientiam obſtrictis, qui animalis Vampyri alicujus ſuctione vulnerati carnes cibi loco comederunt. Cæterum

terum uti crebra observatio â Vampyrorum molestiis exagitatos mortem ut plurimum in propinquo habuisse demonstravit, ita in præsenti ea explicasse sufficiat, quæ sub *Vampyrorum*, aut *Sanguisugarum* nomine vulgus intelligat.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Regionibus, in quibus dictorum Vampyrorum spectra molestiis frequentissimis infesta se reddunt.

CUjusvis telluris gremio cujusvis fructus speciem minime foveri, non aliter extra dubium esse potest, quam Zizaniorum omne genus in ejusdem nequaquam terræ sinu radices figere, & infelici stirpe germen propellere in comperto haberi debet. Vampyrorum certe lucida progenies insolitæ & peregrinæ suæ novitatis intuitu tantam sane haud excitabit admirationem, quoniam primi hujus fabulæ propalatores patrium ipsius solum in his ipsis Regionum tractibus quæri oportere referunt, quorum incolæ, brutis magis quam hominibus similes, illud maxime solemne habent, ut putrida, quam crudam præ cocta dicere posses, demortuorum etiam animalium, caro, lautissimæ veluti epularum deliciæ, consuetas ipsis mensas instruat, & recens ê vena missi bullientis cruoris, ac equini præcipue lactis potus, Diis invidendum nectar præbeat, exinde profecto efferi horum populorum mores, inculta educatione & immiti consortio se prodentes, horumque ab omni multum humilitate discrepans dura asperitas in causa sunt, quod effusi de die alieni per scelus sanguinis parum anxii barbari, id saltem ex vindicis talionis æquitate supplicii luant, ut suo quoque sanguine per crudelem suctionis speciem, quam terroris plena imaginatio

ginatio objiciat, de nocte priventur. Quibus omnibus aut nullam illorum, aut illam certe religionis normam merito adnumeraveris, quæ pluribus ſuperſtitionum vanitatibus vitiata non minus ſana, vitæ honeſtatem ſuadentium principiorum conſilia, delet, quam reliquas rationis ſcintillas denſis errorum tenebris extinguit, haud alio exinde lucro his populis accedente, quam quod omni prudentia & perſpicacitate deſtituti, peſſimisque conſcientioſe vivendi regulis depravati non ſolum rationalem cum hominibus agendi normam ad ſuæ imaginationis ludicra, ſine melioris fructus ſpe, componant, ſed Vampyrorum inſultibus miſere obnoxii, ſuum poſt obitum, pariter facultatem, Vampyrorum fabulam interconterraneos ſuos ludendi, obtineant. Atque hinc, uti deſertorum intima, ſi modo id genus hiſtorias memoriæ conſignans calamus eſſet, moleſtis Vampyrorum fœtibus ſcatere deprehenderemus, ita nullam eſſe regionem comperiremus, quæ non, incolis ad eandem inconditorum morum & incultæ vitæ feritatem deflectentibus, ſimili Vampyrorum crudelitate infeſtata audire poſſet.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum Vampyrorum corporibus vitam concedere, aut denegare oporteat?

PRæſentis quæſtionis difficultatem apta facilius reſponſione explanare liceret, ſi vitæ, ac eam quæ vitæ oppoſita eſt, mortis rationem, concors Phyloſophorum ſententia definiiſſet, pro certo interea nobis relicto, omne illud, quod animam, ſeu vitæ principium in ſe foveat, de veræ etiam vitæ perfectione participare.

Cum vero triplex ſtatuatur, pro qua Peripateticus, ejusque ſectatorum turma decernat, animarum ſpecies, tunc maxi-

me, ubi vegetantis, seu ad suum se incrementum ex intrinseci motus inclinatione determinantis animæ actus observandos se præbent, ipsam quoque vegetantis vitæ radicem, seu animam, jure ibi requiri posse in propatulo est, Vampyrorum certe corporibus, qua floridi sanguinis ebullitione, recenti unguium, crinium, dentiumque germinatione, ac ipsius etiam auctæ pinguedinis accessione præ cæteris demortuorum cadaveribus sese distinguuut, haud obscuram vegetantis vitæ præsentiam demonstrantibus, quibus etiam si suspiriorum, quæ confractis eorundem pectoribus adstantium aures perterruêre, tristia lamenta, tentatos de nocte insultus, cruentasque suctiones adjunxeris, de sensitivæ saltem, seu animalis vitæ indiciis ibidem persuadebunt; rationalis interea animæ præsentiam Peripateticis non minori verborum, quam jurgiorum contentione determinaturis, & difficilis quæstionis obscuritati densiores intricatarum responsionum tenebras suo pro more obducturis. Si vero nostræ sententiæ firmitatem in verioris simul ac secretioris Philosophiæ fundamentis collocare libeat, vegetativam profecto animam, catalogo animarum expunctam, & omne, quod præter sui vegetationem altioris nobilitate insignitum se non prodit, é viventium sublimi ordine deturbatum, aut iis saltem, quæ non nisi analogiæ propinquitas viventium classi adjungit, jure annumeratum videbimus, illo certe, quod crescit, haud aliam ob causam suo se incremento explicante, quam quia ad nutriendi corporis portionem scite appositus nutriens succus secundum triplicis, in longum, latum & profundum se protendentis mensuræ æquitatem membri intima pervadit, spatiolorum minima explet, & in omnem sese partem diffundit, adeo tamen in hoc vegetantis naturæ molimine nullo se vitæ indicio manifestante, ut etiam in vanum recidat inánis Peripateticorum conatus, nutritionis aut accessionis opus in illud, quod vel ab intus, vel ab extra

tra contingere credunt, magis ſollicitè, quam vere diſtinguentium. Sicut enim, ſive per introſumtionem, ſive per nutrimenti appoſitionem, juxta Peripactici phraſin, accidat nutritionis actio, præter nutrientis ſucci motum, quietem, & aptam, quæ organicæ ſtructuræ ordine neceſſario fluit, agglutinationem, haud aliud quidquam innuit; ita non ad ſimilitudinis ſpeciem detorta, ſed genuina vitæ ratio in hoc præcipue ſe fundatam agnoſcit, vivens illuminatâ, & ab omnis materiæ imperfectione repurgata quadam comprehenſione ſuum non modo objectum complectatur, ſed & in illud vitali intrinſecæ repræſentationis motione, & ſpirituali tantum intellectui familiari, virtute convertatur. Quamvis enim *Atomiſtarum* quidam quos alioquin dirus peripateticorum ſarcaſmus *corpuſcularios* vocitat ac *pulviſcularios Philoſophos*, illorum, quæ ſentiunt, entium genera, itidem claſſi viventim adjudicent, hujus tamen ſentientis animæ operationes extrinſeci tantum motus & quietis determinationem, atque artefacti proprietates, æmula quadam non item ex intrinſecæ facultatis deliberatione profecta cauſa, eſſe autumant, omni certe externo ut plurimum impulſu, & confuſorum ſpirituum, quæ inſolita gyratione excitatur, ſenſatione, ita ſaltem conſtituta, ut quâdam motus ſpecie objecti corpus afficientis conditionem menti depingat, ex cujus dein arbitrii officii ratione concludendum eſt, quod integrum de ſui corporis conſervatione declinandis incommodis, & procurandis commodis judicium, de perceptæ voluptatis dulcedine exaltatio, de doloris denique acerbitate execratio dependeat. Et hoc profecto illis ſolum creaturis, quæ ſpiritu ratione utente, & ſuorum negotiorum momenta multa cum ſollicitudine, unumque ex altero ſolidè inferentinm argumentorum ponderatione, abſolvente, præditæ ſunt, veræ vitæ perfectionem æque attribuendam eſſe arguit, quam Vampyrorum corporibus, â quibus per

mortis violentiam separata mens recessit, omnis vitæ denegandam sublimitatem penitus innuit.

Esto enim, ab imminentis mali timore communius elicita suspiria de præsentis animæ notis testari posse, tamen, quos fracto Vampyrorum pectore observatos fuisse somniant gemitus, in confusos potius, & non distinctos in thoracis cavo latentis, & per trachcæ ramos impetuose prorumpentis aëris sonos rejicias necesse est, nec floridi sanguinis effervescentiâ, nec unguium etiam, & pinguedinis incremento Vampyris vitam evincente, sed potius ostendente, quod auctæ post mortem pinguedinis species haud aliud quidquam, quam â putridi fermenti habitu agitatorum humorum tumor revea existat, illis præsertim hujus rei veritatem confirmantibus; qui de suæ pinguedinis accessione, & perfectæ nutritionis extensione in vanum sibi blanditi, lethalem suo in corpore inflationem se circumferre Medicis sæpius observandum præbent. Ex quo pariter prorumpentium de novo unguium, crinium & dentium incrementa deduci posse in conspicuo est, harum scilicet partium materia jam ante animæ separationem circa bulbos ac radices collecta, nunc autem â putrescentium humorum fermentativo motu foras propulsa. Hinc sicuti talem unguium, dentium ac crinium recentem eruptionem, uti plurimorum cadaverum inspectio probat, ita, quæ Vampyris vitæ concessionem emendicet, sola forsan peculiaris disquisitionis studio digna fluidi adhuc sanguinis effervescentia restaret, id tamen minime effectura, ut exinde Vampyrorum corporibus animæ præsentiam stipulaturi simus.

ARTI-

ARTICULUS QUARTUS.

An in Vampyrorum tantum cadaveribus fluidi sanguinis effervescentia conspiciendam se præbeat?

QUis humano in corpore scaturientium humorum in suæ mixtionis resolutionem plenariamque putridam corruptionem celerrime inclinet, ê venis fluens sanguis testatur, qui non emissus antea, quam â frigidi aëris vi turbatus, nescio an citius subsistere, an vero in diversa dissidentibus sui partibus putrescere incipiat, observatione certe tanto minus attentos animi oculos subterfugiente, quanto magis fluidi purpurei & ê vasis se effundentis sanguinis ebullitionem, quæ etiam post nonaginta & amplius dies salva perdurabat atque integra, in Vampyrorum â putredinis necessitate, fere exemtis corporibus admiramur. Et hæc quidem nullo sane jure in Vampyros collata gratia novis contentionum æstibus Philosophorum disputandi pruritum acueret, nisi esset, unde id privilegii genus omnibus ferme demortuorum cadaveribus commune redditum scirent. In cujus quidem nostri asserti probatione, ut certa ab incertis distinguamus, eo præsertim unanimi voto inclinandum reor, ut intestina fermentationis motum esse agnoscamus, penes quem primaria saltem, si non unica putredinis causa stet. Sicut autem caloris moderatio, & recens appellentis aëris exclusio potissimæ fermentationis causæ dici possunt, ita nihil certe sublata corporis cum anima communio, consequens omnis motus intermissio, & inducta exinde humorum coagulatio nos morabitur, quo minus suo in sepulcro coarctati corporis resolutionem alio modo, quam per coagulati antea, jam vero fluidi sanguinis fermen-

tationem accidere posse concipiendam dicamus. Namque ubi per temporis aliquale spatium sub terra defessum cadaver quieverit, putrida protinus effluvia, quæ conclusus, & ad caloris non minus, quam humiditatis excessum vergens aër excitavit, sanguinis intima penetrant, & ex coaguli tenacitate paulo ante immotos humores, omni ex parte diffluere, ob auctam dimensionis molem venas extendere, & si canalium angustiæ dilatationis locum alicubi præpediunt, latera perrumpere cogunt; cum sine hujus intestinæ & rapidæ motionis turbine nullius unquam corporis, cujus partes per suarum superficierum ex asse sibi congruentia plana firmo invicem nexu copulantur, penitus dissolvendam, quin potius, ubi frigidæ septentrionales regiones id docent, per plures annos sine noxa perdurantem unionem conspiceremus. Quod vero quorundam Vampyrorum corpora, quorum nihilominus immanes umbræ sanguinolentis morsibus minime pepercisse videbantur, in suæ jam putredinis squalore consenuisse observata sint, id merito peculiarium, & corruptionem accelerantium conditionum ac morbi præprimis, cum quo æger ultimo conflictabatur, rationem, nec non in sepulcri diversam profunditatem & terræ proprietatem conjiciendum putamus. Si de reliquo, unde suæ integritatis durationem, & floridi sanguinis ebullitionem peteret, quadam prærogativa munitum crederes Vampyri cadaver, mihi certe secretiores naturæ mystis haud ignotam hujus causam præmissa thesis, quod horum populorum sitis gratissimo equini lactis, aut calescentis adhuc ferini sanguinis potu restingui ut plurimum soleat, apertius explicare, & mumialis spiritus miracula deprædicare posset, cujus incolumis, & â contrariæ causæ conatibus minime violata virtus non tantum cum Vampyri sanguine, & cum vivi Vampyrique crudelitatem experti animalis spiritibus amica se convenientia sociat, sed etiam Vampyri cadaver â corrup-

tionis

tionis vitio per longius tempus vindicat, & oculorum saltem hebetudini visam integritatem conservat, idque demum ex chymiæ arcanis demonstrat, quod corruptio, seu mors, quæ nonnisi novæ vitæ melior restitutio, & rerum seminibus impressarum idearum illustrior resuscitatio ac explicatio dici meretur, haud alio se damno probrosam reddere consueverit, quam quod ad perfectioris vitæ puritatem & claritatem viam sternat, in præsenti autem fluidi post mortem sanguinis ebullitionem non Vampyrorum tantum cadaveribus communem esse testatum faciat.

ARTICULUS QUINTUS.

Verane sit, an phantastica, qua sanguinem ex hominum corporibus eliciunt, Vampyrorum suctio?

UT in explicando hujus quæstionis momento, quod & suæ difficultatis & utilitatis prærogativa plurimum reliquas hac super re occurrentes controversias antecellit, tanto accuratius & exactius procedamus, scire cum primis convenit, quod *Suctionis*, aut *tractionis* vocabula ob cujusdam tantum anologiæ minus propriam notationem in popularis sermonis usu locum inveniant, adeo tamen philosophicæ criseos acerbitatem non sustineant, quin *suctio* potius & *tractio* præter impeditam, qua aër pollet, gravitatis pressionem & præter consequentem inde necessariam ex apertis vasculis scaturientium humorum effusionem innuere nihil possit, quæstione certe, utrum Vampyri immanitas cruento morsu sanguinem suctione proliciat? idem propemodum innuente, ac utrum Vampyrus sui oris cavitate prementis

ab

ab extra aëris vim avertere, & ſuo, qui in viventis corporis profunda penetret, rabido morſu, id tandem efficere queat, ut per aperta venarum oſcula ex circulationis lege in ſugentis os ſua quaſi ſponte emanans ſanguis Vampyri barbaræ libidini litare, & nefarios pruritus ſatiare poſſit? in qua quidem ſub novis jam terminis conſtituta quæſtione, memori adhuc mente revolvendum eſt, quod immutata & immota Vampyrorum ſepulcra absque ulla, quæ aperta, aut alio quovis modo diducta indicet, vel leviſſima nota, continuo perſeverent animatis nihilominus cruento ſpiritu ſanguiſugarum corporibus ê ſuorum ſepulcrorum cavis circa nocturnas maxime horas proſilientibus, objectis etiam repagulis cuſtoditas cubiculorum poſtes perfrigentibus, & non ſine ad eorum lubitum compoſito diſcrimine jam notis cruciatibus incolas exercentibus: Ut ſilentio prætercam, quod univerſa ſignorum ſeries, quorum ſuperius injecta mentio, quibusque Vampyrorum cadavera â cæteris ſub terra defoſſis hominum cadaverbius diſtincta fuiſſe viſum fuit, adeo ab omnis vitæ communicatione Vampyros excludat, ut hos potius putrida jam corruptione infectos oſtendat, me vero, adjunctarum rerum minutias accurate rimantem, ad firmandam denique concluſionem adigat, oportere, ut omni ea, quam ſibi natura exigere poteſt, impoſſibilitate implicare dicatur, quod cum ſuæ paſſim putredinis primordio colluctans cadaver ſine recluſi ſepulcri indiciis ſeſe elevare, ſerratas conclavium poſtes penetrare, impetuoſe in homines involare, ſanguinem ſuctu provocare, in ſepulcri rurſus antra remeare, & ad usque exacerbatos de novo cruentæ ſitis ſtimulos exſpectare poſſit, & reſpirare. Atque hinc aſſerendum reſtat & concludendum, quod hominum, Vampyrorum morſu læſorum affectio; illi depravatæ imaginationis ſpeciei attribuenda ſit, cujus in Medicorum Scholis nondum proprio nomine inſignita notio, non minus ſuarum proprietatum, quam auxiliorum

liorum etiam conditionem Medicinæ tantum cultoribus manifestare voluit. Atque hinc, cum bene gerendæ, & feliciter absolvendæ curationis punctum exactæ causarum cognitioni insistat, & medentem ab Agyrtarum & cæterorum impostorum malè sano grege secernat, in materialis maxime, formalis, & efficientis causæ differentias non modo sollicite distinguendum, sed & posterioris hujus locum in ipso Vampyri cadavere quærendum, sicque dicendum superest, quod Vampyrus illud ipsum, cui alias primariæ adscribitur & dignissimæ causæ titulus, morboso huic affectui conferat. Namque cum spiritus illius ab intima fermentantis sanguinis resolutione agitati & ex Vampyri sepulcro emissi, ea sit conditio, ut haud aliam, cui se se penitus insinuet, suæ commorationis sedem magis sibi familiarem deprehendat, quam ubi ex suæ figuræ, molis & motus particulari conditione & qualitate, se cum illius sanguine, qui Vampyri ore morsum expertum se esse falso sibi persuadet, facillimo negotio sè commiscere, & ob suæ subtilitatis claritatem ipsius speciei repræsentationem phantasiæ offerre potest, quam & ipsi, dum adhuc in vivo Vampyri corpore officio fungebatur suo, notabilis Vampyri historia communicavit & profunde impressit, nullo modo cruentæ suctionis ideam in alterius phantasia excitaturus, nisi durante Vampyri vita dictæ suctionis crudelitatem ab altero pariter Vampyro expertus fuisset. Quod vero spirituosa id genus, & mumialia effluvia plurimorum magni parvique mundi prodigiorum in se momenta sustineant, cum naturæ studiosorum nulli ignotum, cum ex illo etiam omnibus notum esse potest, quod longissimo loci intervallo distantes fratres, quos ab iisdem parentibus generatos multa inter sanguinis similitudo conformes reddit, eodem temporis spatio variolæ, aliique in fermentantium humorum & spirituum congruentia fundati morbi, invaserint, quin dissitis etiam regionibus distincti amici, quos tamen non sanguinis propinquitas, sed mentis libera harmonia ligat, eâ pronæ voluntatis propensione sibi occur-

rere conſueverint, ut alter, alterius licet fortis ignarus, illius, neſcio an ſuis dicam, malis ingemuerit, diesque in luctu & fletu conſumſerit, vel potius latente hujus triſtitiæ cauſâ conſumere coactus fuerit, ut ex immaturo etiam cœmeteriorum tranſitu in convaleſcentibus recurrentia febrium augmenta, & , quas transplantatorias vocant ac ſympatheticas curationes harumque proſperos eventus ſilentio prætercam, quorum ratio in ſimilium ſpirituum amica unione, & indiſſimilium inimica ſeparatione ac dimicatione unice petenda venit non ſine ſufficienti teſtimonio, quod in vitalium pariter ac animalium ſpirituum luce diſtincta non modo viventis imago reſplendeat, ſed & arctâ ſe cognatione, cum ſibi ſimili devinciat, ſuique pariter ſpeciem eo ferme modo exprimat, quo per rabidi canis, aut lupi morſum communicati ſpiritus, lupi caniſve formam repræſentant, & miſeroes afflictos eo miſeriarum adigunt, ut (affectu hoc etiam â veterrimis Medicinæ Patribus ſub *Cynanthropiæ* & *Lycanthropiæ* nominibus annotato,) demorſus canem latratu, lupum ululatu ſimulet, & in adſtantes morſibus involet lupus magis, caniſve, quam homo.

Ab ea, quæ efficiens eſt, ad materialis cauſæ contemplationem convertentibus illius præcipue, qui Vampyri ſe inſidiis obrutum putat, ſanguinis conſtitutio diſquirenda & præter conformitatem, quæ huic cum fermentantium, & ex Vampyri cadavere exhalantium effluviorum ſpiritu communis intercedit, alia etiam crudorum & terreſtrium humorum auſtera viſciditas conſideranda erit, quæ ſanguinem hominis â Vampyri dentibus, juxta falſam ſuæ opinionis ſpeciem, vulnerati, prægreſſa inſinuatione lethali, jam foetore turgentium, & ê Vampyri ſepulcro prodeuntium vaporum, in venularum minimis ſubſiſtere facit, & turbato progreſſus ſui ordine, ſpaſticisque fibrarum contractionibus diaphragmatis motui impedimentum ponit, imo cordis denique nobiliſſimam actionem non ſine anxietatum ſummis moleſtiis

leſtiis impedit atque pervertit. Hinc in ſomno preſſa ſanguinis vaſa confuſo ſpirituum rectilineo curſu inquietas alioquin ideas in loculis excitant ſuis, quorum repræſentatio formalis intellectui facta juxta Medicos proximæ cauſæ rationem conſtituit, & â Vampyrorum larvis perterritam, deque ſui corporis conſervatione ſollicitam animam compellit, ut majori ſpirituum copia illi, quam phantaſticus Vampyri morſus acerbioris doloris ſenſu affligere creditur, corporis parti, providere allaboret, â quo ſpirituum turbato influxu, atque ſuffuſi ſanguinis recremento poſtea Vampyorum, ut putatur, dentibus inflictum ſtigma eo ferme modo deducendum venit, quo materno in utero concluſus fœtus depravatam ſuæ matris imaginationem multis ſæpe malis luit. Cæterum accidere aliquoties obſervatum fuit, quod phantaſia de tolerata Vampyri ſuctione, nihil etiam ſuis id credulitatis genus adumbrantibus effluviis conferente Vampyro, perſuadere alicui, illo præcipue in articulo, poſſit, quando vitalium humorum major corruptionis gradus eâ animæ efficacia objectum repræſentare novit, ut ſui impos haud aliter de Vampyri cruento morſu doleat, quam quibus Incubi, aut Ephialtis de nocte perpeſſa crudelitas multis de die ſuſpiriis deploratur. Ubi tamen hoc in caſu notandum velim, noſtram ſubtiliſſimo intelligendi lumine præditam animam haud in eo quidem reprehenſionem ſubire, quod diverſum â repræſentatione aut perverſum ſibi judicium concipiat, ſed in eo erroris inſimulari illam poſſe, quod præternaturalis ſpirituum & admodum infirmæ diſpoſitionis imaginativæ potentiæ ignara, eodem pariter modo, quo ſine ordine vagantium objectorum ſpecies offeruntur, incaute judicet. Sic & occaſionales pariter cauſæ, uti morum, conſuetudinum, educationis, nutritionis & converſationis conditiones ſuam non minus ſymbolam conferunt, inſimulque ad illius nos quæſtionis diſquiſitionem deducunt: Utrum nulla ratione evitabilis, ſed certa lege ſtabilita neceſſitas haberi debeat, quod â Vampyro morſus, etiam poſt mortem mordere de-

beat novus Vampyrus? cujus quidem dubii explanatio, dum supra dictis innitimur, id saltem pro certo nos tenere jubet, quod in Vampyri cadavere contenta fluidi & fermentantis sanguinis massa id genus spirituosas portiones per plurimum temporis exhalare possit, quæ in dispositi prius corporis poros se se insinuare, & firmatâ cum sui similibus amicitia cruentæ suctionis idem imprimere facillime possunt, minime tamen exinde sequitur, quod â Vampyro demorsi interitus novi Vampyri generationem inferat.

Cæterum qui accidat, quod brutum etiam animal, quod â rationis usu communius exclusum volunt Philosoforum antiquiores, Vampyrorum dentibus obnoxium phantastica hac affectione torqueatur, pluribus explicare scirem, simulque demonstrare, quod imaginativa brutorum facultas illud ipsum animæ intuendum objiciat, cujus species spirituum lumini altum impressa manet; ast lubens hæc silentii peplo in volvo, cum inpræsentiarum hominum magis, quam brutorum promovendis commodis intentus, nullas hujus mei laboris gratias referrem, in eo probando satis præstitisse persuasus, quod vera non sit, sed phantastica, quâ sanguinem ex hominum corporibus eliciunt, Vampyrorum suctio.

ARTICULUS SEXTUS.

Methodum phantasticam suctionem curandi sistit.

CUm iis, quæ ex lædentium causarum notitia se manifestant, auxiliorum indicationibus, juxta veriorem rationalium Medicorum sententiam optatus prospera sanationis eventus innitatur, utique eò præcipue nostræ tractationis intentionem in præsenti affectu dirigi oportet, ut exturbatis primo austeris & terrestribus humoribus, mesenterii maxime obstructiones solvantur, & depravatæ postea ima-

imaginationis ideæ, confirmato interim vitalium etiam spirituum robore, dejiciantur, ad quod quidem præstandum antequam nos accingamus, nostræ, qua solâ fere Medici felicitas innititur, tuendæ famæ gratia, cautâ nos futurorum prædictione munire, & adstantium calumniis non obscura denuntiatione obviam ire oportet, esse scilicet, quod suis radicibus obstinatæ hujus affectionis pertinacia adeo medicamentorum virtuti non cedat, ut potius â naturali constitutione nimium remotum humorum massam, suoque vigore destitutas spirituum parcas suppetias, displosis undique situque effoetis eorum particulis, quæ vitalis balsami ope corruptionis vitium arceant; in spissum, rancoreque sordidum phlegma dejicere & efficere denique soleat, ut tandem variis in locis â promta sui cursus expeditione avocatus, & stagnatione subsistere coactus sanguis intestina & nonnisi caro vitæ pretio restinguenda flamma sese incendat, aut ignobiliori lentæ putredinis face se depascens verum reddat, sugentium Vampyrorum phantasmate cruciatos hujus sui somnii diras acceleratæ mortis pœnas sæpius persolvisse. Cum vero non proximi tantum amor, sed & sani intellectus consilia id maxime urgeant, ut per omnes, quas Medicinæ Sacra nobis subministrant, auxiliorum classes progrediamur, desperatas licet ægroti res nulla salutaris manus applicatione in melius vertere conemur; hinc utique universale illud mente motis alias commendatum purgans, cum aliis quæ viscidorum humorum expellendis sordibus usus dicavit, remediis sociatum, Helleborus scilicet in usum vocari debet, insuperque sequens materiæ medicæ suppellex, quod suum est præstabit. Alterantium nempe vicibus apprime funguntur Radices Apii, Polypodii, Petroselini, Graminis &c. &c. Herbæ Agrimoniæ, Fumariæ, Cuscutæ, Epithymi &c. &c. Flores Calendulæ, Genistæ, Bellidis, Centaurii minoris, Cortices Capparum, Tamarisci &c. quæ unacum id genus aliis, humorum crasin invertentibus, & per inferius educentibus, mar-

tialium & aperientinm usui locum dabunt, huic fini apprime servituris, ipso in substantia præbito Marte, & Tinctura Martis, pulvere cachectico Ludovici, stomachico Poterii, diaphoretico martiali & joviali, omnibus ex Tartaro paratis, ut terra foliata Tartari, vel ejus liquore, Tartaro vitriolato, arcano duplicato, omnibus itidem ex sale ammoniaco & nitro, fixis pariter herbarum salibus, uti & absorbentibus & alcalinis omnibus. Quibus ritè exhibitis sub analepticorum nomine nota remediorum classis succedat, firmandoque debilium spirituum robori, atque expugnanda phantasticarum imaginum pravitati incumbat, aromaticarum profecto specierum, cordialium confectionum, & spirituosarum aquarum moderato usu se commendante, cui se Opii tantillum, ut Theriacæ cœlestis, massæ pilularum de Cynoglossa, vel Laudani cydoniati momentum junxeris, accomodatam tuo proposito medicam formulam ex artis præcepto pro lubitu concinnare, ipsa autem Vampyricæ suctionis affectione oppressum, (si quidem tuæ curæ talem committi contingeret) tuorum medicamentorum virtute ita maxime sublevare poteris, ut excusso prius somno, ferale Vampyri spectrum ægri phantasiæ ejiciatur, spirituum autem debilis vigor eo usque reficiatur, donec recuperatæ vires totius sanationis seriem absolutam esse demonstrabunt, ubi tamen quoad diætam insimul invigilandum erit, ut ab omnibus stomachum magis onerantibus, quam corpus nutrimento confortantibus cibis, ab equini itidem lactis, & ferini sanguinis potu, modica alimentorum portione contentus æger, abstineat, sereni aëris puritatem eligat, & naturales denique excretiones haud negligat. Eo magis autem sub his omnibus ordinandarum quoque animi affectionum rationem gerere oportet, quo magis prospera sanationis cardo in depellendis fictæ larvæ ideis vertitur, omnibus profecto medentium intentionibus in irritum recasuris, nisi animi moderatio, pertinacis ac erroneæ imaginationis ejectio, firmisque nixa fundamentis recuperandæ maturius valetudinis expectatio spiritus recreare, â Vampyri furiis phantasiam

libe-

liberare, & sanitatis integritatem revocare, eoque incitare nosset, ut ejusmodi amici præ cœteris eligantur, quorum amœna conversatio suspicionum pravitatem corrigere, ac morum suavitatem inducere valeat. Verum cum illa jam temporum mollities fluat, cujus gustui Medica nequaquam scientia satisfaceret, nisi cuilibet ferme morbo appropriatorum, seu specificorum medicamentorum virtutem opponere sciret; hinc etiam illa ipsa, quã experientia â Vampyri spectris afflictorum approbatam habuit, medendi ratio, ingerendam sui memoriam commendat, haud infido certè auxilio in eo consistente, quod â Vampyro vulneratos sui hostis illitus sanguis, & suo de sepulcro crebiori vice deglutita terræ portio, ab ejusmodi mordentibus vitamque suctu eliceintibus umbris liberos, nec tamen ab ea lege immunes reddere visus sit, quo minus, licet Vampyrorum manibus in vita tecum inducias pascíscentibus, mortuus tamen Vampyricum spectrum agere, & semel â Vampyro suctus pariter sugere debeat. Et hic quidem quod omnium in Medicina celebratorum remediorum efficaciam inopinati tantum casus sors prodiderit, pluribus differendi aptissima occasio occurreret, nisi secretior ratio mundi intima penetrantem, & superiora cum inferioribus, & similia cum similibus concinne colligantem spiritum manifestum faceret, cujus nullo termino concluso virtus omnia, quæ stupemus, naturæ prodigia, in se sustineat, & in præsenti quidem articulo illam, quæ inter Vampyri sanguinem ejusque qui â Vampyro excruciatum se credit, vitales spiritus sese monstrat, proportionem conferat, ac mendacem deniq; suctionis speciem eò ferme modo oblitteret, quo nulli provisus eventus Hydrophoborum seu aquas pertimescentium errorem sustulit, dum repente aquis mersos demersa suæ ideæ fatuitas reliquit, & redintegrata cum aquis amicitia delirantium numero exemit. Inde ergo evenit, ut illitus Vampyri sanguis, ubi per cutis poros penetravit, & vivam adhuc Vampyricæ animæ ideam secum asportavit, supremi sacriq; auxilii vicibus fungatur, aptissimus certè, qui phantasticas cruentæ suctionis species distincta suæ falsitatis repræsenta-

ſentatione deleat, & de ſaniorum conſiliorum ſinceritate perſuadeat; cum pari nihilominus comendationis laude de Vampyri ſepulcro repetita doſi comeſta terra ideo ferme celebratam ſe reddat quod mumiali æthere turgidæ & rigidæ, quæ flecti non poſſunt, atque ſpongioſæ ejus partes infeſtũ acidum imbibere, obſtructionum pertinaciam tollere, & tenuiſſimis denique archealis auræ effluviis nervei ſucci viſcoſitatem attenuare, ac ſpirituoſo incremento locupletare poſſe compertiſſimæ habeantur. Cæterum uti quilibet ex ſano homine deſumtus, & ad artis præcepta ſcite paratus ſanguis magnum contra expugnandum id mali genus in ſe arcanum continent, ita humani cranii uſneam, ipſum cranium, primiparæ ſecundinas, corallia, ſuccinum, viſcum corylinum, ungulam alcis & camphorata maxime, caſtoreata & cinnabarina itidem ſuam merentur laudem utpote in quibus ſumma demulcendi idealis furoris & corrigendæ phantaſticæ pravitatis virtus latet.

Præſervatio deniq; in eo maxime conſiſtit, ut cineribus denſe conſita demortuorum cadavera in remota â pagis & urbibus loco eum in finem terræ, & profundiori foſſæ mandentur, ne exſpirantes putreſcentium cadaverum halitus facili ſe negotio cum ſui ſimilibus conjungere, & melioris conſilii inopē phantaſiam memoratis ſæpius cruentæ ſuctionis triſtibus ſimulacris affligere poſſint, id certè comprobantibus ipſis Vampyris, quorum manus evulſo corde, reſciſſo capite, & combuſto cadavere, demta ſcilicet ſpirituoſis effluviis imaginandi ſenſum ulterius vexandi facultate, ſuis in umbris quiete ſubſtiterunt. Atque hiſce *ſub Vampyri aut Sanguiſugæ larva â veræ Philoſophiæ, & rationalis Medicinæ placitis detectum ac dejectum depravatæ Phantaſiæ ſpectrum* non tam miſſum facere, quam omnia illorum commenta, quæ de miris Vampyrorum hiſtoriis paſſim diſperſa anilium fabellarum inanitates olens, in totum rejicere, & id tantum coronidis loco apponere volui, beatum eſſe, qui naturalium effectuum prodigia non prius aſſentiendo crediderit, quam conſtantis fidæque experientiæ, ac veræ rationis lumine viderit.

OB-

OBSERVATIONES PATHOLOGICO-THERAPEUTICÆ
de
POLYPO CORDIS,

Quas

INCLITISSIMÆ ET PER ORBEM CELEBRATISSIMÆ

ACADEMIÆ IMPERIALIS NATURÆ CURIOSORUM

PERILLUSTRI, MAGNIFICIS, EXCELLENTISSIMIS atque EXPERIENTISSIMIS

DN. DN.

PRÆSIDI, DIRECTORI ADJUNCTIS

ac

COLLEGIS,

PATRONIS, FAUTORIBUS, AMICIS OMNI HONORIS CULTU VENERANDIS EXHIBET

CHRISTIANUS FRIDERICUS JOERDENS,

VARISCUS, MEDIC. LICENT. PHYSICUS ORDINARIUS ET SCHOLARCHA ILLUSTRIS GYMNASII CURIENSIS,

nec non

ACADEMIÆ IMPERIALIS NAT. CURIOSOR. COLLEGA.

VIRI.



VIRI
Perillustris, Magnifici, Excellentissimi atque Experientissimi.

Vergente anno 1733. Vos Perillustris, Magnifici ac Excellentissimi Viri non meritis meis, sed eximia benevolentia Vestra ducti, in splendidissimum Collegium Vestrum me recipere dignum statuistis, idque Diplomate consueto confirmatum dedistis. Quemadmodum igitur honorem hunc in me collatum gratissima mente agnosco, ita omnino mearum erit partium, me non otiosum in Societate, quam *nunquam otiosam* esse ex symbolo Illius deprehendo, exhibere. Otium quidem omne fugio, & nunquam non officii mei memor in id incumbo, ut pro virili ægris succurram opem meam flagitantibus, & horis subcesivis veri ates medicas ex observationibus genuinis collectis inveniam, quæ incerta in re medica magis firment, & imposterum publici, meæque propriæ praxeos emolumentum promoveant; sed hæc rudiora vestris sistere oculis perspicacissimis, imbecillitatis meæ, qua parum pro dignitate Tanti Ordinis præstare valeo, be-

bene conſcius, diu hæſitavi. Vicit tandem omne, quod obſtabat, dubium inſignis omnibusque notiſſima Veſtra benignitas, qua quosque cordatos excipere gratioſe, nec eorum conamina, licet levioris momenti, deſpicere ſoletis. Fretus igitur tanta Veſtra humanitate ſpecimen hoc levidenſe de *Polypo cordis* exaratum ſacris ædibus Veſtris appendo, quod æqui bonique ut conſulatis, & non tam ex dignitate ſua, quam habet nullam, quam animi intentione & ſtudio æſtimetis, enixe rogito. Quodſi factum, uti confido, â Vobis erit, majorem mihi alacritatem partes meas explendi, ſymbolasque meas conferendi, injicietis. Cæterum Deum T. O. M. ſupplex oro, ut ſervet Vos omnes & ſingulos incolumes & ſalvos, utpote Rei Medicæ Fulcra firmiſſima, ut ſervet noſtrum ordinem, qui ad ſalutem publicam conditus & deſtinatus eſt, ut totius orbis Medici gloria inde ſemper conſervetur, & doctrina & artis incrementum quotidie magis promoveatur. Valete, ut valeant qui ex Vobis valetudinem optimam atque ſalutem quærunt, & favete conatibus

Veſtrorum Graviſſimorum Nominum

Dab. Curiæ Variſcor. XVII. Calend. Mart. MDCCXXXVI.

obſequentiſſimi & obſervantiſſimi Cultoris,

Miconis.

PRÆFATIO.

Sterilem admodum esse nudam speculationem in re medica, toto die, præsertim in morbis abstrusis videmus. In his, quamvis propria vel aliena certa deficiat experientia; nihilominus tamen & cognoscendi & curandi modi illorum, causarumque explanationes ubique fere traduntur, & ne detur vacuum in aliqua therapiæ & pathologiæ parte, supplentur ex ingenii ad supplendum facilitate & ex meris conjecturis ea, quæ genuina observatio subministrare debuisset. Nunquam hæc mihi arrisit methodus, satis superque convicto, meris ratiociniis inhærentes, & systematicam tantum artem amantes, neglectis simul experimentorum testimoniis & observationibus legitimis, à veritate esse aversos, & nihil, nisi quod ambiguum, fallax & incertum tradere, atque ad errores ducere. Nihilo minus tamen perversus hic modus fere in consuetudinem abiit, unde est, quod inde parum utilitatis è multorum scriptis in orbem medicum redundet. Hoc uti in morbis plurimis videre licet, ita præcipue in polypi cordis pertractatione observatur, in qua nullum defectum deprehendes, licet morbus sit altioris indaginis, cuius analysis vel propria, vel aliena experientia destituitur. Traduntur signa ejus, causæ, methodus medendi & ipsa cura, quamvis optime sciant scriptores, maximis alias laudibus conspicui, se nec detexisse unquam polypum cordis ex signis, quæ recensent, multo minus curasse remediis ægrum, quæ tradunt. Frustraneum igitur laborem me non suscepisse persuasus sum dum id, quod ex scriptis auctorum de hac materia veri-

tati

tati minus consentaneum deprehendi, indicare statui, adjungendo observationes tenus hac collectas, hisque innixas sententias meas, quibus occasionem præbere studeo, ut alii exercitati veritatisque studiosi viri suas etiam nobiscum communicent observationes, hisque super structa ratiocinia, ut tandem felicius quam huc usque licuit, tam abstrusa materia dilucidetur, & certius quid hinc statui possit.

§. I.

POlyporum in cordibus hominum repertorum historiæ tam frequentes hodie occurunt, ut dubium esse videatur, an omnes vere tales dicendi sint, qui sectione demortuorum instituta â Medicis inveniuntur & pro iis habentur? notum enim est, rarius ejusmodi concrementa â Viris, qui ante nostra tempora vixerunt, observata fuisse. Aut igitur oculatiores sunt Neoterici, aut obiter tantam rem inspicientes falluntur, dum forsitan sanguinem coagulatum ê corde ejusque vasis majoribus ei adhærentem extractum pro polypis veris habent. Fateor, me de hac re etiam dubitasse, ut per aliquot annos experientiæ plurimorum nullam fidem tribuerim Curatius hinc cavitates cordis vasorumque majorum lustrare quavis data occasione mecum constitui. Tandem inveniebam in corde juvenis cujusdam inopinato extincti quatuor majores excrescentias vere carneas, quæ post detersionem adhærentis sanguinis coagulati texturam fibrosam solidam, instar carnis elotæ, ostendebant. Ab eo tempore plures in pluribus inveni. De existentia igitur polyporum cordis satis superque convictus, & ad remotiora tempora, ubi tam raro per anatomiam detecta sunt ejusmodi coagula carnea, respiciens, judicavi, vel observatores sanguinis coagulo obvolutos polypos non agnovisse, vel vitæ genus hodiernum ab antiquo tempore distinctum, uti ad multorum novorum mor-

berum genesin facit, ita & hac ratione polypos cordis olim rariores hodie frequentiores producere.

§. II.

Illorum autem sententiæ accedere non possum, qui polypum cordis pro excrescentia quadam asperitatum carnosarum & columnularum in cordis ventriculis occurrentium, habent, ad quod statuendum ex eo adducti sunt, quod in sectionibus polyporum deprehenderint, quasdam extremitates polypi columnulis & trabibus ventriculorum cordis implicatas, quas illis accretas & sic polyporum initium inde factum judicarunt, fere eundem in modum, ac in aliis partibus corporis externis carnosis excrescentiæ, carunculæ, hypersarcoses generantur; sed penitius paulo polyporum cohæsiones examinanti patebit, eas non concretas cum partibus ventriculorum cordis, sed tantum implicatas esse. Nulla enim vi opus est, pediculos polyporum ab illis trabibus separandi, dum digitorum ope facile expediri possunt, nulla læsione vel in surculis polypi vel in columnulis cordis facta deprehensa, nec ullibi observatis aut carunculis aut excrescentiis præternaturalibus â fibrarum carnearum incremento forsitam natis. Deinde plurimi polyporum liberi, sine cohæsione ulla cum trabibus & columnis cordis, inveniuntur, & accuratius perscrutanti raro polypus magnus obveniet sine adjacentibus minoribus ac minimis, quandoque plurimis, unde concludere libet: Si exigui polypi cordis in sanguine continuo motu agitato generantur, majores etiam successive ê minimis orti non alia gaudent genesi. Liberi ergo qui antea fluctuarunt polypi, tandem adultiores facti, ramusculis suis tenerioribus protensis alligantur quandoque asperitatibus ventriculorum cordis. Inter omnes illos, quos inveni polypos cordis, unicum tantum, & quidem maximæ molis, columnis cordis implicatum deprehendi.

§. III.

§. III.

Differre inter ſe polyporum corpora non eſt negandum, ſed ventriculorum cordis diverſitatem etiam diverſos producere polypos, experientiæ adverſatur. Falſum hinc eſt, polypum dextri ventriculi tantum ſubalbidum eſſe, ac exſiccatum ſuccum pituitoſum referre, ſiniſtri vero ventriculi polypos denſiores & atros exiſtere. Nam in utrisque ventriculis polypi unius ejusdemque fuerunt qualitatis, conſiſtentiæ, coloris, quantum quidem ex hactenus ſectis obſervare mihi licuit cadaveribus, unde & facile adducor, ut credam, eam diſtinctionem polyporum, quam autores inter *carnoſos, adipoſos* & *pituitoſos* faciunt, ulteriori indigere probatione & demonſtratione. Si penitius rem intueamur, patebit, polypos minores *pituitoſos* quaſi eſſe, majora incrementa nactos *adipoſos* ſiſtere, & majores & maximos tandem factos *carnoſos* repræſentare, ita, ut omnis differentia tantum in incipiente, increſcente & tandem ſoliditatem majorem adepto polypo quærenda videatur. Quod porro de polypo cordis vaſa propria ſanguinea habente ſtatuitur, utique falſum deprehendent ingenui viri, ſi modo corpus polypoſum accuratius perveſtigare ipſis placuerit. Nam revera ſanguinem ſtriatim coagulatum, polypoſo corpori inhærentem, obſervabunt, ad nullam vaſis ſanguiferi veram vel ſpeciem, vel conſiſtentiam referendum.

§. IV.

Quamvis difficile ſit demonſtrare generationem polyporum; eandem tamen ob difficultatem opus non eſt, ut illam cauſæ tribuamus nimis remotæ & generali. Illi, qui negotium hoc imaginationi hominis, utpote operationi animæ adſcribunt, breviter quidem ſe expediunt; ſed iis accedunt, qui qualitates occultas, vanum illud idolum, quod nihil aliud, quam ignorantiæ eſt aſylum, venerantur. Facillima omnium hæc eſſet hypotheſis, ſi ea in omnibus, quæ phyſico & Medico in corpore humano indaganda ſunt, uti liceret,

&

& sufficeret dixisse, anima hoc præstitit, quam naturam esse ferunt; ast physico, cui veras rerum caussas investigare incumbit, hic philosophandi modus, quam brevis & facilis etiam videatur, nec arridet, nec sufficit unquam. Quamdiu igitur rationes supersunt, turpe est tam inutili niti fulcro. Quem mihi de genesi polyporum cordis formavi conceptum brevibus nunc dabo, peritiorum & feliciorum ingeniis solidiorem & clariorem demonstrationem in re tam ardua relinquens. Quoscunque polyposos secui, omnes fuerunt cacochymici & in primis plurimi ad cachexiam dispositi. Uti igitur notum est, quod in cacochymicis subjectis partes massam sanguineam constituentes nullo sint in æquilibrio, dum vel hæ, vel illæ partes & quidem in cachecticis serosæ, dominantur: ita exinde facile concipere licebit, partes non legitime, ut in statu secundum naturam, cohærentes & exacte unitas, occasionem præbere, ut graviores aliquæ separentur, & sic fibrosæ secedant, uniantur, & temporis tractu, aliis ejusdem generis his successive accedentibus, corpns quoddam peculiare constituant quod tandem sanguinis, ex quo ortum duxit, circulum alterare, motumque ejus penitus sistere quavis data occasione possit. Hunc quidem partium fibrosarum in sanguine secessum earumque conjunctionem, cohærentiam & coagmentationem in corpus solidum facile concipere liceret in loco corporis, ubi mora longior datur sanguini transeunti; sed dum plurimi & frequentissimi polypi in cordis cavitatibus generantur & inveniuntur, & cor tale viscus est, quod motum continuum exercet, receptumque mox sanguinem iterum expellit, difficile admodum videtur, in viscere, in quo nulla fere datur mora, tamen sanguinem receptum ante ejus expulsionem partes deponere posse quasdam, quæ in solidum corpus abire, & quod longe gravius videtur, increscere eo usque queant, ut motum omnem sanguinis intercipiant; At tantum abest, ut motus cordis continuus concretioni polyposæ impedimento sit, ut potius eam utique pro-

mo-

moveat, ad quod ſtatuendum ſequentia potiſſimum me adduxerunt. Lac, utpote liquidum homogeneum, fermentationi expoſitum, partem pinguiorem & craſſiorem dimittit, quæ ſufficiente copia collecta in vaſe butyraceo motu accedente externo continuo tandem redigitur in maſſam ſuo modo ſolidam, quam butyrum appellamus. Nullum eſt dubium, quin ex ſanguine animalium ſimili fere modo ſolidum, ad polypi conſiſtentiam quodammodo accedens, motu externo adhibito produci queat, id quod eo facilius inde concipimus, dum toto die videmus, ſanguinem ê vivo animali extractum, vaſeque exceptum, celeriter per inſtrumentum quoddam agitatum, deponere circa hoc inſtrumentum maſſam fibroſam ſibi firmiter cohærentem, & adeo increſcentem, ut tandem ejus moles agitationem impedire aut ſiſtere videatur. Quemadmodum igitur lac pinguiores partes ſeparat, & hæ motu agitatæ ſolidi quid ſui generis largiuntur; quemadmodum ſanguis recens ex animali tractus calidus motu externo ex parte in fibroſum corpus redigitur? ita maſſa ſanguinea in corpore vivo, â quovis externo vel interno accidenti alterata & turbata, partes craſſiores fibroſas, reliquis non amplius intime cohærentibus, facile dimittere poteſt, quæ per motum cordis continuum conquaſſantur, colliduntur & coagmentantur, ita, ut prima adſit polypi facies, cui cum per eundem motum plures ejusmodi partes applicantur, quæ reliquis accedunt iisque agglutinantur polypus increſcit, & caloris ope temporisque tractu ſit ſolidior, ac tantam acquirit magnitudinem & longitudinem, ut data occaſine vaſis ſanguiferis cordis ſeſe inſinuare, illa occupare & penitus obſtruere valeat.

§. V.

Difficile quidem eſt, conceptum ſibi genuinum de geneſi polyporum cordis formare; aſt longe gravius eſt negotium, generatum & factum polypum ê ſignis certis cognoſcere. Vera omnino ſunt, quæ dicuntur: Polypum & cancrum in fieri difficulter cognoſci, factum raro curari. Mihi propria convicto experientia, addere liceat: Polypum in fieri nunquam cogno-

ſci, factum nunquam curai. Omnia illa ſigna ab auctoribus adducta ad cognoſcendum polypum jam factum, etiam collective ſumta, non mihi ſufficiunt, ut inde certi quid de ejus præſentia ſtatui queat Quare nunquam polypus, qui fieri incipit, ex ſignis certis erit detegendus. Signa autem polypi jam facti ab auctoribus traduntur ſequentia:

1.) Anxietas præcordialis cum gravitatis aut ponderis cordi incumbentis, ſenſu, conſtanter & perpetuo durans & magis magisque increſcens,

2.) Palpitatio cordis perpetuo affligens.

3.) Reſpiratio difficilis, ſeu aſthma.

4.) Tumores artuum œdematoſi.

5.) Circulatio ſanguinis imminuta, pulſus intermittens,

6.) Refrigeratio corporis cum anguſtia.

7.) Propenſio facilis ad lipothymias.

Sane, ſi ægrum his ſymptomatibus laborantem inveniens, certis eum abſthmatico-cachecticum eſſe judicabis, quam polypoſum. Dein non omnia, quæ recenſita fuerunt, ſigna in unico ſubjecto polypoſo ſimul deprehendes. Certum eſt, me ex his ſignis in polypoſis vivis, quos poſt mortem ſecui, obſervaſſe.

1.) Anxietatem non conſtanter & perpetuo durantem, ſed tantum per vices recurrentem.

2) Nullam cordis palpitationem & tremorem, niſi in illis, qui in articulo mortis conſtituti errant.

3.) Reſpirationem difficilem non conſtantem, ſed per intervalla auctam.

4) Tumores pedum œdematoſos non in omnibus, ſed in plurimis.

5.) Pulſum inter mittentem nunquam, niſi in moribundis, circulationem imminutam quandoque.

6.) Refrigerationem corporis cum anguſtia quandoque.

Quomodo varo ex his certo aut probabiliter admodum ad polypi præſentiam concludere licet? Duo tantum fuerunt ſubjecta, ubi polypus cordis adeſſe ſuſpicabar, quos & poſt

mort

mortem, facta ſectione, inveniebam. Unus horum febre anomala intermittente, alter febre tertiana legitima, ſæpius recidiva, quæ tandem in quotidianam intermittentem mutabatur, laborabat. Apud utrosque ægros nihil peregrini obſervabam, niſi, quod cura, licet admodum circumſpecte inſtituta fuerit, non uti apud alios, ſucceſſum felicem habere videretur, & quod ille anxietate præcordiali non conſtante, ſed per intervalla recurrente, affligeretur; hic vero circa declinationem paroxyſmi cum refrigeratione totius, ſudore gelidiſſimo cum diffflueret, juncta anxietate ille pedum tumores œdematoſos oſtendebat; hic vero non.

Signis igitur Auctorum allegatis non ſufficientibus ad præſentiam polypi cordis cognoſcendam, ſtudendum utique erit, ut firmior, diagnoſi ardua hæc res illuſtretur. Quam ob rem ea, quæ tam in polypoſis vivis, quam poſt mortem ſectis mihi obſervare licuit, fideliter recenſebo, ſimulque alios rem medicam curæ cordique habentes peritiores & ingenuos viros, rogabo, ut ſua quæ certiora collegerunt, obſervata, optima fide his addant, quo tandem tam obſcure latitans hic morbus magis magisque dilucidetur, & prognoſi ſaltem honor rei medicæ ſalvari poſſit.

Notandum autem hic cum primis, quod polypus cordis quidem morbus ſit periculoſiſſimus, ſed qui non alio modo mortem inferat, quam ſi vaſorum cordis orificia obſideat, & ita obſtruat, ut ſanguis per illa vel expelli ê corde vel recipi in illud amplius nequeat; ſi vero libera fluctuent polypoſa concrementa in cavitatibus cordis, aut ſpacium pateat, quo ſanguinis circa polypum exitus & acceſſus fieri adhuc queat, vita adhuc perſiſtere ſuo modo poteſt. Quare omnino reprehendendi ſunt illi, qui ſtatim polypo in aliqua cordis cavitate detecto mortis cauſam tribuunt, licet nullum vas cordis ſanguiferum obſtruxerit, aut vere occupaverit. In caſibus Medico-Legalibus præjudicium hoc eſt maximi momenti. Facile ſic cauſa mortis falsò tribui poteſt polypo cordis, quæ rectius forſan læſioni violenter illatæ adſcribenda eſſet, præſer-

tim si annotatio circumstantiæ maxime necessariæ neglecta fuerit, an nempe polypus obstruxerit vas quoddam sanguiferum.

Notatu admodum dignum exemplum fluctuantis & liberi, tandem vas sanguiferum obstruentis, item alligati trabibus & columnulis cordis polypi in unico subjecto vidi. Occurrebat nempe in secti corporis ventriculo dextro polypus maximus, cujus corpus ovi gallinacei magnitudinem superabat, ramusculi tenues ab eo prodeuntes inferiores trabibus & columnulis ventriculi carneis, irretiti erant & allegati; superiores vero è corpore polyposo natæ ramificationes crassæ in venæ cavæ tum ascendentem, quam descendentem truncum, longitudine ulnæ dimidium excedentes, excurrebant, venam istam non penitus obstruentes, sed sanguini circulanti spatium quoddam adhuc concedentes. In sinistro ventriculo occurrebant multi polypi minores, & inter hos longior, liber & non alligatus, qui quartam ulnæ partem æquabat, & in venam pulmonalem, cujus orificium firmissime obstruxerat, excurrebat. Hic, viso maximo illo polypo dextri ventriculi, credere statim quis potuisset, illum mortis fuisse causam, quod omnino factum fuisset, si liber fluctuasset & inferior illius pars cordis ventriculo non alligata fuisset; sed minori longe sinistri ventriculi polypo causa mortis insecutæ potius adscribenda erat, utpote qui liber venam pulmonalem ita occupaverat, ut ne gutta sanguinis per eam intra hunc ventriculum transire potuerit.

Vir quidam litteratus, hypochondriacus, corripiebatur affectu singulari suffocatorio. Vocatus inveniebam ægrum celerrime per hypocaustum discurrentem & continue exclamantem: O Jesu! suffocor. Objicienti mihi, ipsum sufficienter respirare posse, quod ex eo conjicerem, quia tam celeri cursu progredi posset, respondebat: Omnino aërem sufficienter haurire possum, respiratio est libera, attamen suffocatio instat. Dolor nullus aderat, pulsus ordinatus. De spasmo quodam interno præcordiali sollicitus, ordinabam liquorem Cornu

Cervi

Cervi succinatum cum Essentia Castorei, ex cujus usu per omnia melius se habebat. Plus vice simplici isto correptus malo hanc medelam cum fructu adhibuit, ita, ut postea medicamentum hoc per tempus admodum longum capsula munitum secum portaret, ad malum illud urgens debellandum, quod & nullo non tempore exspectatum præstitit effectum. Abhinc multos per annos liber ab hoc malo vixit. Octavo tandem â primo suffocationis insultu anno, prægressâ febre anomal moritur. Per ultimos tres dies maxima anxietate per vices recurrente laborabat, quandoque lipothymiam minitante simulque conquerebatur de dolore continuo in regione cordis ipsa, cujus sensum his exprimebat verbis: Videri sibi, ac si cor palo esset transfixum. Hic locus doloris digito monstratus & cura, quæ omnis in febre irrita erat, movebant, ut suspicionem hinc de polypo conceptam declararem, quam non vanam fuisse sectio post mortem demonstrabat. Maximus hic in ventriculo cordis dextro deprehensus polypus me adduxit, ut crederem, cum plurimorum annorum spatio opus habuisse, quo in tantum molem excreverit, ideoque non absonum esse, si judicetur, polypum illum, minor cum adhuc existeret libereque fluctuaret, nec partibus ventriculi adhæreret, vas cordis sanguiferum quandoque occupasse per aliquod temporis intervallum, causamque suffocationis imminentis, ante octo annos plus vice simplici perpessæ, fuisse. Ab eo tempore vero, quo tenuibus radicibus suis firmiter adhæsit columnulis cordis carneis, non amplius liberius adigi in vas sanguiferum, illudque, ut antea, coarctare potuit, quare etiam sequentibus annis liber â tali suffocatione æger fuit, quam tandem & simul insequentem mortem, alius longe minor polypus induxit. Quæ ratione antispasmodica & nervina levamen præstare potuerint, ex eo factum arbitror, quod medicamentum illud spasmum, quem polypus propulsus in vas sanguiferum excitavit, sustulerit, quo sublato polypi adacti compressi relaxatio & retrocessio in liquido subsecuta est.

Juvenis 23. annorum febre tertiana intermittente ordi-

nata corripiebatur. Ter â febre liberabatur, ter ex diætæ erroribus iterum eadem corripiebatur, quæ tandem quotidianæ intermittentis faciem induebat, & vires nimium quantum exhauriebat. Declinante quovis paroxyſmo ſudor frigidiſſimus erumpebat. Anxietas magna totum paroxyſmum comitabatur: Hæc tamen omnia, dum in aliis etiam, quos ſanitati reſtituti obſervaveram, non me movebant, ut de vita metuerem, Continuatis antifebrilibus paroxyſmi mitiotiores reddebantur, Cum vero æger deſiſteret ab uſu remediorum antifebrilium, poſt inſomnem, quam duxerat noctem, anxietas augetur,, extrema omnia frigeſcunt, pulſus debilior, licet ordinatius, tandem in carpis manuum non amplius ſentitur, lipothymiæ inſtant, in quo ſtatu permanet & elapſo 7. horarum ſpatio moritur. Territus valde, eum omnia tam extraordinario modo procedere cernerem, ſtatim pronunciavi, me ſuſpicari, quod polypus cordis tam inopinatæ mortis cauſa exſtiſſet. Conceſſa & facta ſectione reperiebam etiam polypum & in ſiniſtro cordis ventriculo venam pulmonalem obſtruentem, qui ſolus mortem induxerat. Alii enim majores ac minores in dextro cordis thalamo deprehenſi nullum vas ſanguiferum occupabant. Hic æger febricitans, quamvis polypis cordis laboraverit, non mortuus eſſet, niſi recidivam febris tam frequentem paſſus fuiſſet, quæ, ſudoribus tam copioſe excretis, tandem adeo inſpiſſavit ſanguinem, ut polypus facile adhæreſcere parieti interno venæ pulmonalis illamque obſtruere potuerit.

Primum, quem oculis meis vidi, polypum cordis, reperi in ſtudioſo 24. annorum. Hic inopinato moriebatur, redeunte ſaltem leviore hæmoptyſi, Pater ipſius, licet antea conſilio meo uſus non eſſet, me, ut ſectione in cauſam mortis defuncti inquirerem, rogabat, addens, filium plurimis ante mortem annis de ſuffocatione quandoque redeunte conqueſtum eſſe, quæ eum interdum ê ſomno excitaverit & coëgerit, ut extra lectum proſiliret, & aperta feneſtra hiante ore aërem liberum caperet; ſiti multos per annos eum etiam vexatum

fuiſſe,

fuiſſe, quare noctu & mane potui indulgere neceſſe habuerit; heri & nudius tertius ſputum ſanguineum obſervatum fuiſſe, & quamvis periculum vitæ inde imminere non credidiſſent, factum tamen eſſe, ut præter omnem opinionem mors, prævia anxietate ſumma, inſecuta fuiſſet.

Nobilis quidam 23. annorum, omnes diætæ errores committens, ſæpius cardialgia laboraverat. Inſultus quosdam pedagricos etiam paſſus erat. Celebratis nuptiis mane cardialgia iterum corripiebatur, quæ remediis aptis brevi ſopiebatur. Convaleſcentem ægrum ſtatim monebam, ut medicamentis uteretur congruis, ad malum, quod ſuſpicabar, cachecticum incipiens tollendum. Cum vero in longius differret curam ſuſcipiendam, accidit, ut præter reſpirationem difficilem & pedum tumores œdematoſos, proſtratio appetitus, imbecillitas virium, artuum debilitas, & tandem febris anomala nobilem hunc corriperent. Præſcriptis remediis convenientibus quandoque podagra inſultum facere videbatur, ſed fixam in extremis ſedem non capiebat. Quamvis igitur id ſollicite ageretur, ut materia podagrica, quæ verſus interiora vergebat, in locum debitum promoveretur; omnis tamen labor irritus erat, ita, ut tandem manente omni dolorum cruciatu in pectoris peripheria, junctis ſummis anxietatibus, ſpiritum exhalaret. Poſt inſtitutam ſectionem pulmones hinc inde pleuræ accreti conſpiciebantur; huic vero accretioni cauſa dolorum & mortis, utpote quæ potius podogræ retroceſſæ adſcribenda erat, tribui non poterat. Aperto corde vera mortis cauſa in oculos & manus incurrebat, dum in utrisque ejus ventriculis plures polypi diverſæ magnitudinis reperiebantur, quorum unus venam cavam penitus obſtruxerat.

§. VI.

Plures adhuc hiſtorias polypoſorum his addere poſſem, quorum corpora ſecare licuit. Mentionem etiam eorum faciendi hic eſſet occaſio, quos ponderatis omnibus circumſtantiis ex polypis cordis mortuos eſſe judicavi, ubi vero perluſtratio corporis anatomica denegata fuit; aſt, ne diffuſus nimis

videar,

videar, nunc ea tantum observata tradam, quæ apud polyposos, dum in vita adhuc constituti erant, & post eorum mortem, un sectione notavi.

1.) Omnes polypo cordis laborantes siti fuerunt vexati, ad quam sedandam mane, immo & nocturno tempori potui indulgere, plerumque frigido, opus habuerunt.

2.) Omnes vini amatores & potatores fuerint.

3.) Cibi parum capere potuerunt.

4.) Nullas fere diætæ regulas obsetvarunt.

5.) Plerumque ad febres proni fuerunt.

6.) Omnes ad cachexiam dispositos, plurimos veros cachecticos, & tumoribus pedum œdematosis obnoxios, deprehendi.

7.) Omnes aliis morbis simul laborarunt, & præter cachexiam dictam quidam Podagræ insultus sustinuit, omnes vero febri intermittente, præprimis anomala ante mortem correpti fuerunt, in quibus remediorum ordinariorum & probatissimorum usus effectu destitutus est.

8.) Omnes anxietate præcordiali quadam nunc majore, nunc minore, non vero constante, sed tantum per vices recurrente, afflicti fuerunt.

9.) Quidam exspatiari, aut curru vehi facilius, sed equitare vix & summa cum molestia, valebat, hicque maximum habuit polypum.

10.) Unus ex illis ocius ê lecto se proripere & hiante ore aërem liberiorem, aperta fenestra haurire quandoque coactus fuit.

11.) In omnibus facies pallida cernebatur.

12.) Ultimis ante mortem diebus debilitas major, per inrervalla recurrens, morbo autem non proportionata.

13.) Cum refrigeratione extremorum,

14.) Et quandoque lipothymia leviore ægros afflixit.

15.) Nonnisi in iis, qui in extremis versabantur, tremorum & palpitationem cordis, item

16.) Pulsum intermittentem observavi.

17.)

17.) Senſus interni & externi integri fere ad ultimum usque vitæ halitum permanſerunt.

POST SECTIONEM

18) Pinguedine multa adominis & thoracis externa & interna obducta deprehenſa ſunt in omnibus.

19) Semper in cavitate abdominis & thoracis ſerum extravaſatum, vel flaveſcens, vel pellucidum repertum eſt.

20.) Cor apparuit plerumque flaccidum & parum vel nihil fere cruoris aut ſanguinis continuit.

21.) Pulmones ſanguine infarcti apparuerunt, quaſi cera colorata per ſiphonem, ad crepaturam fere vaſorum ſanguiferorum, iis injecta fuiſſet.

22.) Lien ſuggillatus, &

23) Hepar â ſanguine diſtenſum apparuit.

24.) Ventriculus vel flaccidus vel â flatibus extenſus ſumme tenuis obſervatus eſt.

25.) Omnes polypi præter unicum, eumque omnium maximum, trabibus & columnulis cordis ventriculorum non alligati, ſed liberi deprehenſi fuerunt.

§. VII.

Circa illos denique morbos, qui ſecundum opinionem quorundam Auctorum â polypis originem ducunt, quædam adhuc notare liceat.

Catarrhos infantum ſuffocativos plerumque â polypis oriri, ſententia eſt, quæ nec ratione probata, nec experientia firmata eſt. Si enim catarrhi ſuffocativi intueamur circumſtantias, ita eas comparatas eſſe deprehendim⁹, ut ab his ad polypi cordis præſentiam concludere non liceat. Evidenter ſatis in catarrhis ſuffocativis cauſa exterius auditu percipitur, dum viſcedo in bronchia pulmonum copioſe delata reſpirationem reddit ſonoram, ita, ut quaſi in illis coquere materia videatur, unde Germani dicunt, es raſſelt und kochet recht auf der Bruſt. Deinde facta poſt mortem ſectione, cauſa catarrhi ſuffocativi in manus & oculos incurrit, dum bronchia fere in totum viſcedine repleta reperiuntur. Quodſi vero polypus ſuffocationis hujus cauſa exſtitiſſet, ex cir-

culatione sanguinis impedita suffocatio contingere debuisset, ipseque polypus in corde deprehensus fuisset, ut taceam polypum hic fere in continenti generari debuisse, quod vero impossibile est; nec ullo ratiocinio probari potest.

Tradunt præterea, cachexiam ortum ducere à polypis cordis. Hoc non promiscue de omnibus hujus generis polypis adseverari potest, sed tantum de majoribus. Quo major enim est polypus, eò magis circulationem sanguinis turbare potest, ita, ut tandem serosis partibus facilior secedendi occasio præbeatur. Cachexiam potius polyporum frequentiorem existere causam, quam polypum cachexiæ, exinde judicare licet, quia omnes polypis etiam minoribus laborantes, lympham extravasatam in cavo thoracis & abdominis, & plurimi præter hanc tumores pedum œdematosos exhibuerant.

Porro asseritur, polypis cordis præsentibus corpus successive contabescere. Hoc vero veritati omnino contrarium est: Nam secundum observationes, quas hactenus notavi, omnia polyposa subjecta, licet per 8. hebdomades ante mortem ex febre ægrotaverint, multum pinguedinis tam in exterioribus, quam interoribus thoracis & abdominis partibus ob oculos ponebant, immo in plurimis pinguedo duorum triumve pollicum crassitudinem superabat.

Raro polyposi sine præcedente aut regulari aut irregulari febre moriuntur. Hoc quendam in eam duxit opinionem, ut statuerit, providam naturam has febres eum in finem excitare, ut corpus solidum polypi per putredinem sic humoribus inductam solvatur & consumatur. Ast veritati hæc opinio minus consentanea, nec probabilis est. Videmus enim epidemica grassante febre polyposos etiam illa corripi, unde judicari potest, causas occasionales, aerem cæterasque res non- & præternaturales, quæ febres in aliis subjectis excitarunt, in polyposis etiam easdem produxisse, alias non idem tempus natura provida expectare debuisset, sed alio quovis tempore illum motum febrilem corpori inducere potuisset. Deinde non concipi potest, quod ab inducta illa putredine corpus tam solidum polypi dissolvi & annihilari possit, quia vita cum tanta putredine, quæ solidum illud in liquidum resolvere valeret, persistere nequit. Præterea quoque omnes fere partes in polypo defuncti cadavere putredine jam jam tactæ deprehendi deberent, quod experientiæ

repu-

repugnat. Febris ergo hæc potius eſt morbus ſuperveniens polypoſis, ſummumque minitans periculum. Nam ſi per ſudores copioſos, aliasque excretiones item per inediam, &c. in febre diutius ægrum affligente, humores depauperantur, facile fit, ut polypus ingrediatur in vas quoddam ſanguiferum, illiusque parietibus firmiter adhæreat, ita, ut motu & calore poſt paroxyſmi febrilis decurſum, vaſorumque turgeſcentia remittente, & ſic cavitate vaſis ſanguiferi anguſtiore reddita, polypus non verſus ventriculum cordis provehatur, ſed firmius inhærens plenariam vaſis obſtructionem inducat.

§. VIII.

Eventum quidem bonum polypſis nequaquam polliceri poſſumus, attamen non ſemper, ubi polypum cordis ſuſpicamur, mors ſtatim annuncianda eſt, dum ſubjectum polypoſum, ſi conveniente diæta utatur, nec humoribus tam per alios morbos, quam nimias evacuationes, aut motum excedentem deſtituatur, per multos annos in vita ſervari poteſt, id quod exinde judicamus, dum in ſenſibus, aliis morbis defunctis ſæpiſſime deprehenſi ſunt polypi cordis, nullum vas ſanguiferum obſtruentes, qui procul dubio multos per annos generati in illis latuerunt. In quibus vero humores â febribus exhauriuntur, omnisque medicatio etiam probatiſſima & certiſſima, ad illas tollendas adhibita, fruſtranea eſt, & omnia ſigna polypi cordis ſpecialia conſtanter remanent, eo caſu mortem certo ſecuturam adſeverare poſſumus.

§. IX.

Cura polypi cordis generati & adulti ejusque reſolutio & conſumtio omnino impoſſibilis eſt, qare aut recenſione tot remediorum irritum plane laborem ſuſceperunt, nullamque merentur fidem, præcipue dum nullo experimento probarunt, quod aliquo remedio cordis polypus curatus unquam fuerit. Polypus autem cordis, qui fieri incipit, & adhuc in coagulo viſcoſo conſiſtit, curam quidem admitteret, ſed nunquam ex ſignis cognoſcitur. Quod igitur non per diagnoſin inveſtigari poteſt, etiam curari nequit, adeoque omnis remediorum commemoratio hic ſupervacanea eſt. Apud illos tantum, ubi polypum adultum vel cognoſcere, vel ſuſpicari datur, quædam ſuadere licet, ut mitigetur affectus urgens, vitaque ulterius prolongetur. Hic ante omnia diæta conveniens præ-

scribenda, eaque accuratissime observanda est. Omissis generalibus, tantum ea nunc tangamus, quæ speciatim polyposis conducunt. Potus largior, quem natura ipsa flagitare videtur, ne spissiores reddantur humores, omnino concedendus est, si modo nec sit nimis tenuis, nec nimis saturatus, nec ad ebrietatem usque nimius hauriatur. Confert enim, si vasa sanguifera turgida semper serventur suo modo, ne laxa & remissa facta adhæsionem polypi in vase quodam sanguifero admittant Cibi conveniunt non crassum, sed tenuem chylum producentes & magis succulenti. Motus exerceatur moderatus, nunquam sit nimins, massam sanguineam exagitans. Quieti non indnlgeatur in excessu. Somnus diurnus absit, nocturnus non sit excedens. Vigiliæ nimiæ & lucubrationes vitentur. Excretiones omnes promoveantur, & in statu naturali serventur, nimiæ vero, humorum vitalium depauperatrices, quovis modo arceantur. Medicamentis autem polyposi nostri opus habent temperatis diluentibus, antispasmodicis. Venæ sectio in iis, qui sanguine abundant, moderata concedenda & debite repetenda. Si morbus alius concomitans, uti semper fieri solet, adsit, qui medelam urget, saltem lenicra medicamenta locum habent, drastica vero omnia exulent Hinc nec sudorifera fortiora, nec diuretica, nec purgantia sursum & deorsum nimium agentia, conveniunt, sed tantum leniora. Emetica vero, quia totum corpus nimium quantum exagitant, humoresque violenter commovent, nunquam propinanda, facile enim fieri potest, ut polypus fortius hoc motu impulsus in vas aliquod sanguiferum, non retrogrediatur in cordis ventriculum, atque sic mortem acceleret. Febris si accedat, nulla mora eidem est concedenda, sive sit ordinaria intermittens, sive anomala, nec expectandum, donec hæc typum ordinariæ acquirat, sed statim optimis febrifugis cura aggredienda, ne mora diuturniori concessa per evacuationes largiores humores inspissentur. Porrigenda huic sunt febrifuga optima & probatissima majori dosi ac frequentius, quam in aliis febribus extra hunc statum recurrentibus nulloque periculo stipatis fieri solet, fere eundem in modum, ac in febribus apoplecticis & soporosis facere consuevimus methodo *Tortiana* & *Werlhosiana*.

F I N I S.

MEMORIA
Viri Illustris
Dn. JOHANNIS CONRADI
Lib. Baronis
de
BRUNN,
Domini
de
HAMMERSTEIN,
Medicinæ Doctoris ejusdemque in perantiqua Heidelbergensi Academia Professoris Publici,

Sereniss. ac Potentiss.

JOH. GUILIELMI,

Electoris Palat. ad Rhenum, post Ejusd. Sereniss. Fratris.

CAROLI PHILIPPI,

Consiliarii intimi & Archiatri,

ut & aliis Potentiss. Regibus, Electoribus & Sereniss. S.R.I. Principibus â Consiliis medicis,

Academiæ Cæsar. Naturæ Curios. Collegæ;

HEROPHILUS dicti.



DEmosthene vel Cicerone Oratoribus horumque suada dignissimus est Vir hic Illustris, cujus fama, scientia & Ars FONTIS ad instar crystallini longe lateque per florida totius Romani Imperii gramina fluebant, adeoque non solum HEROPHILI, sed HIPPOCRATIS Germanici nomen, meritis & fortuna faventibus, promeruit. Sed nec dissertissimi Oratoris encomio indiget, quem facta ipsa per orbem celebrant. Patria est *Diessenhofium*, municipalis urbs solo fertili ad Rhenum ê regione fere Scaphusii sita, â Comitibus Kyburgensibus, quorum insignia adhuc gerit, Anno 1179. muris cincta, Prænobilis Familiæ, *Dapiferorum de Diessenhofen*, quondam sede. Heic natus Illustris noster Anno Æræ Christianæ 1653. d. 16. Jan. Patre *Erhardo Brunnero* Prætore Civitatis inclyto, Matre pientissima *Verena Hausmann*. Ab his Parentibus pro salute & fortuna filii sollicitis, mature fuit admotus studiis, in schola tum patria, tum vicina Scaphusiana. Neque omiserunt hi optimæ spei puero mature instillare pietatis principia, ex qua palmaria virtute velut uberrimo FONTE successu temporis promanarunt innumerorum bonorum operum purissimi rivuli. Studiis autem aptus fuit judicatus Anno ætatis decimo, inprimis *Joh. Jacobi Dentzleri* consilio, cujus opera per quinquennium vel ultra in humanioribus addiscendis usus, eo tempore, quo hic *clavim Linguæ Latinæ*, Librum in perplutimis scholis longe lateque receptum maximo labore conscripsit, occasionem

proin

proin nactus percommodam, dulcius ex ipso FONTE bibendi Linguæ Latinæ aquas.

Anno ætatis decimo sexto Academiis judicatus maturus Argentoratum profectus est, ubi per quadriennium in ædibus ALBERTI SEBIZII Medicinæ operam navavit indefessam, nihil prætermittens earum rerum, quæ disci poterant ex Collegiis tum publicis, tum privatis, Institutionalibus, Anatomicis, Botanicis, Chimicis, Pathologicis, Practicis, Disputatoriis, & in super addi ex laboribus propriis.

Anno ætatis vigesimo dignus fuit habitus, qui præviis examinibus Doctoratus Laurea ornaretur, SALTZMANNO Facultatis Decano, *Alberto* SEBIZIO & *Marco* MAPPO, Professoribus celeberrimis & Examinatoribus, quorum jussu Thema Theoreticum *de Morbis eorumque differentiis*, & practicum *de Hæmorrhagia Narium* explicavit. Dissertationem autem ipsam inauguralem *de Fœtu monstroso & bicipite*, tum forte nato & ab ipso dissecto, sustinuit Argentorati 1672. 4. hocque singulari Themate dexteritatem simul in Anatomicis & judicii acumen manifestabat Neo-Doctoribus, ut Themata seligant haud trita & crambem non apponant centies vel millies coctam atque recoctam.

Contendit hinc Lutetiam Parisiorum, fœcundam scientia & Artis Medicæ nutricem. Heic exercitiis publicis interfuit: conversatione erudita & familiari fructus Dni DENIS Abbatis BOURDELOT: Xenodochia quoque frequentavit, & in iis ad omnis generis ægros & operationes cum Anatomicas, tum Chirurgicas, sedulo attendit: Experimenta sua, quibus celebre promeruit nomen instituit circa pancreas canibus exsectum, qua occasione necessitudine junctus fuit celeberrimo Anatomico *du* VERNEY quocum multum temporis insumsit, & diu noctuque sectio-

nibus cadaverum inhiando, varias operationes Anatomicas, ſpeciatim vero injectiones vaſorum, tunc prorſus adhuc novas, inſtituit. Dexterrimarum â BRUNNERO noſtro inſtitutarum obſervationum memor laudatus modo Anatomicus, illum in Germaniam reducem, Lutetiam ſumtibus oblatis revocavit per litteras humaniſſimas. Innotuit ibidem præter Philiatros bene multos etiam Illuſtriſſ. Baronetto *de* BOLLES Anglo, qui Experimentis circa Pannoreas inſtitutis jam celebrem hoſpitio & menſa gratuitis exceperat, & ad ſedem figendam in Anglia magnificis invitaverat promiſſis.

In Angliam dein per mare trajecit, periculo piratarum, qui navim perſequebantur, expoſitus. Heic ſalutavit magnos, & Republica tum litteraria tum medica meritiſſimos viros, OLDEBURGIUM Societatis Regiæ Secretarium, WILLISIUM, LOWERUM; Oxonium quoque adiit, indeque, tempore aliquo exacto, Londinum cum amicis rediit.

Ex Anglia in Belgium tranſiens graves tempeſtatum injurias expertus eſt, Lugduni Batavorum dein SYDENIUM Botanices, CRANNEN Practices, DRELINCOURTIUM Anatomes, *de* MAETS Chymiæ, SCHACHTIUM Inſtitutionum Profeſſores celeberrimos frequenter audivit. Amſtelodami SWAMMERDAMIUM, RUYSCHIUM ſalutavit, faventes ubique invenit. Inde bonis avibus in Germaniam redux Argentorati lauream Doctoralem adeptus, mox Praxi Medicæ apud Nobiles atque plebejos admotus eſt.

Anno 1688. d. 12. Decemb. Matrimonium contraxit cum magni Hippocratis Helvetici, *Joh. Jacobum* WEPFERUM, Medicum Scaphuſianum & expertiſſimum & eruditiſſimum volo, filia natu minima. Lux luci juncta debebat fulgere magis. Sanguis utriusque Hippocratis ſociari,

optimo

optimo Aſclepiadeæ Familiæ augurio. Ex ſuaviſſimo hoc conjugio natæ proles numero decem.

1. *Erhardus* in tenera ætate mortuus.

2. *Joannes Jacobus*, quem in flore juventæ mors diem abſtulit.

3. *Erhardus*, Potentiſſimo Electori Palatino & Celſiſſimo Epiſcopo Monaſterienſi à Conſiliis Medicis, Med. Prof. in Academia Heidelbergenſi, poſt Sereniſſ. Landgravii Haſſiæ Conſiliarius Aulicus & Cuſtos corporis, qui tamen Anno 1721. absque hærede deceſſit. Fuit hic laurea Doctorali ornatus Halæ Magdeburgicæ Anno 1705. d. 15. Jun. præmiſſa Diſſ. inaugurali *de Frequentia morborum in corpore humano præ brutis*: conſcripſerat etiam Diſput. *de Corde occulto* indeque *Hydrope aſcite* conſequente, quam Duisburgi ad Rhenum publice defenderat.

4. *Conradus* Caſtra ſecutus per aliquot annos, cohorti copiarum Palatinarum Magiſter Equitum præfuit.

5. *Huldericus* olim Satrapiæ Alzejenſis in Palatinatu præfectus, nunc Conſiliarii dignitate in Illuſtriſſimo Regimine & Juſtitiæ militaris Senatu Sereniſſ. Electoris Palatini fulget. Compoſuit is & exercitii gratia Duisburgi defendit *vera Jurisprudentiæ præcognita* Anno 1705. alteram poſtea inauguralem *de Jure aggratiandi* Lugd. Batav. 1709. qua liber ad Praxin acceſſus ipſi fuit datus ab Alma Univerſitate.

6. *Jacobus* Med. D. Præfecturæ Neoſtadienſi in Palatinatu ut Phyſicus ordinarius præfuit, ſed poſt optimi & χαριεστάτου Patris obitum una cum pientiſſima Matre lares patrios repetiit, nunc cum ipſa ſcaphuſii in Helvetia commorans, inauguralem is habuit Duisburgi ad Rhenum *de Sanguine*, & habito Sermone, *de præſtantia Salivæ in corpore humano* An. 1723. Febr. in Doctorum numerum fuit receptus.

7. *Johannes Wilhelmus*, natu minimus, Düſſeldorpii genitus, primis â nativitate annis ibidem fata ſua præmatura clauſit.

8. 9. 10.) Filiæ tres, tribus diſtinctis antiqua Nobilitate claris Familiis Scaphuſianis per matrimonium junctæ.

Barbara natu maxima, nupta Generoſiſſimo *Davidi Stokaro de Neuforen*, ex Illuſtriſſ. Regimine Sereniſſ. Electoris Palatini Conſiliario, & in Palatinatu Provinciæ Alzejenſis Præfecto haud diu dulcis matrimonii fructus percepit, quippe cœleſtia ſuſpirans & ad cœlites in florida licet juventute migrans, mundo huic valedixit d. 3. Maji. 1716. relictis, qui præmaturum obitum cumprimis deflerent, dilectiſſimo Thori ſocio & binis filiis ſuperſtitibus adhuc.

Maria Magdalena, media, nupta Nobiliſſ. *Joh. Jacobo ZIEGLERO*, ſeptem liberorum Mater una cum ipſis & ſuaviſſimo Marito ſuperſtes adhuc.

Catharina Helena matrimonium haud ita pridem iniit cum Ill. Juvene *Didaco de RINK â WIDENBERG*, ſub Sereniſſ. Principe & Duce Würtembergenſi Protribuni Filio, præclaris dotibus ornatiſſimo.

An. 1683. luci publicæ conceſſit *Experimenta nova circa Pancreas cum Diatribe de Lympha & Pancreatis uſu*, Amſtelæd. ap. Henricum Wetſtenium 8vo. Secundus partus, Orbi Medico-litterario haud minus gratus, prodiit Francof. & Heidelbergæ apud Joh. Maximilianum â Sande, An. 1715. titulo: *Glandulæ Duodeni ſeu Pancreas Secundarium.* 4.

An. 1685. in Academiam Cæſaream Leopoldino-Carolinam Naturæ Curioſorum, *HEROPHILI* nomine, fuit adſcitus. Membrum ut Illuſtre ita minime *OTIOSUM*: Suggeſſit quippe ex ditiſſimo Praxeos, Phyſicæ & peritiæ Anatomicæ promptuario Obſervationes bene multas, quarum Syllabum heic ſiſtere juvat.

Nova-

Novarum Glandularum Inteſtinalium deſcriptio. Ephemerid. Decur. II. Ann. V. p. 264.

Experimentum in Dyſenteria. Ibid. Ann. VI. p. 387.

De Experimentis circa Pancreas novis confirmatis. Ibid. Ann. VII. p. 243.

Lympha Paracenteſi felici ſucceſſu extracta. Ibid. Ann. VIII. p. 217.

De Hydrocephalo laborantium Anatomiis. Decur. III. Ann. I. p. 249.

De Apoplexia fortiſſima ex Hydrope Cerebri, cum ejusdem Anatome, ibid. p. 264.

De Apoplexia poſt quinquennium recurrente fortiſſima, â ſanguine extravaſato, cum capitis Anatome, ibid. p. 271.

De Experimento circa Venaſectionis neceſſitatem, Dec. III. Ann. II. p. 347.

De Granis ſecalis degeneribus venenatis, ibid. p. 348.

De Experimentis circa Venæſectionis utilitatem. Ann. IV. ejusd. Decur. p. 185.

De Experimento circa noxam Lithargyrii, ibid. p. 193.

De Phænomenis quibusdam circa gravitatem Aëris, rationibus ſimul expoſitis, cur Mercurius in Barometro aſcendat cælo ſereno, deſcendat autem pluvio. Anno V. & VI. ejusd. Decur. p. 655.

De Experimentis circa Motum projectorum, ibid. p. 657.

De Experimento cira motum elaſticum, ſeu efferveſcentiam Acidularum in Antlia Pnevmatica, ibid p. 658.

De Experimento circa Motum Muſculorum, ibid. p. 659.

De Animalium & Inſectorum variorum excretione per os, Ibid. 661.

De febri maligna miliari. Dec. III. Ann. VII. & VIII. p. 341.

De dolore iſchiadico periodico acutiſſimo, ibid. p. 346.

De Gutta Serena. Ephemer. Cent. I. p. 137.

Ex-

Experimentum de Bullarum productione in solutione chalybis. ibid. p. 143.

De Caruncula in Urethra, ibid. p. 143.

De Caruncula in Urethra rarius, quam hactenus creditum fuit, existente, ibid. p. 200.

Anatome Peripnevmonia cum Hemitritao defuncti cum observatione circa venas Meseraicas. Cent. VI. p. 181.

Mira Metastasis. Cent. IX. obs. I.

De Calculo Vesica. ibid. obs. II.

Apoplectici Anatome. ibid. obs. III.

Experimentum circa Podagram cum Nephritide in Semet ipso expertus. Vol. I. Autor. An. 1727. Obs. 127. p. 272.

Expermentum de Virtute Corticis Peruviani adstringente. ibid. Obs. 128.

An. 1685. Professioni Medicæ, quæ Heidelbergæ est, admotus tam Lectionibus publicis quam privatis inter concatenata plurima majoris momenti negotia operam dedit, & nonnulla Professionis hujus specimina publica edidit. Sic prodiit Disp. *de Glandulis in intestino Duodeno hominis detectis*. An. 1687. recusa Swobaci. 1688.

Disputatio *de Glandula pituitaria* An. 1688. quam ob Fxemplarium defectum An. 1715. prædicto Tractatui de Glandulis Duodeni in fine subnexam typis denuo imprimendam curavit.

De Pleuripnevmonia epidemica Philipsburgi grassante 1689.

Interim non poterat non ad oras penetrare longinquas tanti Viri fama, & ipsos Academiarum florentissimarum Curatores magnetica veluti vi allicere, ut Asclepiadea juventus multarum Nationum haberet, quod ex purissimo doctrinæ & Praxeos *FONTE* biberet. Hinc An. 1696. Ad Academiam Lugduno - Batavam, cui nunquam defuere præstantissimi Medici, invitatus fuit, â Celeleberr. *SPANHEMIO*,

HEMIO, ſed illuc ire negotia, quibus diſtrictus fuit, practica haud permittebant.

Æternitati nominis favent *Nobilitatis* inſignia, quibus eum honoravit Sereniſſ. JOHANNES WILHELMUS Elector An. 1711. vacante Imperatoria ſede Vicarius Imperii Generalis, adjuncta nomini ſede *Hammerſtein*, in Ducatu Montano.

Scaphuſium ipſum tot magni nominis Medicis celebre, volebat & hunc numerare inter Cives, quem inſuper commendabant merita bene multa erga inclytam hanc Rempublicam. Civitatis proin jure donatus fuit ipſe cum omni ſua poſteritate An. 1720.

Tanti nominis virum, qualis noſter fuit, tot Principum Archiatrum, multa feciſſe itinera quis eſt qui dubitat? Ad Principes, Reges & Electores Imperii ablegatus An. 1680. ad Epiſcopum Conſtantienſem *JOHANNEM* ex Illuſtri Familia *de PRASPERG* ejusque ſucceſſores conceſſit ſæpius.

An. 1683. Phyſicus ordinarius poſtulatus â Reverendiſſ. & Illuſtriſſ. Principe Abbate Romano, totoque Capitulo San-Blaſiano, quibus antea quoque egregia præſtiterat officia.

An. 1685. ad CAROLUM Electorem Palatinum, ut expertisſimo ſocero *WEPFERO* ſuppetias ferret evocabatur, ex quo tempore Serenisſimæ huic Domui fidelisſime inſervivit. Palatinatu ſub Electore PHILIPPO WILHELMO An. 1688. devaſtato, Profesſionem Medicam in Univerſitate Heidelbergenſi deſerere coactus, patriam tanquam tutisſimum Aſylum repetiit. Heic ad annum usque 1695. commorato novus fortunæ ſol illuxerat. Anno quippe jam citato â Sereniſſ. Electore JOHANNE WILHELMO Düſſeldorpium evocatus *Conſiliarii intimi* atque primariam *Archiatri* Palatini ſtationem obtinuit, quo poſteriori mu-

nere & apud hunc, & Serenissimum Ejusdem Fratrem Successorem CAROLUM PHILIPPUM, fidelissime atque felicissime ita defunctus, ut raro exemplo, gratia Serenissimi Principis nunquam exciderit, omnibus bonis semper charus ad ultimum usque vitæ suæ halitum.

An. 1689. per litteras rogatus fuit, ut Proto-Medici Castrensis in universo S. R. J. Cæsarea Majestatis Exercitu Provinciam in se susciperet.

An. 1690. ad Sereniss. Hassiæ Landgravium CAROLUM, & ab illo tempore sæpius iterum missus est, qui ipse Sereniss. Princeps An. 1706. subjecti condigni quod vacantem Marpurgi Cattorum Professionis Medicæ spartam ornaret, seligendi curam ipsi gratiosissime commisit; cui Principis propensæ voluntati ut humillimum morem gereret, denominavit Clar. D D. *MELM*, qui doctrina & opere talem se præstitit, qualem muneris ad ipsum delati decus exigebat. An. 1706, ad Sereniss. Principem Electorem Trevirensem, & abhinc aliquoties tum ad eundem tum ad Sereniss. Successorem, postmodum Moguntinum Electorem vocabatur.

An. 1708. ad Invictissimum Romanorum Imperatorem LEOPOLDUM & Augustissimam Thori sociam vocatus. A qua ipsa Romanorum Imperatrice eodem anno jussus fuit prospicere de Archiatro, qui Sereniss. Principi & Archiduci MARIÆ ANNÆ, futuræ tunc Lusitaniæ Reginæ, â Consiliis & officiis Medicis foret; cui clementissimo mandato devotissimo obsecundans, non solum Medicum sed jussu postea ipsius Augustissimæ Reginæ etiam Chirurgum designavit,

An. eodem vocatus ad Sereniss. Principem Marchionem Badâ Badensem *LUDOVICUM* & antehac aliquoties ad Sereniss. ipsius conjugem.

Anno

Anno 1691. accersitus ad Illustriss. atque Reverendiss. Principem Campidonensem. Inde ab anno 1695. ad 1722. serenissimis principibus & Ducibus Würtembergensibus Consiliis suis adstitit.

Anno 1709. ad sereniss. FRIDERICUM Borussiæ Regem, nec non ad Celsissimum Principem FRANCISCUM ARNOLDUM, Episcopum Monasteriensem & Paderbornensem, item ad Sereniss. Principem *de* TURRE *&* TAXIS, item ad Serenissimam Principem *Oettingensem*, SOPHIAM LOUISIAM. Porro Anno 1714. ad Serenissimam *Principem Arausionensem*: dum in vicinia Civitatis Arnheimii in Diesen commorabatur.

Anno 1716. quo Sereniss. Fratri JOHANNI GUILIELMO in Electoratu successerat Sereniss. CAROLUS PHILIPPUS, hactenus Vicarius Cæsareus Ducatus Tyrolensis easdem gratias & honores, quibus apud Sereniss. Antecessorem floruit, de novo confirmavit, evocans BRUNNERUM nostrum Düsseldorpio Oenipontium, quo novo Domino & gratioso Protectore migravit Neopurgum, indeque Heidelbergam & Manhemium. Anno 1717. vocatus ad Sereniss. Principem Nassovio-Siegensem. Anno 1720. ad Sereniss. FRIDERICUM tunc Angliæ Hæreditarium Principem, Hanoveram; eodem ad Celsissim. LOTHARIUM FRANCISCUM, Electorem Moguntinum. Anno 1721. ad Sereniss. FRIDERICUM Sueciæ Regem, cum in Germania degebat. Anno 1722. ad FRIDERICUM Daniæ Regem Potentissimum, ejusque Conjugem AUGUSTAM in Aquisgranensibus Thermis degentes, nec non ad Celsiss. Principem JOH. PHILIPPUM FRANCISCUM, Episcopum Herbipolensem. Anno 1723. ad JOSEPHUM CLEMENTEM, Sereniss. Electorem Coloniensem, anno 1725. ad Sereniss. Principem Remensem, anno 1726. ad Sereniss. MAXIMILIANUM Bavariæ Electorem; anno 1727. ad Sereniss. Ele-

ctorem Trevirensem, postea Moguntinum, tandem ad Status & Principes Imperii tum Ecclesiasticos, tum seculares, Archi-Episcopos, Episcopos, Landgravios, Marchiones, Comites, Polemarchos terra marique bella gerentes, & Chiliarchas plurimos.


Quis autem ex his omnibus dubitet, rerum cum politicarum, tum & inprimis medicarum thesauros esse litteras undecunque ad Illustrem Virum datas, & responsorias ejusdem? Eodem Anno 1726. sub 13. Nov. Potentissimus Rex Angliæ, GEORGIUS, miserat ad eum systaticis litteris gratiosissimis Exc. D. *de la* ROSE, Medicum Aulicum Regium, quo Praxeos suæ methodum â tam longo tempore felicissimam eidem fidelissime suggereret; qui vir uti moribus concinnis & ingenio naturæ perspicaci donatus, hoc suum egregium talentum longis ad varias Academias peregrinationibus jam ante magno dederat fœnori inter & locupletem scientiarum, inprimis rei medicæ thesaurum sibi comparaverat.

Sed mirum est, & singulare gratiæ Divinæ argumentum, quod tot inter concatenatos labores, varia fortunæ certamina, tot rei domesticæ & medicæ curas paucos expertus fuit morbos, febres duntaxrat, quas ex commercio cum ægris utplurimum contraxerat, & aliquando ex Sectione viri, febre petechiali, ipso inscio, defuncti, quam Essentia Camphoræ â se tunc forte parata, statim iterum fugaverat. Sed hæreditario jure, an injuria, nephritidem â Matre, Podagram â Patre contraxerat. Illam senserat anno ætatis 24 Lutetia mitiorem, vehementiorem ab illo tempore â Vini albi, præsertim Rhenani, potu, Arte tamen & Diæta, imo forte ipsis itineribus hostem hunc in-

gratum

gratum pepulit. Sed postquam Podagra optimum Virum anno circiter ætatis 50. & aggredi cœpit & invalescere, junxerat se ei consobrina rephritis & veluti agmine facto utraque eum habuit acerbe, stomachum quoque ipsum lacessens: Asylum autem & quærebat & inveniebat in lacte, adeo securum, ut anno ætatis 74. vocatus ad Sereniss. Electorem Bavariæ iter 86. milliarium Manhemio Monachium intra biduum tresque noctes, intensissimo licet frigore, fuerit emensus, ibique per Dei gratiam salvus & incolumis appulerit.

Suum tandem fata humana invenere finem die 2. Octobr. 1727. quo ipso postquam animam suam Conditori suo & Salvatori pia devotione commendaverat, ultimum dixit rebus mundanis vale. Viam ad ultimam hanc rerum lineam straverat, synochus, sive febris continua remittens, cui etiam aliquid pristini arthritici mali se se intermiscebat. Sic anima remeavit ad Deum. corpus vero numerosa & tristi commeantium caterva stipatum, reconditum fuit in Templo, quod Manhemii est, Reformatorum, ubi Pyramidi ex Marmore nigro litteris inauratis insculptum legitur sequens Epitaphium:



Vivit
Post funera Virtus.
In
Venerandam Memoriam
J. C. de BRUNN
â Hammerstein
Scaphusa - Helvetii
Nati die 16. Januar. A. C. MDCLIII.
Sereniss. ac Potentiss. Princ.
CAROLI PHILIPPI
Comit. Palat. ad Rhen.
S. R. I. Archithesaur. & Elect. &c. &c.
Consiliarii intimi & Archiatr.
Professor Medic. in Universitate Heidelbergens.
Societat. Naturæ Curios. Cæs. Leopold. Herophili
de diversis Europæ Majestatibus
Sacr. Cæsar. ut & Reg. Majest. Britan. Svec. Dan. & Boruss.
permultisque S. R. I. Magnatibus bene meriti;
Denati communi omnium mœrore
d. 11. Octobr. A. MDCCXXVII.
In Civitat. Resid. Elect. Manheimens.
Hoc Lethalitatis Monumentum
mœstissimi posuerunt hæredes.

Memoria

Viri Prænobilissimi,

Domini

CHRISTIANI GOTTHARDI WILLISCHII,

Medicinæ Doctoris & Civitatis Piirnensis Physici,

Academiæ Imperialis Leopoldino-Carolinæ

Naturæ Curiosorum

Collegæ,

BASSUS dicti.



M*Edicum non decet juvenem mori:* Vetus quidem, sed experientia non usque adeo comprobatum, est adagium: Habuit quidem olim Gallia LAURENTIOS, Anglia GLISSONIOS, Belgium TULPIOS, Helvetia BAUHINOS, Italia *Fabricios, ab* AQUAPENDENTE, Hispania MERCATOS, Dania SPERLINGIOS, Germania SEBIZIOS, & ne extra patriæ limites ultra vagemur, hujus inprimis ocellus, Lipsia, MICHAELES, WELSCHIOS, FRISIOS, BOHNIOS, RIVINOS. Neque minus adhuc habet & olim habuit Viteberga, de quibus glorietur, suos BERGEROS & VATEROS; Jena WEDELIOS; Erfordia HARTENFELSIOS & EYSELIOS, ut reliquos senes Medicos, nostri præsertim seculi, taceamus. At enim vero omnis quoque tellus habuit suos Medicos, quos juvenes mori decuit. Neque enim regularum GALENI aut HIPPOCRATIS peritia, neque in medendo aliorum malis felicitas, impedire potuit, quo minus Medici præstantissimi, nisi annis, scientia tamen maturi & veluti grandævi, in ipso juventutis flore naturæ debitum exsolverint. Quibus quidem proh! adnumerandus est Collega noster charissimus, nunc desideratissimus, cujus memoriam ab oblivionis injuria vindicare tabula veluti hac appensa, studebimus, vitam studia meritaque ejusdem strictim exposituri. Lucem hanc adspexit d. 26. Aug. 1691. *Liebstadii*, quod oppidulum â *Pirna* duobus, â *Dresda* vero, Bojohemum versus quatuor lapidibus distat. Parentibus usus est ex gente Sacerdotali, ab utroque latere, per duo fere secula haud ignobili, ortis, *Christiano*, Pastore dicti loci, & *Maria*

ria

ria Sophia Saalbachia, Kromeyerorum. Avum habebat *Jo. Wilischium*, Pastorem Sebnizensem: Proavum M. *Jo. Martinum Wilischium*, generum *Greg. Strigenitii*, Theologi olim *Jenæ*, *Vinariæ*, & *Misenæ* celebratissimi; nec non Abavum, *Martin. Wilischium*, qui Formulæ Concordiæ subscripsit, Superintendentes Eckardsbergenses. Decimo jam ætatis anno, Parente orbatus, *Budissam*, primariam Lusatiæ superioris urbem, delatus, Gymnasio se civem dedit, & primum *Jo. Wilischii*, Bibliopolæ ibi, patrui sui, convictu & domicilio exceptus, post vero ab Ampliss. Senatu in convictus *Mættigiani* Societatem adscitus, ad pedes *Jo.* ROSENBERGII, *Mich.* THYMII, cæterorumque præstantissimorum doctorum, discendi cupidus, per VII. fere annos consedit, & præter reliquas, quæ ab humanitate nomen traxere, scientias, ad Poësin germanicam animum & studia appulit, ut venuste, scienter & commode cantare didicerit. Ab ejusmodi præsidiis aliis, græcæ videlicet latinæque linguæ, neque minus historiæ reliquarumque elegantiarum omnium cognitione instructus, vere ineunte A. R. O. MDCCVIII. in Academiam Lipsiensem se contulit, ut ibi cum fratribus suis, natu majoribus, studia sua continuaret. At enim vero, cum paulo post Frater ipsius natu secundus & major *Christianus Fridericus*, hodie Doctor Theol. & Superint. Freibergensis, ex Academia Lipsiensi ad capessendam Rectoris scholæ *Annæbergensis* dignitatem evocaretur, noster ipsi socium cum aliis duobus fratribus, natu minimis, se dedit, & egestate inprimis pressus, sub ejus cura, doctrina & moderamine denuo scholas minores, publicas & privatas, frequentare secum constituit. Fratrem supra jam nominatum, ibi habuit Rectorem & hospitem, *Georg. Müllerum* vero & *Christian. Weberum*, viros, dum nobiscum erant, rei scholasticæ peritissimos, & docendi inprimis facilitate præstantissimos, Præceptores.

Tandem ſtudiorum academicorum curſum, vere ſecunda vice iniit. & anno ſæculi hujus nono, *Halam Saxonum* elegit matrem & Patronam, eam inprimis ob cauſam, quia, cum ex reliquis fratribus tres Theologiam, duo Jurisprudentiam ſibi elegiſſent, ipſe tacito quodam impetu ad Medicinam ferebatur. Fama igitur, qua *Georg. Ern.* STAHLIUS & *Frider.* HOFFMANNUS, at quanti! jam tum inclareſcebant, *Halam* noſtrum arceſſebat & invitabat, ut á tantis Doctoribus recta via ad Hygieæ myſteria deduceretur. Illuſtrem *Chriſtian.* THOMASIUM in philoſophicis, duum viros vero ſupradictos ſummos, in ſingulis Medicinæ partibus audivit, & HOFFMANNO præ aliis ſe addixit. Ac enim vero, vix per aliquot menſes ibi hæſerat, rerum ſuarum ſatagens, cum cathedram academicam ad tempus cum vitæ aulicæ ſplendore HOFFMANNUS permutat, Berolinumque ſe confert, cuſtos regiæ valetudinis conſtitutus. Quo ſuo Doctore primario privatus, *Halenſi* Univerſitati dixit vale Noſter, & *Vitebergam* ſtudiorum ſedem ſibi deſtinavit, ubi præter *Jo. Hen. de* BERGER, VATEROS, patrem & filium, BRENDELIUM, aliosque academiæ Vitebergenſis Doctores, Illuſtri *Jo. Henr. de* HEUCHER ſe dedit auditorem & ſectatorem, eoque duce & magiſtro, univerſum curſum quem ajunt medicum, ſæpius una vice, feliciter decurrit. Quæ cum â Noſtro rite & cum laudabili ardore peragerentur, ſtudiorum ſuorum incrementa in publicum quoque producere & aliis ſe in exemplum ſiſtere haud detrectavit. Cathedram igitur tum philoſophicam, tum medicam, ſæpius conſcendit, de *Cicerone Medico*, *de ignorantia Anatomicorum*, de *Organo Tactus*, & aliis ejusdem argumentis, more academico, diſputans, ſtrenuum ſe in arena hac præſtitit athletam. Qua quidem ſua diligentia Noſter id conſecutus eſt, ut illuſtris Medicorum Vitebergenſium ordo, promeritos honores, in ipſum conferret

& d. IV. Octobr. 1712. eundem Medicinæ Licentiatum solenni ritu renunciaret, ventilato antea, Præside Illustr. Dn. *de* HEUCHER, doctrinæ suæ specimine de *Igne per ignem exstinguendo*, sive *præstanti Camphoræ usu in febribus acutis*, quam dignitatem d. 10. April. An. 1721. tandem doctoralis, eaque summa consecuta est. Postea vero, quum Noster, stadium suum academicum, non sine laude & applausu omnium, emensus fuerat, *Pirnam*, quam ut patriam alteram cum suis amabat, elegit, ubi artis suæ, quam tantis Ducibus & Doctoribus *Halæ* & *Viteberga* edoctus fuerat, dare inciperet specimina. Nec infeliciter cessere ipsi omnia. Brevi etenim tempore novelli hujus Medici fama *Pirnam* & agrum, qui circumjacet, implevit, & in viciniam Bojohemum quoque penetravit, ita quidem, ut homines infimo pariter ac summo loco nati, manui ejusdem medicæ se traderent. Quæ cum â Nostro, omni fide, solicitudine & diligentia peragerentur, non poterat non fieri, quin plura meritis parata essent præmia, laboresque honorum consequerentur augmenta. Anno igitur seculi, quod viuimus, decimo quinto, Naturæ Curiosorum Academiæ nostræ, quæ duorum Augustorum *Leopoldi* & *Caroli* nominibus coruscat, socius, *Bassi* cognomine insignitur, paulo post Regia & Electorali auctoritate, præsidiariorum in castellis regiis, *Koenigsteinii* & *Sonnensteinii* militum pariter ac præfecturarum, *Pirnensis*, *Stolpensis* & *Hohensteinensis*, Physicus Provincialis, annis vero tribus post ex Patrum, qui ad clavum regendæ Urbis, *Pirnæ*, sedent, conscriptorum, voluntate, Poliater omnium consensu & in omnium, quotquot *Wilischii* doctrinam quotidiana jam & creberrima experientia, confirmari videbant, gaudium constituebatur. Neque vero tot & tanti sæpissime concatenati labores, itinera & negotia, impedire poterant, quo minus Noster, quid valeant

humeri, & quid præstent, scriptis in lucem publicam editis, orbi erudito indicaret. Difficiles quidam morbi, partim fere epidemici, partim singulares, materiam scribendi subinde ipsi suppeditabant. Anno igitur 1717. scriptum quoddam, sermone patrio contextum, de *morbo quodam Spasmodico*, vulgo die Kriebel-Kranckheit, paulo post aliud quoddam latinum de *Melancholia ex verme umbilicali orta*, publicauit. Ut ea taceamus, quæ partim Ephemeridibus *Naturæ Curiosorum*, partim *Annalibus physico-medicis*, quæ tum dirigente KANOLDO, viro, dum vivebat, de re litteraria, inprimis naturali, immortaliter merito, edi cœpere, inserta sunt. Domesticam Nostri rem si scire velis, matrimonium denique iniit, cum *Jo. Margaretha*, *Andreæ* JACOBOEERI, MediciPirnensis tunc primarii filia vnica, ex qua suscepit duos filios filiamque vnicam, omnes vero filios, vivus adhuc pater in cunis vagientes, filiam vero in septimo ætatis anno, ad cælestes mentium sanctissimarum sedes, vidit & sensit præire. Atque ita Nostri vita non sine mœroribus, curis, variisque aliis rerum humanarum vicissitudinibus, decurrit. In pueritia & juventute cum paupertate, solitudine, aliisque ejusmodi calamitatibus confligendum ipsi fuit: ætas virilis perpetuis laboribus, quotidianis, per urbem & per singulos ejus vicos, discursionibus itineribusque molestissimis inter questus, clamores & suspiria, quibus ægri & lectis adfixi dolorem mitigare student, curis, centumque aliis seculi huius adversitatibus, adeo fracta & debilitata fuit, ut eandem nondum ad dimidium emensus ipseNoster, mortalitatis semina in se magis magisque prodire senserit. Licet enim Noster animi vigore excellenti, & satis firma atque prospera valetudine, â teneris usus fuerit, nocturnis tamen diurnisque lucubrationibus, laboribus & molestiis factum est, ut corpus alias procerum & fere obesum, vario morborum genere inciperet tentari;

Hæmor-

Hæmorrhagia narium, anxietates præcordiorum, tumor œdematosus, aliaque ejusmodi symptomata, aurem veluti Nostro vellicabant, ut Medicus Medicorum, quibus cum vivebat, consilia peteret. Sed proh dolor! non erat in Medico, ut ipse relevaretur, & cum pristina valetudine in gratiam rediret. Malum in dies ingravescebat & Noster suimet ipsius probe conscius, ad emigrandum ex hac miseria se accingebat. Medicus, uti ipsum decebat, mortem, cui ipse quondam terror fuerat, & quam sæpe detrectant senes, non extimescebat, sed eam in ipso ætatis & dignitatis flore minantem expectavit animosissime, morantem suspiravit avidissime, muturantem triumphavit Centissime epulo sanctissimo, plus una vice in lectulo suo emortuali, refectus, & verbi divini ministrorum colloquiis refocillatus, egregia & vere heroica, de vitæ hujus ærumnis, de Liberatoris universi generis humani morte & calamitatibus, de futuræ vitæ, quæ nobis expectanda est, felicitate certo consequenda, & de aliis ejusmodi argumentis, proferebat apophthegmata. Atque ita circa horam tertiam matutinam d. 11. April. 1730. eo ipso die, quem ante XXIX. annos Parens optimus supremum habuerat, placide animam suam Deo reddidit; corporis vero exuviæ die Dominica proxime sequente Quasimodogeniti quondam dicta, tumulo, frequenti & solenni funere, inferebatur, fratribus quinque reliquis, ad exequias prosequendas & ad justa beate defuncto Fratri suo in squalore & luctu maximo persolvenda, undiquaque convenientibus. Vivendo Noster annos XXXVIII. menses VII. & hebdomadas II. compleverat.



D. MICHAEL ERNESTVS ETTMULLERVS
Archiater et Comes Palatinus Cæsareus, S. R. I. Nobilis, Ephemeridum Academiæ Cæsareæ Leopoldino-Carolinæ Naturæ Curiosorum Director, Pathologiæ in Academia Lipsiensi Professor Publicus et Facultatis Medicæ Senior.

Memoria

Viri Illuſtris & Magnifici,

Dn. MICHAELIS ERNESTI ETTMÜLLERI,

Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris,

Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Archiatri,

Sacri Palatii Lateranenſis, Aulæ Cæſar. & Conſiſtor. Imper. Comitis, S. R. I. Nobilis

Ephemeridum Academiæ Leopoldino-Carolinæ Natur. Curioſorum

Directoris,

Pathologiæ in Academia Lipſienſi Profeſſoris
Publici Ordinarii, Facultatis ſuæ Senioris,

Univerſitatis Lipſienſis Decemviri,

Et Collegii majoris Principum Sodalis.

Virtutibus, Meritis & Honori Dicata,

Scriptore

CRATEVA II.



ANte obitum ſupremaque funera beatum neminem dici poſſe, quæ rerum humanarum eſt fragilitas & miſerrimæ vitæ conditio non Poëta tantum eloquitur, ſed quicunque is eſt, ſuæ omniumque corpori mentisque inhærentis corruptelæ ſibi conſcius, profitetur. Nemo unquam conſtantem ſibi vel fortunam, vel famam, in craſtinum, nedum in emortualem diem pignore polliceri audet, quo ipſo, ſi quibus iſtud felicitatis genus, quod in placida omniumque bonorum applauſu concelebrata morte recte collocatur, contigit, non muliebriter flendum planctibusque de illata divinitus injuria conquerendum ſed exultandum, deque impoſita feliciter difficilimo operi, quod ſubrui aut everti facile potuiſſet, coronide congratulandum eſſe, ſapientiores Philoſophi, nihil reclamante ſanctiore Religione, arbitrantur. Proinde quæ lubrica inſtabilique pede nixa ante diem lethi prudentiſſimi etiam viri merito dici debet virtus, utpote quam affectuum intemperantia, hanc enim nemo unquam compeſcuit, & ipſius corporis intemperies millibus ſubjicit periculis, tunc denique eluctatur ſummoque voto potita eſt, quam primum inevitabili defuncta fato ad finem conſtans perduravit, aliquamque ſuperſtitibus bene recteque ſentiendi & eloquendi de ſe commoditatem reliquit.

Paſcitur in vivis livor, poſt fata quieſcit,
  Tunc ſuus ex merito quemque tuetur honor.

Recte

Recte proinde & admodum sapienter majores nostri, quorum laudabili instituto Academia illustris condita & luculentis hucusque incrementis aucta fuit, defunctis cum laude Sodalibus vitæ eorundem publice recensendæ honorem decreverunt, quo eruditionis laborumque in Collegii augmenta collatorum hoc ipso, quamvis eorundem virtus pulcherrima merces esse possit, præmia quædam obtinerent: Hanc pietatem sicut omnibus debemus, qui augusto hocce Societatis vinculo nobiscum detenti fuerunt, ita illis, potiore jure exhibemus, qui ad gubernacula Ordinis nostri sederunt locumque obtinerunt magis eminentem. Justa scilicet persolvimus *Viro Illustri Magnifico & Excellentissimo Domino* MICHAELI ERNESTO ETTMÜLLERO, *Philosophiæ & Medicinæ Doctori, Pathologiæ in Academia Lipsiensi Professori publico ordinario, Archiatro & Comiti Palatino Cæsareo, Sacri Romani Imperii Nobili, Ephemeridum Academiæ Cæsareæ Leopoldino Carolinæ Directori gravissimo, Universitatis Lipsiensis Decemviro. Facultatis suæ Seniori & Collegii majoris Principum, quod Lipsiæ est, Collegiato spectatissimo,* Viro de sui, deque nostri ordinis dignitate, de omnibus, quæ exornavit officiis, de erudito orbe optime merito. Eo major esse debet istius Viri celebritas, quod famigeratissimi Parentis sui honores publicos longo spatio superaverit, eruditione eidem pro filiali obsequio, par haberi ne quidem cupiens, ut ut dubium superesse possit quibusdam, an celebrior haberi debeat, qui scripsit, an qui procuravit; Sermo nobis est de celeberrimæ famæ & laudis apud exteros potissimum comprobatæ Viro, MICHAELE ETTMULLERO, Lipsiensium, cum viveret, Hippocrate ut ut ætate juvenis, nam præcocis ingenii Vir fuit, præ properata etiam morte ereptus, ut Apollinis imberbis faciem tulisse videatur. Hunc Patrem nactus est noster, Botanices isto tempore in Academia patria itidemque Anatomiæ & Chirurgiæ

Professorem publicum extraordinarium, ex quo, Matreque *Margaretha* gentis *Bosiana*, quæ apud Lipsienses florentissima hodienum existit, prole, natus, aërem vitalem primum hausit die Augusti XXVI. Anni â parta salute MDCLXXIII. Avum paternum MICHAELEM ETTMULLERUM, Mercatorem in urbe patria felicem, aviam paternam *Claram* ex gente *Maulia*, avum maternum *Joannem Ernestum* BOSIUM Ordinis Senatorii virum, aviam maternam *Reginam* gentis *Wincleriana*, obtinuit. Invidebant terris fata parentem optimum cum uno anno quadragenario minor esset, scriptorum numero & elimata elegantia, maxime operibus suis, quæ totius medicinæ Encyclopædiam continent, pro sene decrepito æstimandum. Dirum exinde vulnus sensit noster, decem annos natus, sed abunde sagax, qui ex parente virtutum incitamenta desumere tunc potuerit. Supplevit Patris locum Vitricus, clari nominis Vir, D. *Leonhardus* BAUDISIUS, Senatorii ordinis, quem Vitricum non sensit; ejus enim cura optimos quosque humanitatis & literarum Magistros obtinuit, inter quos laudantur M. *Gottofredus* HOFFMANN, Gymnasii Zittaviensis Rector, *M. Joannes* MULLERUS, & *M. Samuel* GROSSERUS Rector Gymnasii Altenburgensis, qui mentem juvenis ad summa quæque excitaverunt, scientiis imbutam, quæ sublimioris doctrinæ paulo post basis fuerunt & fundamentum. E Gymnasiis in Academiam Vitebergensem migravit Anno MDCXCII. quæ eundem dogmatibus potissimum philosophicis & mathematicis, sine quibus in arte salutari parum proficitur, uberrime instruxit. Has ita quidem avide hausit, ut prima studiorum tentamina, Dissertatione, *de maculis in Sole visis*, publica edere haud vereretur. Noluit autem patriæ Academiæ auram insuper habere aut eidem incrementorum suorum gloriam invidere; quæ redditura ipsi erat famæ suæ merito patris auctæ

red-

redhostimentum. Accessit illuc Anno MDCXCIV. studiorum Philosophiæ summam lauream, adscito Magisterii titulo, tulit, qua se Dissertatione, *de Tactu sensuum externorum moderatore*, publice habita, dignissimum præstitit. Nefas ipsi visum fuit paterna castra sequi nolle, nimis altas in mente nativus ad artem salutarem impetus radices egerat, quam quem abjurare temere voluisset. Alliciebat eundem patris, quam æquare omnibus modis annitebatur, fama, addebat novos ignes præclara ex scriptis ineditis parentis proficiendi opportunitas, &, quam animo jam conceperat, pietate in genitorem, editis anecdotis, perfungendi fiducia. Qui inter arma natus fuerat, Tyrocinium haud difficulter fecit, & optimis in arte Doctoribus administris, *Johanne* BOHNIO, *Christiano* LANGIO, *Guilielmo* PAULI, Professoribus artisque Magistris, parvo temporis intervallo ita quidem adspiravit, ut ventilatis quibusdam, sub ORTLOBII præsidio, *de Oeconomia animali* dissertationibus lectionibusque quas cursorias vocant *de Lacte*, defensaque sub præsidio Præceptoris BOHNII, quam *de Singultu* inscripsit, disputatione inaugurali, Licentiam ad summos suo tempore in Medicina honores obtinendos impetraverit. Noluit enim præcocius ad dignitates grassari, neque ante Doctoris titulum sustinuit, quam biennio in itineribus per Germaniam, Belgium & Angliam consumpto, quo potissimum tempore summos quosque artis suæ Principes in Anglia SYDENHAMIUM, FREINDIUM, in Belgio RUYSCHIUM, GAUBIUM, RAVIUM in omni disciplinarum genere audivit, hortos publicos invisit, Anatomiam pervestigavit, & egregios eruditionis Thesauros secum abstulit. Inde in patriam redux factus, debitos sibi Doctoris Medicinæ honores publico actu â Decano Medicæ facultatis, FRISIO, obtinuit, non inanes, sed quibus se digniorem digniorem que præstare animo conceperat, quod etiam paulo post

peractum est. Nam patris, cujus ante oculos ipsi semper versata fuit imago, vestigia sedulus premens eruditionis suæ flumina passim diffundebat, artemque suam non faciebat tantum sed & docebat. Strenuus potissimum semper disputator extitit, & controversiarum medicarum conciliator perindustrius, favebat eidem lingua, quam volubilem & floridissimæ latinitatis compotem obtinuerat, dialecticam prorsus hauserat, pauci certo suo tempore vel promptius elocuti sunt, vel ornatius dixerunt. Anno scilicet MDCC. *de Variolis*, sequente *de Corpore humano sympathetico* dissertationes conscripsit. Inclarescere his omnibus ita quidem cœpit, ut extraordinariam Medicinæ Professionem anno MDCCII. regia obtineret gratia, quam spartam egregie prorsus ornavit; programmate, *an Medicos deceat esse sectarios*, & *de eo in quantum Medicina dici possit conjecturalis*. Oratione. Nostrum hinc ordinem ejus virtus latere haud potuit, quam Illustri ejus temporis Præsidi, *Lucæ* SCHROECKIO, potissimum comprobatam dederat, hic eundem hoc ipso, quo ad Cathedram emerserat, anno, Societati nostræ, tradito *Alexia* Symbolo, adscripsit. Quanta ejus in hunc ordinem nostrum extiterint merita loquuntur Observationes variæ quibus Ephemerides nostras auxit, nempe

de Fœmina gravida, Anasarca laborante, multum purgata sine noxa. Cent. I. & II. Obs. 44.

Certum & infallibile impraegnationis signum, Ibid. Observ. 45.

Cephalalgia ex lactatione, Ibid. Obs. 46.

Ulcus mammarum ex Phthisi, Ibid. Obs. 47.

De Arsenico sine inflammatione necante. Cent. III. & IV. Observ. 126.

Cucurbitæ esus noxius. Cent. IX. & X Observ. 66.

De Scroti, penis & pedum scirrho ex Erysipelate Vol. I. Actor. *Observ. 108.*

De

De Scabie pustulosa per paroxysmos affligente à contagio lanæ impuræ, *Vol. III.* Actor. *Observ.* 50.

De Partu octimestri ac decimestri, anceps consultatio, Ibid. Observ. 51.

De Ulcere ventriculi per quietem curato, Ibid. Observ. 52.

Nec nobis tantum hancce commentatiuncularum suarum operam præstitit, sed & academicas Lipsiensium, quæ *Acta Eruditorum*, latino æque ac Germanico Idiomate prodeuntia dicuntur, Ephemerides illustravit. Familiariter scilicet eodem utebatur Illustr. *Burckardus* MENCKENIUS Actorum Lipsiensium Editor, ejusdemque Censuræ medici argumenti scripta lubens subjiciebat. Jam eandem, cui Pater immortuus fuerat, Professionis Anatomiæ & Chirurgiæ extraordinariæ stationem subierat, jam & Nosocomii publici cura à Senatu ipsi demandabatur anno scilicet MDCCVI. quæ utraque res eidem honestissima, artis cultoribus auspicatissima & perutilis extitit. Ab eo enim tempore clinicis collegiis in ipso Nosocomio institutis, juventutem ægrorum faciem sustinere, miseriis eorundem propriisque mature adsuescere, planctus ferre, tenaciter esse cum pietate immisericordem, edocuit casusque non fictos, sed veros exponendos iisdem dedit, quo ipso plures celebrium Medicorum, nam discipulis suis Germaniam implevit, artis suæ successum se ipsi debere sponte profitentur. Inde anno quidem MDCCIX. publicam Physiologiæ Professionem, præmissis *de diligentia Hippocratis continuanda* Programmate, deque *systematum noxis in Medicina* Oratione ornare incepit, postquam Facultatis medicæ in Academia sua ordinem subiisset. Quo facto non antiquam tantum omnibus præstitit industriam, sed & novo, quæ novo muneri par esset, impetu, discipulorum incrementis operam navavit, nobis interea perquam commodus, nam

Societatis utilitatibus non uno modo profpexit, quæ res eidem existimationem haud levem & honorum incrementa attulit. Anno enim MDCCXXII. vacuam morte celeberrimi Wedelii, Adjuncti Academiæ nostræ per circulum Saxonicum, provinciam digne & laudabiliter supplevit præstitis omnibus, quæ gravi huic muneri competunt, plures scilicet eidem debemus eruditos sodales, quorum virtutem ille perspectissimam habuit ordinique sistere haud dubitavit, sicut rerum nostrarum in curæ suæ concessis regionibus rationem eam habuit, quam ingenuam magis haud possit. Divina scilicet providentia supremum illum honoris gradum quem celebri morte cohonestavit, jam eidem destinaverat, nec lento ille, sed præcipiti gradu ad summa quæque ordini ejus competentia honorum genera ferebatur. Academiam Lipsiensem Anno MDCCXXIII. unanimi Nationum consensu Rector electus, per semestre feliciter & cum gloria rexit, nec longo post intervallo An. MDCCXXIV. Professionem Pathologiæ ordinariam indeptus est, qui ipse locus cum Senatu Decemvirorum & Collegii majoris Principum, quam vocant Collegiatura, conjunctus esse solet. Accessit votorum cumulus, collatus scilicet ipsi ex Decreto Ordinis nostri, quem tot annis ornaverat, proximus â summo honor, qui *Directorem Ephemeridum* Collegii nostri concomitari solet, id quod anno MDCCXXX. factum est. Liberalis omnino isthæc existit provincia, utpote quam Invictissimus Imperator cum corporis sui cura & Archiatri titulo conjunxit, addito Nobilitatis Sacri Romani Imperii & Comitatus Palatini Privilegio; summi momenti, quæ unquam civi nato contingere potest, hanc esse felicitatem nemo facile negabit. Intellexit id Lipsiensis Academia, quæ in funebri, quam beato consecravit Panegyri, hanc nostro divinitus concessam felicitatem præ cæteris prædicat. Accedit, neminem Professo-

fessorum Lipsiensium ante eundem hoc honoris titulo hactenus condecoratum fuisse, quem merito eidem collatum omnes judicant, privatorum æque ac publicorum laborum brabæum. Sicut enim virtutum æque ac schedularum paternarum hæres extitit, ita difficile eidem non fuit, operum parentis sui diversas editiones adjuvare, eademque denuo revisa publicare, quæ editio detritis ac detersis variis superfluis usui accommodata magis visa fuit, prodiitque duobus Voluminibus cum prævia Nostri Epistola Genev. MDCCVIII. Fol. Equidem ista res leves eidem cum celeberrimo Viro Domino *Nicolao* CYRILLO, Neapolitano, qui Opera Ettmülleriana quinque Tomis digesta suisque amplissimis, aliquando etiam duris commentationibus illustrata Anno MDCCXXX. & Venetiis Anno MDCCXXXIV. nunc denuo recusa in lucem emiserat, controversias movit, verum sicut patriam famam defendisse inter crimina non haberi potest exteris, ita litem istam denique compositam esse ex Actis Lipsiensibus superioris anni cum jucunditate perspeximus. Ejus etiam cura Parentis Opera omnia in compendium redacta, quæ prodierunt Londini MDCCI. cum *Sydenhami* opusculis Germanica facta fuerunt Lips. MDCCXVII. Elegans cæteroquin habetur problematica Nostri ad Virum clarissimum *Fridericum* RUYSCHIUM, de Ovario novo epistola, Lipsiæ die VI. Maji MDCCXIV. exarata & recusa cum aliis Ruyschianis Amstelod. MDCCXXIX. Accedunt variæ Dissertationes, quas diversis temporibus elaboratas publice exposuit: *De Medico mendace, de ægroto mendace; de Tormentis ex pœnis sustinendis, de circulatione sanguinis in fœtu; de plantis num ante lapsum venenatæ extiterint; de vitiis circa somnum & vigilias; de Natura medica; de Vigiliis involuntariis; de divinationibus medicis*, præter illas, quas inaugurales Candidato-

didatorum ad summos in Medicina gradus adspirantium auspiciis suis exornauit. Sicut autem prima ipsi cura publico commodo prospicere fuit, ita privatas domi suæ utilitates haud neglexit Anno scilicet MDCCX. Thori sociam sibi adjunxit nobilissimam fœminam, Viri Amplissimi, *Christiani Rüdlingeri*, Administratoris præfecturæ Weissenfelsensis filiam, *Petri* autem *Treckelii*, Senatoris & Pharmacopolæ aulæ Weissenfelsensis Viduam, ex qua biennio post filiam, *Ernestianam Sophiam*, genuit, sed quinto anno ætatis demortuam. Prolem ceteroquin divina eidem denegavit clementia, quam sortem patienter tulit, unicum in amatæ Conjugis sodalitio & instructissimæ Bibliothecæ usu solatium sibi quærens, quo ipso vitam inter gravissima negotia dispartitus pie, prudenter, tranquille vixit, diemque summum intrepidus semper expectavit, qui eidem Luce XXV. Septembris Anni MDCCXXXII. magno suorum luctu illuxit. Brevis illi morbus, quod inter felicitates est, facem ad æternitatem prætulit, insultu scilicet apoplectico extinctus, placide suam Salvatori animam tradidit; Tabulis testamenti reclusis pius ejus in Academiam patriam affectus dilucide apparuit, pecuniam scilicet, pro adornando & restaurando Medicorum Auditorio pius destinavit; quod novam exinde lætamque induxit faciem, in cujus rei memoriam hæc habentur Introeuntibus conspicua:

Viro

Viro
Perillustri Excellentissimo Experientissimo
Domino
MICHAELI ERNESTO ETTMULLERO
Philosophiæ & Medicinæ Doctori
Professori Pathologiæ publico
Archiatro & Comiti Palatino Cæsareo
Sacri Romani Imperii Nobili
Academiæ Cæsareæ Leopoldino-Carolinæ Directori
Universitatis Lipsiensis Decemviro
Facultatis Medicæ Seniori
Collegii majoris Principum Sodali
De re litteraria & arte salutari immortaliter merito
Lipsiæ die XXVI. Aug. MDCLXXIII. nato
Ibidemque die XXV. Sept. MDCCXXXII. denato
cujus munificentia
AUDITORIUM MEDICUM
Anno MDCCXXXIV.
est renovatum
Hoc laudis monumentum
nomine Collegii medici
POLYCARPUS GOTTLIEB SCHACHER
Philosophiæ & Medicinæ Doctor
Therapiæ Professor publicus
Academiæ Lipsiensis Decemvir ejusdemque Senior
Ordinis Medicorum Decanus
Collegii Majoris Principum Socius
Lubens meritoque posuit.

Ea ſunt, quæ ETTMULLERI noſtri nativitatem, vitam, mortemq; concelebrant, cui pares alios nobis, Patriæ ſuæ, erudito orbi exoptamus.





IOANNES IACOBVS BAIERVS D.
Sac. Caes. Maj. Archiater, S.R.I. Nobilis et Comes Palatinus, Serenis. Marchion. Onoldo-Brandenb. Medic. Primarius et Consiliarius Aulicus, Academiae Imperial. Naturae Curiosorum Praes, Physicus Norimbergensis, Universitatis Altorfinae Ordinisque Medici Senior.

Nat. Ienae d. XIV. Iunii CIƆIƆCLXXVII.
Denat. Altorfii d. XIV. Iulii CIƆIƆCCXXXV.

Martin Tyroff del. et direx.

MEMORIA

Viri

Perillustris, Magnifici Excellentissimique

Domini

JOANNI JACOBI BAIERI

Sacræ Cæsareæ Majestatis Archiatri

S. Palatii Lateranensis, Aulæ Cæsareæ & Imperialis Consistorii Comitis

S. R. I. Nobilis

Academiæ Cæsareæ Leopoldino-Carolinæ Naturæ Curiosorum

Præsidis

Serenissimi Marchionis Brandenburgico-Onoldini præcipui Archiatri

Universitatis Altorfinæ Senioris & Professoris Medicinæ primarii

Physici Norimbergensis & Altorfini

Viri meritorum amplitudine famaque doctrinarum excellentissimi.

micam & dicendi vim miro amore profequebatur. Cæteras medicinæ partes ex ore illuftris Wolfgangi Wedelii haufit, cujus favorem adeo fibi nofter conciliavit, ut eum variis benevolentiæ litterarumque monumentis teftatum facere poffet. Neque minorem fructum curæ inftitutionique folidæ doctoris excellentiffimi Jo. Hadr. Slevogtii acceptum tulit debitumque profeffus eft viri longo itinerum rerumque ufu locupletiffimi D. Rud. Guil. Kraufii, Senioris ac Profefforis emeriti colloquiis & fermonibus, quibus fruebatur. Sed tamen mira voluptate tenebant eum privatæ lectiones auctorum, qui ex philofophia Cartefiana & corpufculari ideoque mechanica medicinæ theoriam inftituerunt, quodque ipfi tanto placebat impenfius, quanto rarius inde Jenenfes cathedræ perfonabant. Quanquam interea Baieri noftri parens ad fplendidiffimam abibat dignitatem Fridericianæ univerfitatis: ipfe quidem vidit inaugurationis magnificentiam: fed tamen Jenam revifit ibique ftudiis vacavit. Suas etiam vires periclitaturus non fub præfidio tantum fratris natu majoris b. Jo. Guilielmi, Altorfini poftmodum Doctoris ac Theologi, primum Halis de excidio Sodomæ, tum Jenæ de tranfitu Ifraelitarum per mare rubrum bene laudabiliterque difputabat; verum etiam fectionem unam exercitationum Pathologico-therapeuticarum a D. Wedelio ventilatarum publico more defendebat fuoque porro, quod ajunt, Marte differtationem exaratam Wedelio eodem

modo-

moderante non citra bonorum omnium adclamationem tuebatur. Post exactum Jenæ quadriennium Halas reversus ex illustrium virorum Friderici Hoffmanni & Georgii Ernesti Stahlii ore benevolentiaque & humanitate pendebat, aliorumque etiam consuetudine gaudebat ita, ut his quasi rerum optimarum deliciis intentus libidinum vanitatumque illecebras post Dei gratiam non audiret, sed potius Musarum otiis negotiisque sese dederet, exercitationesque inter alias sub præsidio Hoffmanniano specimen laudis & ingenii novum de necessaria salivæ inspectione publicaret.

Rite igitur satisque firmatus campum sibi quæsivit patentiorem alienarumque terrarum opes longe lateque perlustravit. Quum enim jam ante vicinas ingeniorum sedes frequentasset virosque nominum celebritate magnos Bohnium nempe ac Rivinum & Petermannum Lipsiæ, Hartenfelsium & Eyselium Erfurti, Helmstadiique Schraderum aliosque discendi gratia convenisset, anno ipso sæculi superioris XCIX. ulterius iter suscepit. Primum autem, quod observatione dignum vidit, salinæ fuerunt Luneburgensis, nullis per totam Germaniam, sive candorem, sive acrimoniam sive copiam salis cernas, inferiores. Hinc in urbem profectus est Hamburgensem: unde post observatum rerum haud vulgarium splendorem ac copiam virorumque doctissimorum ingenia perspecta Lubecam

becam perrexit, ibique non ipsa tantum civitate satis multa invenit, quæ placerent; sed etiam hominum amicissimorum Hanneckenii patris, Stolterfohti, Bachmeisteri, Lipsdorpii favore & Borghelii Braschiique commilitonum ante Jenensium familiaritate mirum in modum recreabatur. Sed urbe ista egressus Kiloniensem Academiam petiit magnoque cum animi gaudio Schelhammerum quondam Jenæ suum adivit, eundemque ducem habuit in opibus Floræ Holsatiæ & lapidum figuratorum lustrandis colligendisque. Parem ipsi facilitatem præstiterunt clarissimi viri D. Guilelmi Huld. Waldschmidius & Samuel. Reyherus, quorum ille soceri sui Jo. Dan. Maioris collectiones rerum naturalium & antiquitatum monimentis abundantissimas reclusit, hic vero mirabiles artificiorum mechanicorum opticorumque machinas promto animo demonstravit. Kilonio relicto venit Slesvicum, caput Holsatiæ, technophysiotamei ac bibliothecæ fama celeberrimam urbem; cujus utriusque operis desiderio satis abundeque fecit noster ex indulgentissima D. Nicolai Pechlini humanitate adeo, ut, quicquid oculis intuendum volvit, manibus tractandum optavit ex illius thesauri promo condo, id omne sibi oblatum videret. Digressus inde occidentem versus ad oras Cimbriæ, quas mare Germanicum alluit, novam Friderici urbem, Belgarum coloniam Tœnningamque castellum videbat, hincque etiam ad extremum spatiabatur littus pelagique secessu

facto

facto largam illam conchyliorum multitudinem admirabatur. Vt Wismariam, Suerinum aliaque passim oppida taceamus, Rostochium delatus est, ibique nominatim D. Fechtii, magno nomine Theologi Medicique laudatissimi D. Schaperi sermonibus eruditis frui potuit. Lubecam autem reversus incidit in amicum & commilitonem quendam ad patrios contendentem lares, cujus obtestatione permotus navem conscendit septimoque tandem die post exhaustum maritimæ tempestatis laborem portum inivit Rigensem. Vrbem ingressus non pauca invenit, quæ oculos animumque pascebant, rerumque naturalium notitia cumulabant: neque minorem etiam habuit felicitatis partem ex favore D. Davidis Martini & Dav. Kriegii, quorum alter primarius eo loco medicus, usu scientiaque medica & naturali egregie pollebat; alter Societatis Londinensis iussu & sumtu colonias in America Britannicas invisit multisque naturæ spoliis onustus revertit; suorum vero uterque sermonum jucunditate adeo cepit Baierum nostrum, ut fere patriam oblivisceretur. Haud ita procul in Academia Pernaviensi D. Laurentium Braunium convenit ab eoque de quibusdam Sueciæ rebus fossilibus certior est factus. Riga tandem propter hostilis invasionis metum aufugiens traharum ope hibernalium Regio monte substitit, ibique cum alios Doctores, dum seorsim Med. & Hist. Prof. D. Philippum Jacobum Hartmannum salutavit, qui Baiero nostro mirabilem succini apparatum rite conspiciendum lustrandumque tradidit; quamvis ipse propter hiemem vicina loca succini non adire posset: cæterum tamen inter alias bibliothecæ publicæ res notatu dignas cultrum illum notissimæ historiæ conspexit, quem a rustico devoratum chirurgiæque artificio extractum fuisse constat. Gedani, in urbe florentissima litterisque ac commerciis affluente ob nimiam comitum festinationem nonnisi viri illustris D. Joach. Hoppii Senatoris primarii clarissimique Theologi Samuelis Schelguigii colloquiis & benignitate fruebatur. Per Pomeraniam inde in terras Brandenburgensium ac Berolinum denique translatus, aulæ non modo splendorem maximum, sed & locupletissimam fere omnium bibliothecam incredibilemque rerum arte & industria concinnatarum & ex omni genere naturalium varietatem multitudinemque ac thesaurum attonito quasi oculo perlustrabat. In-

ter viros autem meritorum nomine celebratos Theologorum illum facile ſummum D. Philipp. Jacobum Spenerum & D. Bern. Albinum Archiatrum excellentiſſimum, ſed poſt Lugduni Batavorum primarium Medicinæ Profeſſorum convenit, & quamvis ſenem optimum & de re herbaria bene meritum D. Chriſtianum Menzelium videre non poſſet : tamen ejus filium D. Jo. Chriſtianum Aulæ Electoralis medicum habebat ita fauentem & paratum, ut ipſi collectionem rerum exoticarum & materiæ medicæ rariora ſpecimina exhiberet : ubi etiam Baierus noſter novum eo tempore in Europa fructum Fabæ S. Ignatii nomine & virtute febrifuga commendatum primo ſtatim obtutu nuci vomicæ vulgari affinem exiſtimabat. Vitembergam illam venerabilem litterarum parentem ingreſſus adiit medicinæ ornamentum & decus D. Jo. Godofr. Bergerum & Academiæ Seniorem, Georg. Caſp. Kirchmaierum, quorum ille calculos in cyſtide fellea & veſica urinaria repertos oſtendit, hic etiam de non paucis hujus generis obſervationibus locutus eſt & egit. Tandem Halas noſter tranſiens Jenam revertit.

Vti vero umbræ morem honor tenet, quæ ſequentes fugit, & fugientes ſequitur : ita etiam Baierus noſter initio hujus ſæculi non modo lauream philoſophiæ extra ordinem & præter omnia iſta fere ſpecimina, quæ a candidatis requiri ſolent Brabeuta quidem Georg. Alb. Hambergero, Facultatis autem Decano Jo. Jac. Mullero nanciſceretur : ſed etiam poſt examina bene laudabiliterque exantlata habitamque de capillis Præſide D. Slevogtio diſſertatione ſummos in arte medica honores inter ſpem & applauſus congratulantium obtineret. Tantum autem abeſt, ut hanc ſibi coronidem ſtudiorum impoſitam exiſtimaret ipſe, ut potius calcar ſtimulumque & anſam haberet latius longiusque doctrinæ ſuæ metam extendi. Hunc in finem prono ſtudio ad receſſus naturae abſconditos meatusque ſubterraneos ferebatur, eaque de cauſſa ad loca inferioris Saxoniæ, metallorum aliarumque rerum ſub terra provenientium opibus feraciſſima Clausthalium nempe Zellerfeldam & Goſelariam, ciuitatem imperii liberam perveniebat, ut quicquid in iſta rerum notitia deficeret adhuc noſtro, curatiore iam induſtria & attentione ſerutaretur. Ibi

qui-

quidem & inmonte præſertim Rammelio dicto Goſelariæ vicino tantam rerum foſſilium varietatem ac congeriem deprehendit, ut vix alio in loco majoribus etiam limitibus circumſcripto facile ſimul inveniri crederet. Quum enim ultra centum orgyarum altitudinem in ærarias fodinas & ipſa terræ viſcera deveheretur, omne fere genus chalcanti, nativum etiam, viride, cæruleum & album videbat, iſtaque etiam foſſilia cognata, chalcitidem nimirum, Sory ac Miſy reperiebat, quae olim a Dioſcoride, Plinio, Galenoque tantopere commendata quidem ſunt at ævo recentiori medicorum aut pro confictis omnino aut certe non amplius reperiundis habebantur: ut cum ipſo Baiero noſtro taceamus ibidem ex mineris ſuis provenientem copiam ſulfuris illiusque partim adeo puri, ut cum ipſis artificio chimiæ paratis floribus conferri queat; mittamus etiam alia, quæ ſe oſtendunt, foſſilia, tum & metallorum recrementa, præſertimque ex iis hoc, quod ex vetuſtis ſcoriarum acervis colligitur ac cadmiæ foſſilis ſeu lapidis calaminaris loco maxime aeri tingendo aptum habetur. Neque etiam ſuperioris Hercyniæ fodinas argento & plumbo abundantes præteriit urbesque vicinas Brunſuicum, Guelpherbytum iterumque Helmeſtadium & Magdeburgum omiſit intrare, ut, quicquid aut rerum aut virorum obſervantia dignum inveniret, ad ſuam notitiam utilitatemque adhiberet. Redux inde factus Halisque commoratus unam alteramve habebat occaſiontm ſuæ doctrinæ privatis in ſcholis curationibusque ægrorum explicandæ & confirmandæ. Verum enim vero quum a proavunculo ſuo & ſuſceptore perilluſtri Dom. Jac. Guil. de Forſter invitaretur futurumque eſſe certior redderetur, ut in Academia Altorfina ſtationem inveniret: paruit quidem iſti mandato, ſed tamen Spartam eam non e re ſua tunc temporis eſſe poſſe videbat. Interea dum Norimbergæ agebat, tantæ urbis amplitudinem, ſplendorem & magnificentiam cultosque item & humanos ciuium mores non ſatis emirari poterat: maxime vero omnium florentiſſimam Medici collegii ſpeciem, quod magnis ſemper præſtantiſſimisque ſeſe extulit viris, adeo ſuſpiciebat, ut in tam nobilem cooptari ſocietatem cuperet ac deſideraret. Cujus voti compos factus eſt

Baierus noster ex eoque tempore collegarum suorum favorem & amicitiam haud frustra ibi conciliare studuit periculosioribusque in morbis, quum unum alterumve seniorem medicum ad consilia invitasset, tanto felicius tutiusque proficere conatus est, quanto magis diversam faciendæ medicinæ rationem pervidebat. Tali rerum statu functus erat Baierus noster quum sibi vitæ fortunæque sociam quæreret eligeretque virginem pietate, modestia & frugalitate ornatissimam Julianam Mariam Barbaram ex viro rerum agendarum peritissimo Joh. Caspare Bachmayero, Serenissimæ Ducis Wirtenbergensis Viduæ consiliario & præfecto Weiltingensi procreatam. Sed in ipso medendi officio ampliorem subinde nactus est inter ægrotos utriusque sexus & generis & conditionis ansam & felicitatem. Idem etiam quum Præpotentium circuli Franconici Ordinum Legati pro ægris vulneratisque militibus anno sæculi labentis tertio medicum requisiverunt, non modo promtam obtulit voluntatem, sed etiam tanta inter pericula tantasque molestias alacer confidensque ac divenitus confirmatus ita muneri præfuit, ut pauci ægrotantium perirent. Sed tamen lætos inter successus rerum ab alio infectus acrem lateris dolorem contraxit, & quamvis inflammatum & congestum ad pleuram sanguinem discussisse remediis videretur, tamen siccam tussim cum respiratione ac calore præter naturam sæpius invadente relictam habuit ita, ut tanto gravius quidquam timeret, quando debilius jam ab ætatis initio pectus gerebat.

Memor autem Celsiani dicti, pessimum ægro cælum esse, quod ægrum fecerit, siccioris aeris molestiam evitaturus Ratisbonam abiit ibique etiam insigne valetudinis emolumentum sensit. Hac in urbe quum fieret, ut præcipuus civitatis medicus D. Georgius Christophorus Gœllerus diem obiret suum; Baierus noster a multis iisque magnæ auctoritatis hominibus persuaderi sese patiebatur, ut cum Procerum Norimbergensium indulgentia juribusque & loco reservatis medicinam ibi faceret, quam successu temporis copiosam & uberem & felicem ubique deprehendebat. Verum enim vero quum in universitate Altorfina D. Jo. Ludovicus Apinus vir medendi peritia commendatis-


datiſſimus naturæ debitum reddidiſſet, ipſe dudum ſtudiis Academicis propenſus datam hanc & oblatam fere Spartam ab Illuſtribus Academiæ Curatoribus modeſte petiit facileque impetravit. Munere igitur phyſiologiæ ac chirurgiæ publice docendæ mactatus anno ſæculi currentis quarto programma edidit de pietate Medicorum alteroque die recitavit ſolemnem orationem de meritis Germanorum in rem medicam lectionesque etiam publicas inſtituit de rebus medicis, quæ in ſacro codice Novi Teſtamenti commemorantur, itemque porro, quæ ad hominum litteratorum valetudinem tuendam pertinent, ſcholas aperuit, neque privatim etiam paucis medicinæ cultoribus induſtriam denegavit. Quantum in ſequenti ſtudium quantamue operam navaverit rebus medicis illuſtrandis & explicandis, tot rerum hominumque teſtimonia comprobatum dare poſſunt. Ipſe etiam Baierus noſter gradatim quaſi omnes medicinæ partes ſolide digneque profeſſus eſt publice, ſola tamen anatomia relicta, quam quidem juvenis non levi tanquam brachio tractavit, ſed ætatis progreſſu ob hebetiores oculos non exercere potuit ac voluit. Scientiam autem naturalem chimicis experimentis & copioſa rerum collectione, quam habebat, illuſtrare non omiſit. Neque hiſce ſeſe limitibus detineri voluit Baierus noſter, ſed rerum foſſilium ſtudio excitatus Altorfini agri & viciniæ opes inveſtigavit, easque tandem opuſculo illo, cui oryctographiæ Noricæ titulus eſt, publicavit. Adeo vero liber iſte ſeſe commendavit viris, ut non pauci ad eandem rerum disquiſitionem cogitationes manumque admoverent, plures etiam methodum probarent, ſibique normam eligerent, alii porro in claſſica ſui generis ſcripta referrent; ipſe denique Societatis imperialis N. C. illuſtris Præſes D. Lucas Schrœckius, cui laborem hunc obtulit Baierus, eum laudatæ Academiæ collegio adſcriberet Eugenianique cognomine ornaret, eundemque poſt inter Adiunctos recenſeret. Cæterum poſt obitum D. Brunonis venerandi ſenis theoreticam medicinam accepit chirurgiamque D. Heiſtero celeberrimo jam inter omnes medico tradidit cum anatomia copulandam. Quum vero D. Jo. Maur. Hoffmannus Onoldum ſe contuliſſet, primam cathedram conſcendit, therapeuticamque

medicinæ partem, chimiam & botanicam cum præfectura horti academici bene gnaviterque ſuſtinuit. Facultatis etiam medicæ Decanum, quem vocant, ſeſe laudabiliſſime geſſit idemque munus undecies adminiſtrauit; ſigillatim vero ſemel atque iterum & præcipue inter ſæculare Academiæ decus Rectoris magnifici cura & auctoritate magnum ſibi nominis & prudentiæ nomen conciliavit. Vti vero gloriam & utilitatem rei litterariæ provexit: ſic etiam multis ægrotantibus iisque vero non civibus tantum Altorfinis ex officio Poliatri demandato, ſed aliis quoque per ſuperiorem Palatinatum opem & levamen non minore circumſpectione, quam felicitate tulit. Quum igitur tanta in luce verſaretur Baierus noſter, fieri aliter non potuit, quam ut domi foriſque ipſius merita cognoſcerentur, ejusdemque nomen longe lateque per cultiorem Europam vagaretur. Unde etiam anno viceſimo nono Sæculi hujus ad res Academiæ noſtræ inſigni auctoritate dirigendas ornandasque Directoris Ephemeridum nomine, annoque poſt altero ad eminentem ſplendidamque Præſidis dignitatem cum Archiatri & Comitis Palatini Cæſarei itemque S. R. I. Nobilis ornamento deveniebat: porro etiam a Sereniſſimo Marchione Brandenburgico-Onoldino præcipui Archiatri curam & honorem ſibi delatum vidit, ut in conſilium tuendæ valetudinis adhiberetur. Ut vero rei domeſticæ familiariſque mentionem aliquam faciamus, ex priore conjugio, quod ſupra jam diximns, octo liberi prodierunt, quorum dimidia pars in ipſo ætatis initio deceſſit: ex reliquis autem, filiæ duæ ſuperſunt omni virtutum laude florentes, natu major Suſanna Maria viri clariſſimi D. Sigismundi Jacobi Apini, Rectoris Gymnaſii Ægidiani Brunſuicenſis vidua & mater unici adhuc filioli, Chriſtophori Jacobi; natu minor Anna Catharina virgo ſexus familiæque ſuæ commendatione ornata. Filiorum major patriæ virtutis heres æmulusque eſt D. Ferdinandus Jacobus civitatis Noricæ Phyſicus ordinarius & noſtræ Academiæ ſocius, a Parente cooptatus, iam vero inter Adjunctos relatus, cui tanto impenſius de propagatione nominis Baieriani gratulamur, quanto minus conſtat vivatne adhuc filius minor Jacobus Michael ad terras longe petendas

das incitatus. Sed quum priorem amisisset uxorem Baierus noster anno cIↃIↃccxx. singularibus virtutum decoribus conspicuam virginem Sophiam Magdalenam, ortu Schœneriam in matrimonium duxit, quam vero improlem jam & viduam reliquit. Superest tandem, ut quem vitæ hujus egressum habuerit Præses noster, tribus adhuc verbis indicemus. Anno enim cIↃ IↃcc xxxv. d. 11. Julii quum nihil tale prius metuisset, nocte media frigus quoddam insolitum succedentemque simul æstum gravesque etiam lateris dolores patiebatur, ut certissimis appareret indiciis, vetus illud diuque in pectore repostum malum bisque jam erumpens, nunc omni fere impetu irruisse & ad extrema contendisse. Hujus quoque præsagii eventus d. XIIII. Julii factus est, quum Baierus noster placide morte fungeretur hora post meridiem secunda vitamque istam anno ætatis octavo & quinquagesimo inter laudis & virtutis curriculum exequeretur.

Ita quidem plenus abiit meritis plenus honoribus, illis etiam, quos recusavit; plurimis tamen quærendus ac desiderandus est, ut exemplar ævi prioris; nobis vero præcipue, qui eum non solum publice, sed etiam privatim, quantum admirabamur, tantum diligebamus. Cur non immaturam ejus mortem nostro in sinu defleamus; si tamen fas est aut flere, aut omnino mortem vocare, qua tanti viri mortalitas potius finiebatur, quam vita. Vivit enim vivetque semper atque etiam latius in memoria hominum & sermone versabitur, postquam ob oculis recessit. Societas tamen nostra jacturam fecit gravissimam, si jactura dicenda est tanti viri amissio. Amisit enim, amisit Præsidem gravitate, doctrina, fide prope singulari, summo vigore, summa industria, summa frugalitate, ea magnitudine animi, quæ nihil ad ostentationem omnia ad conscientiam referebat recteque facti mercedem ex facto ipso petebat. Amisimus

mus amicum, quo nihil verius, nihil ſimplicius, nihil candidius, nihil fidelius adeo facile novimus. Coluimus virum iſtum tam ardenter, quam impatienter requirimus ac deſideramus. Si quid longiores ac prolixiores fuimus, dandum eſt amori, qui Baierum ſuum videre, alloqui, audire, complecti, laudare, amare non deſiſtit.





INDEX ALPHABETICUS RERUM NOTATU DIGNIORUM

Ubi Asteriscus numero adjectus ad Appendicem remittit.

Ejusdem

Herpes

princi-


Ther-

Vomi-




ad. Observat. III.
p. 18
Fig. 1
Fig. 3.


Fig. 5.
a
a


Fig. 6.
Fig. 7.
ad. Observat. V. p. 26.
A
B
C
F
f


ad
Observat XV.
p. 72.
Fig. 8.

Fig. I. ad Observ. XXIV p. 98.




Fig. II. ad Observ. XXIII. p. 95.



Fig. III. ad Schol. Observ. XXIV. p. 100.



Fig. IV. ad Observ. XLIX. p. 154.




Fig. V.

Volum. IV Actor. A. N. C.
Tabula III.

Fig. I ad Obsers. LVII. p. 209.





Fig. III ad Obsers. LXI. p. 226.

Fig. II. ad. Obsers. LVI. p. 207.




Volum IV. Actor. A.N.C
Tab. IV. Obsers. LXIII. P. 242.
k
k
i
i
l
l
h
l
l
f
g
g
d
d
a
a


Volum. IV. Act. A. N. C. Tab. V. ad Observ. LXIII. p. 243.
Fig. I.
Fig. II.
Fig. III.
Fig. IV.
Fig. V.
Fig. VI.
Fig. VII.


Volum. IV. Actor. A.N.C. Tabula VI.
Fig. 1.
ad Observat. LXV. pag. 253
Fig. 2 E pag. 254
A
B
C
D
E
F
G
H
I
K
L
M


ad Observat. XCVI. pag. 378.
Fig. 7.
ad Observat. XCV. p. 371.
Fig. 3.
Fig. 4
Fig. 5. P. 373.
Fig. 6.

Volum. IV. Actor. A. N. C.
Tab. VII.












ad Observat. CIV.
pag. 411.
B
Fig. 2
d
c
d



A
Fig. 1.
a
a
b.
b
c


Volum IV. Actor A.N.C.
Tab. VIII.
Fig. 4
ad Obsers.
CXXXII
p. 505.
N
L
M
K
P
D
B
A
C
O



ad Observat. CVI.
Fig. 3.
pag. 426.
3
1
4
2



ad
Obsers. CIII.
Fig. 6
pag 410.



Fig. 5.
ad Obsers. CXXXIII
b
c
a
d
e
f
pag. 509



Obsers. CXXXIII.














pag. 518.



ad Observ. CXXXVIII.
Pag. 538.


Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 3.



ad Observ. CXXXIV.
P. 523

Fig. 4.








Fig. 2. ad Observ.
CXXXIX.





Fig. 3. ad Observ. CXXXIX.





Volum. IV. A.N.C. Tab XII.°
ad Observat. CXXII.
pag. 549.
a
a
b
b
c
c
e
e
g
g
h
h
x


Fig. 1. ad Obser. CXLIX
p. 575


Fig. 2.
p. 576.


Fig. 3,
p 577.





Fig 4 ad Observ. CL.
pag. 575.


Fig. 5. p. 576.


ad Append. Volum. IV. Actor A.N.C.
pag. 12.
A
A
Append. 12.
B
B


Append.
p. 13.
C




D
Append.
p. 13


Fig 16
Prodro.
Append
p 15.


Fig. 17
Appen
Crystallogr.
pag. 14


Fig. 21
Crystallogr.
Append.
pag. 14.

